IO. NIC. MADVIGII,
PROFESSORIS HAUNIENSIS,

EMENDATIONES LIVIANÆ

ITERUM AUCTIORES EDITÆ.

HAUNIÆ MDCCCLXXVII.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ (HEGELIORUM PATRIS ET FILII).

TYPIS J. JOERGENSENII ET SOC.

Præfatio alterius editionis.

Divenditis ante complures annos omnibus exemplis prioris huius libri editionis, quum redemptor iterum eum typis describi cuperet, aliquamdiu recusavi et tergiversatus sum; deinde quum aliorum quoque admonitionibus ac prope convicio extortum esset, ut nova fieret editio, descripto eius instituendæ consilio perfectaque ad institutam formam fere eius partis, quæ ad primos decem Livii libros pertinet, recognitione, mense Iunio anni MDCCCLXXV ad typographum itum est ea spe, ut aliquanto intra anni spatium rem absolutum iri putarem. Verum et aliæ intervenerunt moræ et una molestissima et cum gravissimo meo incommodo coniuncta, quæ instituti operis absolutionem magnis difficultatibus implicavit. Mense enim Septembri eiusdem anni oculorum meorum acies iam pridem infirma subito ita hebetata est, ut ab eo inde tempore neque legere quidquam præter paucos versiculos bonis ac perspicuis litteris expressos neque scribere præter perpauca ipse potuerim, in ceteris aliorum recitatione et manibus uti cogar. Itaque quamquam in hac calamitate neque vetus multisque in rebus experta Siesbyei mei amicitia mihi defuit, neque aliorum benevola et diligens opera, ex quibus I. Th. Iensenius, quum typographi errores corrigeret, non pauca utiliter admonuit, tamen necessario factum est, ut et tardius procederetur et

nonnulla minus expolirentur, quam vellem, cuius rei veniam verbis petere inutile videtur. Adlaboratum tamen est, ne in summa re a proposito consilio deficeretur. Propositum autem erat primum, ut, quoniam post priorem huius libri editionem, quum Livium una cum Ussingio ederem, quindecim quidem primos libros bis, multos locos novis coniecturis emendassem tentassemve, hæc omnis materies in hoc volumen transferretur, ne, qui nostris coniecturis Livianis uti vellent, pluribus eas locis cum molestia quærerent. Itaque crevit me non libente voluminis moles, quum præsertim alia quædam et disputatione et testimoniis exemplisque augenda confirmandaque essent (velut ad XXIV, 2, 9). Deinde, si qua iam minus recta veraque videbantur, quæ lætor non valde multa fuisse, ea detraximus, pleraque iam in illis præfationibus notata et correcta; uno et altero loco in posterioribus libris nunc demum veriora se obtulerunt. Quæ de codicum auctoritatis in tertia decade æstimatione olim disputaveram, ea nunc, quod ad quinque posteriores libros pertinet, retractavi usus Heerwagenii et aliorum admonitionibus; quæ ab aliis nuper de iisdem Livii locis, quos ego tractaveram, prolata erant, quæ quidem mihi innotuissent (nam quin multa me, quædam etiam Siesbyeum fugerint, non dubito), eorum hactenus habita ratio est, ut, si quid aut nostris melius aut saltem æque probabile repertum esset, id cum adsensu adnotaremus, de iis, quæ non vere, sed tamen cum aliqua veri specie disputata viderentur, sententiam nostram breviter declararemus, manifesto pravorum unum et alterum exemplum poneremus et admonitionis causa reprehenderemus; multa enim tacita prætermittere et licebat et decebat.

Scrib. Hauniæ nonis Maiis a. MDCCCLXXVII.

EMENDATIONUM LIVIANARUM

PARS PRIMA

LIVII LIBRORUM DECEM PRIMORUM EMENDATIONES CONTINENS.

PROOEMIUM.

Quum T. Livii libros inde ab adolescentia, ut par erat (1) hominem facere in rebus institutisque Romanorum cognoscendis explicandisque et in sermonis Latini legibus exquirendis declarandisque occupatum, studiose lectitassem, non paucos, ut fit, subinde locos adnotaveram, in quibus meliorem, quam quæ in editis exemplis circumferretur, scripturam aut e codicibus sumi posse aut aliorum aut denique mea coniectura repertam esse iudicabam. Anno autem 1835 totum opus pertractavi perlustratisque superiorum Drakenborchiique et si quæ post eum accesserant copiis orationis formam recognovi, cuius recognitionis et in commentariis meis Ciceronianis ad libros de finibus et in libellis, quos post illud tempus scriptos alterum opusculorum meorum academicorum volumen continet, satis multa documenta exstant. Deinde quum ad alias studiorum partes traductus essem, per tres etiam annos, quos in longe alio negotiorum genere egi, omnem operam philologicam intermisissem, postquam a. 1852 vitæ academicæ et philologiæ redditus sum, primum prope casu, academicæ scriptionis necessitate inter alias occupationes oblata, Livium attigi; paulo autem post (a. 1853 et 1854), ab homine amico, Ingerslevio, rogatus, ut, si quid ad Livii libros tres primos et vicesimum primum,

alterum, tertium adnotatum haberem, quo oratio emendatior (2) fieri posset, secum communicarem, quum eius causa ea, quæ a me ipso olim reperta in adversaria contuleram, describerem et breviter explicarem, sensim, partim trahente opportunitate renovandæ animo rerum Romanarum imaginis, partim novorum et præstantium, quæ interea ad Livii libros emendandos parata erant et tum maxime parabantur, subsidiorum usu blandiente, quum præsertim ipse quinque postremorum librorum codicis, qui unus superest, Vindobonensis scripturas plene notatas accepissem, totum Livium retractare coepi et ab illorum quinque librorum recensione et emendatione orsus prope eandem operam ad reliquos libros transferre, eamque rem horis subsecivis quattuor annis absolvi, sæpe, quum alia prævertenda essent et animum tenerent, intermissam et post non paucorum mensium intervallum resumptam. Huius operæ fructus quum mihi ipsi non displiceret videreturque utilitatis aliquid habere posse ad aliorum studia adiuvanda, ab amicis autem discipulisque, quibuscum non pauca per sermones et docendo communicaveram, totus flagitaretur, decrevi, quicquid a me novi ad Livii libros mendis liberandos conferri posset, breviter comprehendere, indicatis in transcursu, quæ iam antea alibi sparsissem. Nam quod amici discipulique interdum hortabantur rogabantque, ut, quoniam præter ea, quæ ipse invenissem, non pauca ab aliis recte et vere excogitata iacere neglecta putarem aut etiam, quum essent a Kreyssigio et Bekkero, quædam iam a Drakenborchio, merito in ordinem recepta, a recentissimis editoribus iudicii errore reiecta esse susceptaque contra e codicibus complura, quæ præteriri debuissent, Livii libros ipse ad codices exactos ederem, revocabat me et laboris molestia oculis etiam infesta futura et aliorum studiorum maiorum graviorumque persequendorum voluntas spesque, neque, quum his postremis annis præter eam, quam Alschefskius inchoasset totius Livii editionem, a Weissenbornio unam viderem absolutam, alteram, commen-

tariis instructam, urgueri, tertiam autem ab Hertzio coeptam esse, litteras nostras iam nimis librorum numero oneratas nova editione onerari volebam. Postremo ita iudicabam, si (3)
meis emendationibus explicandis rectam, quid in Livii oratione constituenda probabile esset, existimationem stabilire potuissem, vindicatis in paucis locis, quos ipsa propinquitas aut similitudo obtulisset, aliorum necessariis et veris correctionibus, futurum vel sic, ut aliquid ad totius rei et ad aliorum locorum iudicium proficeretur.[1]) Nam sæpe ad hanc veterum emendationum aut etiam bonarum codicum scripturarum, quæ nuper spretæ sint, commendationem et defensionem digredi non placet, ea proferre conanti, quæ aliunde sumi non possint, reprehensionem et exagitationem aliorum vitanti, nisi quæ sine damno omitti non posse videatur. Persæpe autem et antea mihi acciderat, ut, quæ mihi ipsi aut statim ipsius loci forma subiecisset aut codicum vestigia diligentius considerata, ea iam ante ab aliis excogitata esse intellegerem, et nuper non ita pauca, quæ ante multos aut saltem aliquot annos adnotaveram, his proximis annis quum ab aliis tum a Kreyssigio (post curatam Livii editionem in adnotationibus ad libros XLI—XLV) et a Weissenbornio occupata vidi, quod de Weissenbornio eo dico libentius, quod in aliis dissentiendi ab eo non raro causa erit. Habet autem hic plurium in eadem emendatione reperienda consensus fortuitus (quæ quidem aliquam habeat sententiæ et orationis mutationem notabilem aut e codicum vestigiis insperata emergat) aliquod per se probabilitatis indicium. Itaque subinde hoc commemoravi in iis maxime emendationibus, quas iam ante multos annos amici mei iuniores in

[1]) [Mutavi tamen postea consilium, quumque collega amicissimus Ussingius benevolum in re exsequenda auxilium obtulisset, coniuncta cum eo opera Livii libros ex mea recensione edidi quattuor voluminibus (octo partibus) a. 1861—1866, cuius exempli vol. I fasc. 1 (libr. I—V) et II, 1 (XXI—XXV) nuper iterum editi sunt, vol. I fasciculus 2 nunc ipsum iterum describitur.]

sua exempla de meo transtulerant; poteram in multo pluribus. Si qui erunt, qui, quum omnem emendationum copiam in unum collectam videant nec quidquam ex alio genere interpositum, nisi quod ad illas confirmandas pertineat, ipsum numerum reformident nec tot coniecturas ab uno homine accipere cum assensu audeant, contra eos nihil dicendum est; aliis enim ponderibus et suis momentis hæc examinanda sunt; unum velim considerent, quot unius Grynæi in solis quinque libris quintæ decadis coniecturas sequantur, quamquam coniecturas eas esse ante Kreyssigium,
(4) Bekkerum, me ignorabant. De ipsis rebus a Livio traditis omnem quæstionem, quæ non cum verbis et orationis forma veræque scripturæ constitutione coniuncta esset, studiose hic vitavi; per se enim aliaque scribendi forma, quæ eo spectant, tractanda sunt; ne quis credat me quicquam iis et verba et instituta vetera enarrandi artificiis tribuere, quibus in libro VIII c. 8 (de legione et acie Romana antiqua) aut c. 14 (de civitate Latinis data) aut in libro XXVI, 34 (de Campanis) similibusve locis Livii in rebus antiquis errores obteguntur aut incertæ obscuræque animi notitiæ verbis ambiguis et suspensis expressæ tanquam certæ et veræ explicantur.

Quoniam omnis, qui ad plura et varia e veteris alicuius scriptoris operibus menda tollenda suscipitur conatus, si quidem arte ac ratione suscipitur, a codicum, quibus opera illa continentur, æstimatione proficisci debet, in Livii autem opere, quod propter amplitudinem particulatim describebatur, suum est singularum decadum e diversis codicibus archetypis per separatas codicum stirpes propagatarum quasi instrumentum, suus subsidiorum apparatus, antequam ad singulos decem primorum librorum locos, de quibus disputandum erit, commemorandos venio, dicenda quædam sunt de codicum, quibus hi libri continentur, et cognatione et

universa fide et nonnulla in hoc genere uberius explananda firmiusque constituenda, quam factum adhuc est. Ac primum quidem illud pervagatum est, quoniam folia palimpsesta Veronensia domini malunt intacta servari quam Livio prodesse[1]), ceteros omnes primæ decadis codices unius esse stirpis, ductæ e codice, quem Nicomachi duo, Flavianus et Dexter, et Victorianus quadringentis prope post Christum natum annis emendarunt, cuius emendationis subscriptionibus testatæ memoriam alii codices nostri ipsi pluribus locis servant iique antiquissimi (Rhenani Vormatiensis, Mediceus, Parisiensis, Leid. primus), alii certissimis indiciis ad eorum, (5)
qui servant, cognationem adiunguntur. Sed quoniam nostrorum codicum archetypus is dici debet, saltem de eo ante omnia quæri, non a quo remotiore orti sint, sed in quem unum nostro tempori proximum convergat eorum per plures stirpes derivata cognatio et a quo primum harum stirpium divortia nata sint, equidem, quum codicem archetypum commemorabo et, quid in illo scriptum fuerit, dicam, non necessario ipsum illum Nicomachorum codicem intellegi volo, sed potius aliquem ex eo ortum eademque, ut fiebat, subscriptione notatum, illis autem, qui nostrorum antiquissimi sunt, tempore priorem; nostrorum autem nullus decimum sæculum ætate superat; unus Parisiensis illi sæculo adsignatur. Neque enim is habitus, quem codicis nostrorum archetypi fuisse certis indiciis concluditur, cadere videtur in codicem Nicomachorum Symmachorumque tempore scriptum et correctum; non quo hunc non et mendosum multis locis fuisse et subinde interpolatum credam, sed quod et ipsorum mendorum paulo aliam formam a correctoribus relictam esse credibile videtur ex ceteris antiquissimis codicibus Latinis, velut Vergilianis et palimpsestis Ciceronianis, coniecturam capienti, et magis etiam frequentem verbis supra

1) [Hoc iam a. 1860 iniquius scriptum iudicari debet; nunc omnis querendi causa sublata est. Vid. infra p. 34.]

scriptis adnotationem eiusmodi, qualis in codice nostrorum archetypo fuit, a primo illo Nicomachorum codice alienam iudico. Et ipsam quidem illam originis communionem, ductæ ex uno codice non paucis sæculis a Livii ætate seiuncto, si nihil aliud quæreretur, satis esset breviter aliis quibusdam indiciorum generibus ad subscriptionis testimonium adiunctis confirmare. Primum enim uno et altero loco verba aliquot sic pravo loco iterantur, ut casu id in omnibus codicibus eodem modo factum esse nequeat. Eam rem in libro I cap. 48, 4 et 5 primus Drakenborchius notavit (*domum se reciperet pervenissetque ad summum Cyprium vicum*), ego autem in libro VI c. 42, 12 (*causa libenter facturos*), de quo loco mihi Weissenbornius et Hertzius assensi sunt; eodemque pertinent in libro IV, 43,
(6) 4 verborum *a consulibus* intra breve spatium repetitio.[1]) Deinde aliquot locis verba in omnibus codicibus omittuntur aut saltem in omnibus præter recentissimos et interpolatos (ut III, 47, 4, ubi *ius* non legitur nisi in recentissimis codicibus et in horum ipsorum aliquot, ut Gaertneriano et fragmento Havercampiano, a secunda manu alieno loco insertum, IV, 3, 10, ubi *auctoribus* tantum in Lipsiensi et Lovel. quarto reperitur, in utroque a secunda manu, IV, 6, 2, ubi excidit alterius consulis, qui tribuno respondit, nomen, IV, 25, 4, IX, 3, 10, ne eos locos commemorem, in quibus ipse hanc suspicionem movi, II, 38, 2, IV, 10, 3, X, 2, 6, X,

---

[1]) Priorum illarum iterationum, in quibus longius spatium interiectum est, causa fuisse videtur, quod librarius antiquus, absoluta codicis, quem sequebatur, altera aut columna paginæ aut pagina, aut ad eius, quam iam descripserat, initium errore redierit aut non ad proximam sequentem, sed ad tertiam transierit, deinde errore animadverso verum secutus sit. In libro VI, 42 inter verba bis scripta intersunt litteræ 144; in codice palimpsesto Ciceronis librorum de re publica singulæ columnæ litteras habent centenas quinquagenas. In codice huius ipsius decadis Livianæ Parisiensi libro X, 14, 7—10 lacuna est litterarum fere 570 aut 580; tot igitur folium archetypi habuit.

14, 13). Uno autem loco, VIII, 11, 6 etiam plura verba excidisse manifestum est; nam frustra ad occultandam lacunam anacoluthon fingitur eiusmodi, ut Livius, posito hoc exordio: ibi in conciliis Numisius imperator eorum adfirmando cet., prorsus obliviscatur dicere, quid Numisius fecerit; quæ enim subiiciuntur: fallacibus litteris circa Latium missis, nullam habent redeuntis in orbem orationis similitudinem nec, quomodo animos audientium Numisii verba affecerint, significationem. Sed longe maius certiusque eius, de qua loquor, communionis indicium est, quod argumentis manifestis ostendam aut e codice nostrorum archetypo evulsa fuisse aut iam tum, cum is scriberetur, in eo, ex quo descriptus est, defuisse duo folia, alterum in libro VIII, 23, 10, alterum in libro IX, 39, 4. Itaque si, ut dixi, nihil aliud ageretur, nisi ut hæc ex uno fonte origo demonstraretur, hæc sufficerent. Sed quoniam id potius quæritur, (7)
quod, qui hoc concedunt, non perinde intellegunt, qualis ille fuerit fons, quam a prima integritate detortus, et quid inde ad omnem veræ scripturæ exquisitionem et iudicium sequatur, paulo plura dicenda sunt. Et primum ad speciem quandam universæ rei animis informandam superstitionemque expugnandam ex continua aliqua parte sine ullo delectu oblata mendorum varii generis, quæ ignorantia et oculorum animique error in verbis verborumque formis genuit, summa in pravis constantia per omnes codices pervagatorum exempla proponam; in quo hoc unum minus exercitati admonendi sunt, nihil valere ad huius in mendis consensus pondus minuendum, quod minuta quædam et facilia in uno et altero codice recenti, qui nihil alioquin proprii boni habeat, coniectura emendata sint, alia interpolando longius a prima mendi forma detorta. In decem igitur libri tertii capitibus a quinquagesimo ad undesexagesimum hæc sunt, ut omnia omittantur, in quibus ulla minima dubitatio esse possit, eiusmodi menda ad omnes codices propagata; (rectam scripturam, ubi certa et omnium consensu probata est, inter

parenthesis notas adieci): c. 50, 6 vitam filiæ suæ cariorem (pro sua, ut correctum est in Harl. 2 et Havercampiano); ibd. libere ac pudice (liberæ ac pudicæ); ibd. 11 insecutosque (insecutique)[1]); c. 51, 4 inuita (inulta, ut Leid. 2); ibd. 8 prærogativa (prærogativam); ibd. 9 imminensque et potestati (ei potestati; codd. nonnulli recentiores et omittunt); c. 52, 2 sciturosque sine restituta; ibd. 7 togatorum aliorumque (tog. aliorum); c. 54, 5 tr. plebisque (plebisque); ibd. 10 convertunt (convellunt, quæ correctio in margine codicis Rhenani et Parisiensis adnotatur); ibd. 11 A. Verginium (L. Verginium); ibd. 12 progenies (progeniem); c. 55, 8 hac iuris lege (hac lege iuris);
(8) ibd. sed eum qui deorum cuiquam v. quid eorum cuiquam (in recentioribus codicibus multa tentata sunt); c. 56, 5 ferre ne, Par. ferrent ne (ferre, ni); c. 58, 2 verum (virum); c. 59, 1 iam inde (iam iidem); ibd. 3 placet et cum in cod. Med. et Rhenani, unde in reliquis: placet cum et (placet cum).[2])

In promiscua hac mendorum farragine insunt exempla certorum quorundam errandi generum late et per omnium scriptorum Latinorum codices et per Livii libros pervagatorum, ex quibus non ita pauca etiam nunc menda in Livii oratione hærent, nonnulla nuper, quum olim expulsa essent, revocata. Ac primus error pusillus est valetque plerumque tantum ad grammaticam orationis formam corrumpendam (etsi interdum latius propagatur perturbatio), positus in littera m in fine vocum addenda detrahendave, in quo magna est etiam in antiquissimis codicibus, maxime in fine versuum, fuitque in codicum Livianorum archetypo licentia. Eam

---

[1]) Non numero § 14 datum locum seditionis esse (pro seditioni), etsi per se certum est mendum [nunc e cod. Veron. correctum], et sic in ceteris.

[2]) [In c. 51, 4 et 8 recte scribitur in V, reliqui loci in eo non sunt; etiam 51, 9 litteræ ante potestati evanuerunt.]

licentiam, a superioribus editoribus non ubique castigatam, nuper quidam nescio qua superstitione et ignoratione, quid in hoc genere momenti codices facerent, sæpe serviliter secuti sunt, excogitatis etiam miris enarrandi et excusandi artificiis; interdum pravitate deterriti subito a constantia deficiunt. Quam in quotidiano Romanorum sermone aliquo tempore in una alteraque locutione ex pronuntiandi neglegentia etiam scribendi interdum licentiam fuisse Gellii (I, 7) aliorumque grammaticorum testimonium inscriptionumque auctoritas ostendit, ut *in potestatem esse* pro *in potestate* et similia sub calamum venirent, eam breviter in grammatica Latina § 230 not. 2 commemoravi admonuique, quo argumento conciderent omnia illa artificia, quibus et in his exemplis significationis discrimina constituerentur et ad alia ea transferrentur. Nam *in urbem* et *in urbe* permutata acute quidam, ut sibi videntur, expediunt, Gellio homine minime acuto præeunte, *in urbes* et *in urbibus* permutata non ostendunt, ne *in oppidum* quidem et *in oppido* nisi raro. Hanc igitur pravitatem sive in addenda sive in detrahenda nota (quæ in III, 51, 8 eminet, in 54, (9)
12 et 59, 1 latet, quod *progenies* ortum est ex *progenie* pro *progeniem* posito[1]), inde ex *ide* pro *idem*, hoc est, *iidem*) ad omnes codices aut saltem ad omnes bonos et principes ex archetypo propagatam adnotavi in libro primo his locis (nec dubito, quin plures in legendo præterierim): c. 18, 6 (*in lapidem consedit*, uno sequente Alschefskio), c. 25, 6 *vice unius* (quod omnes tenent, spreta Gronovii admonitione)[2]), c. 39, 1 (*prodigium visum*), c. 56, 2 (*sub*

---

[1]) [Cfr. XXII, 22, 5 in Put. *ad Romanassocietatem* ex *Romana* pro *Romanam*.]

[2]) Verti video: *wegen der Lage*; verum ea significatio illi vocabulo falso affingitur; *sollicitus alicuius vicem* Latine ita dicor, ut vicem eius quodam modo subeam proque eo sollicitus sim (eius vice in sollicitudine fungens). Longe aliter dicitur *commoveri vice fortunæ* (VII, 31, 6), hoc est, vicissitudine.

terram, ut vulgo editur, quasi agatur de cloaca supra terram fieri coepta sub terram aliquo loco demittenda; in P est terra), ibd. 4 (in regiam, quod Hertzius, mihi obsecutus, correxit), in nono autem libro (ne ex uno exempla sumantur) his: c. 2, 9 (obiacentem molem, mendo orto etiam ex geminatione primæ litteræ vocis mole), c. 8, 7 (cum omnia iusta in deditionem nostram perfecta erunt, ut vulgo editur, uno et altero codice recentissimo vere emendato: in deditione nostra), c. 26, 3 (progressus in contione), c. 27, 5 (in conspectu data), c. 39, 9 (secuta deinde impetu eorum).[1]) Atque hæc tria, quæ extremo loco posui, unus tenuit Alschefskius; sed in libro X, 18, 12 nuper et Weissenbornius et Hertzius ediderunt: nec usus sui sit in Etruriam, et cum hoc, quod consul ipse in Etruria versans dicit, compararunt, quod dicitur proconsulem in Hispaniam creare, hoc est, qui in Hispaniam eat. Eiusdem autem originis est, quod nunc (Alschefskius, Weissenbornius, Hertzius) in libro X, 36, 1 edunt: in medio sarcinas coniiciunt, ipsi adnotantes, alibi semper dici in medium coniicere (ut

---

[1]) [„Weissenbornius, quum a. 1853 in I, 33, 6 recte edidisset: ponte — in Tiberi facto, a. 1860 contra apertam rationem usumque constantissimum (contra P etiam) scripsit in Tiberim, et I, 39, 1, quum ante recte scripsisset: prodigium visu eventuque memorabile fuit, nunc posuit incredibiliter: Eo tempore in regia prodigium visum, eventuque memorabile fuit (quasi eo tempore eventu memorabile fuerit prodigium et quasi sic coniungi possint visum pro visum est et fuit); adeo non aut ad illa, quæ Emendatt. Liv. p. 9 indicavi, exempla attenderat aut ad hæc, quæ præterea in duobus primis libris viderat: I, 34, 5 exsulem advena (M P), 39, 6 familiaritate aucta (M H, familiaritatem acta P), II, 10, 7 et 10 exiguam parte et ponte obtineret (P m. 1), 11, 7 Gabinam viam (M), 20, 1 in primam exsulum aciem (M), 32, 5 residem in urbem (M m. 1, P), 34, 6 ubi eam remisisset (M P), ibd. 12 (facile dictum est (M P)." (Ex præfat. Livii vol. I fasc. 1.) Postea Tiberi revocatum, visum servatum est! Cfr. Adv. Crit. I p. 69.]

eodem capite § 13 de re eadem); nam omisso **m** ex mediu natum est medio, contrarioque errore, addito **m**, III, 36, 5 (10)
ortum in senatu aut in populum misisset (quod tres illi editores tenuerunt), nisi quod ibi nocuit etiam **m** littera sequens (ut V, 32, 3, de quo loco dicam).[1] Verum, ut dixi, hoc mendi genere sententia fere non obscuratur; gravius alterum est genus, quod in Livii codicum archetypo, ut in aliis codicibus antiquis (etiam Græcis) late patuisse significavi, ut voces casu, genere, numero prave accommodarentur ad vicinas, quod aut librarius eas cum illis coniunctas putaret aut saltem obscure in animo calamum regenti hæreret formæ grammaticæ proxime præcedentis memoria proximeve sequentis cogitatio præciperetur. [Cfr. Adv. Crit. I, 52 sqq.] Huius generis e libro tertio et quarto exempla hæc sunt: III, 6, 3 ea colluvione (pro colluvio propter sequentes ablativos), 9, 10 non illud consulare imperium (non illum), 13, 8 vades publicos dedit (publico recte Gronovius restitui voluit; publici vades essent a populo dati, non populo), 18, 3 demerendo beneficio (demerendi), 34, 6 ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito (editos Dukerus restitui iure voluit; nocuit fortasse etiam sequens littera **s**), 40, 7 quoscunque magistratus (quodcunque, de quo loco seorsum dicam), ibd. 11 de eo quo Valerius Horatiusque — insimulent (de eo, quod; pravum Alschefskius, Weissenbornius, Hertzius secuti sunt), 50, 6 (filiæ

[1]) De eodem erroris genere in codice Puteani et tertia decade dicam breviter ad XXIII, 3, 3. Non nego fieri potuisse, ut Livio semel iterumve sub acumen stili venerit in potestatem, in amicitiam alicuius esse; et tamen hæc multo rectius ex antiquis codicibus adnotari quam in nostrarum editionum contextu uno et altero loco poni puto, quando quidem in pluribus locis retinemus in potestate. Codex quidem Mediceus longe sæpius quam ceteri, quod quidem constet, **m** prave additum habet, ex quo uno quæ monstra Alschefskius in Livii orationem intulerit (velut VIII, 12, 5 partium in rem publicam memores), pudet dicere.

suæ (sua), 11 profligatam iam rem — Romæ esse (11) insecutosque (insecutique), 56, 12 appellationis causa, in quam (in quod, de quo loco dicam separatim), IV, 8, 6 id quod tunc erat magis necessarium (id quod tunc erat, magis necessarii, de quo loco dicetur separatim, magis etiam de c. 7, 11), 13, 4 tanto apparatu consiliorum et certaminum (et certamine), 35, 6 ad spem consulatus in partem revocandam (revocandi, ut scribendum esse demonstrabo), 37, 2 fatigatis Etruscis in societatem urbis agrorumque acceptis (accepti), 49, 11 dignos enim esse qui (dignum).[1] Eodem modo sæpe verborum (quæ grammatice dicuntur) numerus addita detractave littera accommodatur ad verbum vicinum; velut hoc errore III, 40, 7 scriptum est haberent, iudicabant pro iudicabat, non recte obsequentibus recentissimis editoribus, et eodem capite § 10 præessent, controversiam fecerint (Med., Par., Klock.) pro fecerit, uno sequente Alschefskio, et 42, 5 fefellerunt, contulerant pro contulerat, eidem probatum [et Weissenbornio in ed. III, abiectum in V], et 49, 3 si iure ageret, — aiebant, si vim afferre conarentur, pro conaretur, retentum, quod vix credas, etiam a Weissenbornio et Hertzio.[2]) [II, 51, 7 essent, agebant M P Rh. pro agebat; IX, 14, 14 tenerentur, præpedissent pro præpedisset.] Personarum, temporum, modorumque terminationes magis sono litterisque distinctæ non tam errori obnoxiæ erant; scriptum tamen IV, 4, 6 ne propinqui-

---

[1]) In eodem genere non dubito ponere III, 48, 1: decemvir alienatus ad libidinem animo, ipso verborum ordine et verbis ad libidinem mendum arguentibus, quod Gronovius vidit.

[2]) Prius verbum accommodatum est ad posterius I, 50, 1 (conveniat, indicit pro conveniant), III, 24, 6 (fuerant, faciebant), VII, 28, 9 (essent, traduntur). Ex eodem genere est, adiuncto alio errore, quod I, 14, 4 in Med., Par., Leid. utroque scribitur vastantur agri quod cet. Nam agri nominativo casu acceptum est.

tatibus immisceamur, caveant pro cavent (nec re-
formidavit Alschefskius sequi), III autem 21, 6 peccatis
pro peccate propter imitamini male intellectum et IV,
54, 9 dicerent propter essent. [Hinc XXXII, 30, 8 Bamberg.
adiuvissent pro adiuvarent ob fuisset, XXXVI, 19,
9 Mog. constitisset pro constiterit ob præceperat.]
Tertium quoddam mendorum genus e codice archetypo ad
omnes propagatorum, paulo illud minus frequens, cernitur (12)
in verborum vicinorum transpositione; quemadmodum enim
in III, 55, 8 in codice archetypo fuit: hac iuris lege
interpretes pro eo, quod recte editur: hac lege iuris
interpretes, sic in præfatione operis § 5 is scriptum habuit
sane: prisca tota illa mente (pro hoc: prisca illa tota
mente), quod prorsus frustra Weissenbornius defendere cona-
tur; neque enim pronomen illa ab adiectivo suo separatum
et alii adiectivo ad aliud substantivum pertinenti ita subiectum,
ut, quoniam terminatione non differt, casu quoque cum hoc
coniunctum putetur, ullam recipit excusationem; idemque error
in his locis versatus est: II, 15, 3 (hostibus potius quam
portas regibus in Med., Par., Rhen. pro vero: portas
quam regibus, quod in codicibus inferioribus est ex emen-
datione, ut videtur), III, 70, 6 (quibus sibi in Med., Par.
pro: sibi quibus), III, 72, 6 (vocatæ valet in Med., Par.
pro: valet; vocatæ), VII, 38, 9 (et ætate haberet in
Med., Par., Leid. 1, Lov. 4, Klock., in ceteris correctum
haberet, et ætate), VIII, 8, 3 (facti scuta sunt M P L1
pro: facti sunt, scuta), VIII, 12, 13 (Æmilius tum
cuius fasces erant in Med., Par., Gaertn., Lov. 4, unde
alii Æm. tamen cuius f. e., alii tum omittunt; recte
editur cuius tum), VIII, 24, 4 (ut ceterum pro: cete-
rum ut), VIII, 32, 9 (adversus singula quæ pro: adv.
quæ singula), VIII, 36, 10 (nec ira magis quam pu-
blica privatum compendium, quod unum Alschefskius
non ausus est sequi, quum in ceteris libri VII et VIII locis
prava teneret), IX, 4, 9 (illis ut — ita nobis pro: ut

illis). His exemplis addendum esse IX, 6, 12, ubi ordine ad eum locum ventum erit, ostendam.

Poteram similiter de ceteris mendorum generibus ex archetypo ad omnes codices propagatis dicere, de geminatis litteris et syllabis (ut I, 32, 11 rex ex pro rex)[1]), de
(13) semel scriptis, quæ bis scribi debebant [ex quo novi errores supplendo nati sunt, ut dicam ad I, 39, 5], etiam de erroribus ex vetustiore verborum forma ortis, etsi ii non multi sunt (IV, 13, 13 consilia ex consili). Nullum est enim errandi genus ex iis, quæ in antiquis, qui supersunt, codicibus reperiuntur, quod non iam in huius decadis codice archetypo versatum sit; itaque facile esset cum his, quæ posui, exemplis similia e codicibus Puteaneo, Bambergensi, Vindobonensi tertiæ, quartæ, quintæ decadis comparare. Atque est etiam, ubi non negligentia sed pravo iudicio, quum a sententia aberratum esset, aut ipse codicis archetypi librarius aut iam alius illo antiquior verba mutaverit, ut VII, 41, 6, ubi, addito qui propter eorum male intellectum, deinde fugissent pro fugisset scriptum est, et VII, 30, 22 (iubeatis pro iubetis) et IV, 31, 3 (magnis animis atque ingeniis pro: magni animi atque ingenii), de quibus locis in ordine dicetur. Quam antiqui huiusmodi sint in verbis coniungendis sententiisque percipiendis errores, quos scriptura sine ulla interpunctione decurrens obiiciebat, et inde scripturæ depravationes, vel e Gellii aliquot locis intelligi potest, velut ex iis, quæ VII, 2 de Cæsellio Vindice narrat, aliisque exemplis declarabitur ad XXVIII, 40, 5.[2]) Aliquot locis mendum errore natum

---

[1]) Ex hoc genere est quamquam scriptum pro quam VII, 37, 8 (in Med. uno VIII, 4, 10 unde unde pro unde, sequente Alschefskio); et tamen II, 2, 1 quum tandem ex necubiubi restitutum esset verum necubi, Hertzius rediit ad infelix Gronovii inventum ne ubiubi, quasi pro eo, quod est ne quis aut ne quisquam, dicas ne quisquis.

[2]) In eodem genere pravæ mutationis ponendum id est, e quo II, 40, 8 frustra sententiam efficere conantur: nec tibi turpius quam

iam in codice archetypo interpolando occultatum erat, cuius rei manifestum exemplum est in I, 56, 11, ubi quum ex Tarquinii ut Sextus ortum esset facillimo errore (præ- (14)
sertim si Tarquini scriberetur) Tarquinius Sextus, post fuerat additum est ut (Tarquinius Sextus, qui Romæ relictus fuerat, ut ignarus responsi esset)[1]); alterum non minus manifestum notabo et corrigam in IV, 25, 7 (consilia de movendo bello, consiliadmovendo bello, inde consilia ad movenda bella), paulo obscuriora in III, 38, 10 et IV, 7, 11 et, [quod corrigere nuper contigit,] IV, 43, 5.

Sed hæc, ut dixi, rara sunt exempla illius interpolationis generis, quod in recentioribus codicibus multis partibus et frequentius et audacius est; multo latius iam in codice archetypo patuit alterum illud genus, quod verbis continetur ad orationem explendam sententiamve declarandam adscriptis, deinde errore (neque enim consilium fuit aut iudicium, quid Livii esset, quid non) in ipsam orationem receptis. Atque huiusmodi quædam esse interpretamenta, quæ omnium codicum consensu confirmentur, ratione certissima convincantur, concedunt necessario etiam ii, qui raro quicquam huiusmodi concedunt; sed ut certius res iudicetur, ponam primum in conspectu collecta, quæ ab aliis in hoc genere

mihi miserius, ubi recte Bekkerus secutus est emendationem iam in codice Gaertneriano factam: nec tibi turpius nec mihi miserius. Quærebatur alterum comparationis membrum. (Quod nuper quam sublatum nec tamen nec additum est, ferri nullo modo potest.) [Contra X, 45, 12 in P ceterisque nec — nec scriptum est pro nec — sed.]

[1]) Pæne incredibile est, hanc scripturam, non dico ab Alschefskio, sed a Weissenbornio et Hertzio probari potuisse; nam ut omittam prænomen nomini postpositum, quod feceritne unquam Livius, admodum dubium est, hoc saltem loco, ubi omne pondus est in prænomine, quo tertius frater separatur a duobus, non fecit, ordinemque reliquum verborum, evertitur omnis sententia posita in seiunctione Tarquiniorum et Bruti, cuius nomen contrarium refertur huic Tarquinii.

recte notata, nonnulla consensu damnata sunt. Attendi autem velim in uno et altero exemplo, quam leviter festinanterque talia interdum adscripta sint, additamento aut non recte in orationis structuram incluso (velut IV, 32, 7 eos adscriptum est, quum ii deberet, et VI, 17, 6 id pro
(15) eo, quemadmodum in tertia decade XXX, 23, 4 eum, quum is ponendum esset) aut ita incluso, ut alia perturbarentur (velut VII, 41, 6, ubi addito qui et ad id accommodato fugissent, desideratur post fuisset et alterum verbum), cuiusmodi indiciis ipse error sæpe deprehenditur. Notata igitur omnium codicum, hoc est, archetypi additamenta his locis iam erant, de quorum nonnullis confirmandæ suspicionis causa plura dicam, ubi ordo me ad eos deduxerit: I, 41, 3 (ubi vim orationis prorsus frangit alterum consilia), II, 30, 1 (putabant sententiam, ubi et frigide repetitur sententiæ nomen et necessario dicendum erat: sententiam eam esse putabant, quæ —; nam Lartii sententiam puto, quæ nihil est), 58, 5 (neque enim quod a codice Rhenani aberat, sed eius iudicio damnatum est), III, 1, 1 (Quinctius, pro quo substitutum est Quintus), 4, 1 (Fabios consensu damnatur), IV, 21, 6 (metum), 32, 7 (eos, ne Alschefskio quidem contra dicente), VI, 17, 6 (remisso id, quod), VII, 29, 1 (spatio, quo addito plane perverse vel-vel ponitur), 41, 6 (qui), VIII, 25, 5 (patiebantur), IX, 16, 8 (nocte, quod mirum est fuisse, qui in hoste aut hostes mutari mallent quam tolli), 19, 4 (Samnites; frustra alia tentantur), ibd. § 7 (id est hastæ; omnium manifestissimum additamentum omnes damnant; in archetypo tamen fuit), 30, 8 (causa, adscriptum ad illa per speciem; male Weissenbornius defendere conatur). (X, 32, 4 et X, 37, 15 ad aliud genus pertinent, de quo dicam paulo post.) Hæc igitur alii, ego unus plura huiusmodi interpretamenta ita coargui, ut, etiamsi de uno et altero contra dicatur, de longe plurimis peritos homines, qui et in singulis locis argumenta consideraverint et omnibus inter se collatis totum

genus interpretandi explendique, quæ deesse viderentur, perspexerint, non dubitaturos confidam, quum præsertim de codice archetypo aliam rem cum hac coniunctissimam et prorsus manifestam statim expositurus sim. Sunt autem, quos significo, loci hi: I, 29, 3 (obliti), II, 18, 4 (nec quo anno), 45, 16 (Fabia gens), III, 1, 5 (propinquam), 5, 8 (cum), 19, 11 (si tuleritis), 65, 6 (quoque), IV, 21, 7 (16)
(aut oppido), 51, 3 (populi), 60, 3 (patribus), V, 25, 8 (et), 53, 5 (quam), VI, 6, 5 (voluntarios), ibd. 8 (dictatorem), 17, 2 (populares, ubi alii suos tolli voluerant), 20, 8 (produxit), VIII, 12, 16 (ventum sit), IX, 18, 11 (cum fortuna), 19, 15 (nunquam ab equite hoste), 31, 7 (pars), 41, 1 (datur), X, 6, 3 (et — deducta), 10, 2 (muros), 33, 4 (agunt), 41, 13 (conspecti). Recte autem me hac emendandi via inter ceteras usum esse neque in ea ullam esse temeritatem, declarat, ut iam significavi, quod multa in codice archetypo Livii verbis interpretandi causa et supra scripta et in ordine adscripta fuisse et inde in nostros codices aut omnes aut multos transisse, in uno genere adeo est perspicuum et manifestum, ut, quamquam universæ rei ratio non prorsus perspecta est, tamen ipsa additamenta convicta iam sint et expulsa. Eos dico locos, in quibus duplicem scripturam olim coniunctam fuisse editores iudicant et aut utramque simul aut separatim per suos quamque codices propagatam. Nam quamquam aliquoties scribendi error tentataque correctio intervenit, tamen non minus sæpe ea, quæ duplex scriptura dicitur, nihil aliud est nisi vox ad Livii aliquod verbum interpretandum supra scripta, deinde illi verbo in ipso ordine adscripta. Nam in libro X, 37, 15 quum in codice archetypo

sacratus

esset locus templo effatus, supra scripto rarioris verbi significationis interpretamento, hinc in codice Mediceo factum est locus templo sacratus effatus, in Leid. primo aliisque locus templo effatus sacratus; in eiusdem

autem libri c. 32, 4 quum sic Livius scripsisset: ubi et vastare ipsi Samnitium agrum prohiberentur et egredi inde in pacata sociorumque populi Romani fines Samnitem prohiberent[1]), fuit, qui alteri verbo (17) (egredi) non satis respondere prius (vastare) putaret, quod non intellegeret, nihil inter ingressum agri hostilis et vastationem interesse, aut qui hoc ipsum animadverti vellet, in vastandi verbo contineri simul intrandi notionem contrariam alteri egrediendi, eaque sive correctio sive adnotatio quum sic

intrare

esset perscripta: ubi et vastare, inde in Med., Leid. 1, aliis ortum est: ubi et intrare vastare, deinde in aliis, transposita copula: ubi intrare et vastare. (Qui factum sit, ut Par. et alii pauci hoc loco integri sint, aperietur paulo post.) Item interpretamentum erat, non varietatis adnotatio, quod libro II, 56, 2 sic codex archetypus scriptum habuit:

administraturum

eum vexandis prioris anni consulibus permissurum tribunatum credebant, ex quo in Med. et cod. Rhenani factum est: permissurum administraturum tribunatum (deinde in recentissimis, quod ferri duplex verbum non poterat: pertinacissimum administraturum tribunatum aut pertinacissimum admissurum tribunatum), in Par. (et Voss. 1) alio ordine: administraturum permissurum tribunatum (unde in uno recenti ortum: administraturum permissum tribunatum. Leid. 1, Harl. 1 multique deteriores hoc interpretamentum non habent). Prorsus autem eiusdem est generis, quod in libro X, 6, 3 sic dico

deducta

scriptum aliquando fuisse: plebem quietam exonerata in colonias multitudo præstabat, nisi quod consensus

---

[1]) Regredi et paulo ante regressos errore nata sunt. In ipsis confiniis Samnii et Campaniæ Samnitibus Romani occurrentes egredi illos suis finibus prohibebant, non regredi.

nostrorum codicum ostendere videtur, iam in codice eorum archetypo ex antiquiore huiusmodi adnotatione ortum fuisse: quietam et exoneratam deducta. (Contra in VII, 16
accepit
1 in archetypo nihil fuisse nisi scivit accepit aut scivit, ostendit cod. Mediceus; in ceteris est accepitque.) In plerisque autem huiusmodi locorum in codice nostrorum archetypo supra scriptum, non in ipso ordine perscriptum interpretamentum fuisse, ostendit, quod, cuius rei (18)
iam exempla posui (II, 56, 2, X, 37, 15), in aliis codicibus ante verbum Livianum ponitur, in aliis post id, scribarum, qui archetypum expresserunt, arbitrio. (Itaque male Hertzius ad III, 35, 7 putat, quod in huiusmodi locis ordine prius sit verbum, etiam origine antiquius esse.) Quid, quod interdum vox supra scripta ab uno et altero librario tantum singularum litterarum curioso voci Livianæ divulsæ media inserta est, ut III, 40, 7 in Par.
convenire
(prima manu): co comivere ire, hoc est coire, et X, 43, 12 in eodem: te prope mere, aut ei mediæ circumdata, ut X, 29, 7 in Med., Leid. 1: ve rarisque rutis.[1]) [Semel, quod quidem animadverterim, VI, 13, 3 in solis M et R sic adnotatur: credebat alibi cernebat.] Atque hæc duplex scriptura, hoc est, ut dixi, in plerisque locis interpretamenti supra versum adscriptio, multo latius in codice archetypo patuit, quam vulgo creditur aut fortasse aliquis nunc quoque putet. Nam aliquot locis ita in omnibus codicibus primariis et codicum familiis ipsa duplex scriptura superest aut eius vestigia, ut nemo dubitare possit, quin in codice archetypo fuerit; in multis aliis tantum in

[1]) Livium scripsisse: quibus plerisque in scuta rarisque in corpora ipsa fixis certum est vel ob plerisque et id, quod sequitur: magna pars integris corporibus; nihil agunt h. l. veruta pilis superaddita. Correctio prava hæc est, non interpretamentum.

codice Mediceo (quoniam de Rhenani cod. tacetur) et uno alterove præterea aut etiam in solo Mediceo duplex scriptura reperitur, ut suspicari aliquis, qui minus attendat. possit, eam his locis non in communi omnium nostrorum fonte iam fuisse, sed in aliquo codice inter illum et Mediceum interiecto primum ortam esse; nam in ipso Med. sic confuse additamenta mediæ orationi interponuntur, ut ibi primum adscripta nemo credere possit. Sed hæc quoque e codice ipso archetypo in Mediceum transisse, non solum ex eo apparet, quod nonnullis tamen locis ad alios quosdam
(19) codices a Mediceo diiunctos propagantur, aut quod prorsus eiusdem generis sunt atque ea, quæ omnium aut plerorumque consensu ad archetypum revocantur, sed multo certius manifestiusque ex eo, quod ex duplici scriptura codicis Medicei in ceteris, maxime Parisiensi et deterioribus, aliis locis verior, aliis deterior, hoc est, interpretamentum retinetur. Itaque quoniam interpretamentum initio coniunctum esse debuit cum vera scriptura ac postea demum ei solum substitui potuit, his quoque locis in aliquo codice, ex quo et Mediceus et Parisiensis ceterique orti sunt, hoc est, in cod. archetypo duplex scriptura fuit, sed librarii ceteri (præter illos, qui Med. et Rhenani codices scripserunt, aut illum, qui huius utriusque parentem) plerisque locis unam scripturam tenuerunt, aut eam, quæ in ordine esset, feliciter interpolationem vitantes, aut eam, quæ supra scripta, quod eam emendatiorem putabant.[1]) Atque hæc ita esse, apparebit, ne plura congeram, vel ex unius libri tertii locis ad

---

[1]) Si quis, hac descripta codicum cognatione:

cod. arch.
x — P. et ceteri
Med. (Rhen.),

in cod. x duplices illas scripturas ortas putat, quæ in Mediceo sunt, non potuerunt interpretamenta in x demum adscripta in cod. P. et ceteros transire, expulsa vera scriptura.

hanc quæstionem pertinentibus, quos infra indicavi.[1]) Uno, quantum memini, huiusmodi loco codex M solam veram (20)
scripturam posuit, omisso additamento, quod ceteri tenue-

---

[1]) Cap. 26, 5 nihil tam necinopinatum (Med., Harl. 1, Leid. 1, alii multi, quemadmodum I, 57, 7 in M R P aliis scribitur necinopinato; cod. Rhenani, hic a Med. discedens: nihil tam necopinatum, Par. nihil tam inopinatum, deteriores aliquot nihil nec tam inopinatum); ibd. 9 sat iam satisne salva essent omnia in salvem (Med., Rh., nisi quod hic in salvem omittit; inde Leid. 1, Harl. 1 satine salva omnia, alii satisne salva omnia, Par. a prima manu satin salve, a sec.: sne salva essent omnia); c. 31, 5 ab C. Calvio Claudio Cicerone (Med., Harl. 1; inde P. pravum tenuit: ab C. Claudio Cicerone, ceteri rectum: ab C. Calvio Cicerone, aut leviter ab hoc aberrant); c. 34, 5 inuasisse non iussisse (Med., Rh., cod. Neap. Latinii, Leid. 2, nisi quod hic iusse; Par. et deteriores multi rectum tenent non iussisse, Leid. 1, Harl. 1, alii non invasisse); c. 35, 7 obsequendo secumdando (M., Rh., omissa syllaba ob utrique vocabulo communi; obsecundo obsecundando Par. a 1 manu, a 2, ut Voss. 2, Gaertn., fragm. Hav. obsequendo obsecundando; ceteri solum rectius tenent obsecundando); c. 40, 7 conivere coire (M, quod apud Drakenborchium omittitur, co comivere ire P; Leid. 1 comivere, Harl. 1, alii conivere, deteriores aliquot convenire); c. 41, 4 non quid cui (M, e quo Drakenborchius tantum non quid affert, quod P, Harl. 1, Leid. 1 et ceterorum plerique habent, deterius sequentes, pauci recentes non qui; Rhenanus coniecturam secutus est; utraque scriptura in archetypo orta erat ex antiquiore non quoi); ibd. dimittit diremit certamen (M; de ceteris omnibus tacetur, ut credi possit, Medicei librarium suum ipsum errorem emendasse); c. 44, 4 amore ardens mens (Rh., amore ardens men Med., omissa littera s, ut 35, 7; Par. rectius tenuit amore amens, quod etiam in vett. edd. et, si recte traditur, in tribus Gronovii codicibus fuit; in ceteris amore ardens); c. 51, 7 acciaccenderat (M; Rhenanus coniectura codicis sui scripturam adiuvisse videtur; Leid. 1, Harl. 1, Florent. S. Marci, Voss. 2, Gaertn. accenderat, ceteri, inter quos P, Klockianus, acciderat, deterius secuti; etsi in archetypo fortasse in ordine id scriptum erat et verum emendando supra scriptum); c. 62, 2 consilio consulto collegæ (M et ed. pr. Rom., P consul consilto collegæ, supra scripto eadem manu consilio, deleto alia manu consul, ut efficeretur consilio collegæ, quemadmodum in quattuor Drakenborchianis est, in Leid. 1, Harl.

runt, X, 43, 12 (Eo ipso loco temere. P: Eo ipso loco te prope mere, ceteri: eo ipso loco prope te-
(21) mere, nisi quod in Leid. 1 et aliis transponendo factum est: Prope eo ipso loco temere).[1]) Restat ad cognoscendam codicis archetypi formam unius rei commemoratio. Nam quum in eo in marginibus paginarum frequenter argumentum narrationis Livianæ breviter adnotatum esset[2]), librarii, qui ex eo alios descripserunt, interdum errore, alii, ut fit, sæpius, alii rarius has adnotationes ipsi orationi Livianæ inseruerunt; plures quidem longe, quam ceteri, tenuerunt librarii codicis Medicei et Rhenani, vel potius librarius eius codicis, ex quo horum uterque ortus est, velut II, 36, 3, etsi aliis locis Rhenanus de suo codice tacuit, velut III, 41, 1, ubi ne Medicei quidem hæc adnotatio: Ferociores iterum coorti Valerius Valerius Horatiusque contra sententiam Maluginensis Horatiusque vociferari, apud Drakenborchium commemoratur. Atque is ipse librarius, quum antea unam alteramve husiusmodi adnotationem e margine orationi interposuisset, in libro septimo prope deliberato consilio id facere coepisse videtur (c. 3, 5, ubi tacet Drakenb., c. 15, 2 et 8—12, vid. Alschefsk. p. 185, c. 16, 6 et 9, c. 17, 2, 6, 7, 10, c. 18, 4, ubi tacet Drak., c. 19, 2, 4, 10, c. 20, 2 et 20); deinde

---

1, aliis consulto collegæ, ex quo prave factum consultu collegæ, quod contra Livii et omnium usum in editionibus retinetur; cum militum virtute unum comparari potest consilium et prudentia imperatoris; error ortus ex consilto pro consilio scripto). [Ex his locis in V sunt c. 26, 9; c. 35, 7; c. 44, 4; c. 51, 7; c. 62, 2; in omnibus verum simpliciter scribitur satin salve, obsecundando, amore amens, accenderat, consilio collegæ.]

[1]) [Etiam IX, 5, 7, ubi M ceterique in foveam lapsos, P, Klock., Ups. in foveam missos lapsos; tum VI, 24, 5 ML1 recte subiectus, H1 solus subiectus sublatus, P cum sua secta (Einsiedl., Ups.) deterius habet sublatus.]

[2]) [Quemadmodum in V ad initium c. 51 libri V adscribitur in margine: oratio camilli dictatoris ad p. r.]

errore animadverso, prorsus fere desiit; neque enim, si recte attendi, postea quicquam huius generis reperitur nisi VIII, 3 init. (*ambiguitate responsi quantos vincerimus inimicos*), c. 20, 3, c. 23, 10. In illo codice, ex quo hæc sparsa manserunt, perpetuam huiusmodi adnotationem fuisse, consentaneum est; idque de codice archetypo confirmat iam Parisiensis uno loco cum Mediceo in huiusmodi errore conspirans, III, 49, 5 (M: *Appius fugit*, P: *Appius figit*); multo autem certius idem ex eo conficitur, quod is librarius, qui codicem Harleiani prioris Leidensisque prioris et deteriorum longe ab illis diversorum parentem ex archetypo descripsit, subinde, sed aliis locis in eundem adnotationum marginalium orationi inserendarum errorem incidit. Nam VI, 8, 9 Leid. 1 et Harl. 1 cum Lov. 2 et 4 et Hearnii duobus interponunt: *Quemadmodum Satricum capiatur a Camillo*; VI autem 14, 12 (quæ adnotatio ad ini- (22)
tium cap. 15 pertinet et sic scripta olim fuit: *Cossi dictatoris regressus ad comprimendas seditiones*) cum Leid. 1 (nam de Harl. 1 tacetur sive recte sive conferentis culpa) coniunguntur Lov. 2, 4, duo Hearnii, in VIII, 9, 12, Leidensi 1 et Harl. 1 adiunguntur decem alii Drakenborchiani præter Oxonienses Hearnii (add. VIII, 31, 7, IX, 46, 12); nec quicquam aliud nisi huiusmodi adnotatio subest in verbis iis, quæ VI, 4, 1 in illis duobus et Lov. 2 interponuntur: *præmium ad nos* (fuit olim: *ad Romanos*) *venientibus*; pertinet ea ad § 4, ubi de civitate et agro transfugis dato narratur. Id dubitari fortasse potest, sintne ex archetypo derivata, quæ in paucis ac recentioribus restant, ut illud VII, 40, 4 *colloquium Valerii Corvi* in cod. Voss. 1, Leid. 2, Lovel. 1, ad quem locum Drakenborchius alia ex aliis codicibus commemorat.

Huiusmodi igitur fuit codex archetypus, et ipse multis locis mendose scriptus et non mediocrem errandi materiem præbens librariis, partim eiusmodi, quæ facile omnes deciperet (ut supplementa quædam supra scripta), partim eius-

modi, quæ tantum unum et alterum, ut comparatis diversæ stirpis codicibus error appareat. Libere igitur, sed caute et ad rerum sententiarumque probabilitatem et ad orationis legem usumque Livii exigenda sunt etiam, quæ testimoniorum consensu in codice archetypo fuisse cognoscuntur, omnisque ex hac re tollenda superstitio, etiam ubi ad codicum consensum accedit in eo, quod vitiosum iudicare cogare, lævis quædam formæ species.[1]) Ad codicis autem archetypi scripturam cognoscendam quoniam pervenitur eorum, qui ex eo derivati sunt, comparatione, de his quoque breviter et ad nostrum consilium accommodate quædam dicemus. Eorum præstantissimi omnium consensu sunt Vormatiensis (Borbetomagensis), quo B. Rhenanus in sex primis libris (ceteri enim defuisse videntur) usus est[2]), sed scripturas illius ætatis more tantum carptim indicavit, Mediceus (sæculi, ut traditur, XI), cuius quum I. F. Gronovius in altera editione excerptis usus esset, Drakenborchius (apud quem Florentinus appellatur) collatione a Salvinio parum
(23) plene periteque facta, Alschefskius plenius diligentiusque contulit, Parisiensis (n. 5725, Colbertinus), ab eodem Alschefskio primum adhibitus, hisque paulo inferiores Leidensis prior et Harleianus prior, quorum scripturas Drakenborchius vulgavit, Harleiani quidem ab alio excerptas; reliquorum, de quibus quidem accurate et plene traditum est, Drakenborchianos dico (etsi et omissas quasdam eorum scripturas nec in ceteris indicandis errorem omnem abesse suspicari

[1]) [Nihil ad hoc declarandum illustrius quam mendum nunc e libro IV, 24, 2 sublatum. Summus est enim codicum consensus, nec quidquam minimæ in oratione aut sententia offensionis præter unam illam gravissimam in communicatus sum pro communicavi. Reperta lenissima correctione et erroris causa in verbi rariore forma (sirint) ad permutationem (cum sint) facili, quis dubitare potest?]

[2]) [Ultima Rhenani adnotatio ad VI, 28 adscripta est. Eodem tamen codice in libris VII—X Gelenium subinde usum esse, non potest præfracte negari, etsi negat Drakenborchius vol. VII p. XXXV.]

licet), deterior est turba, communi aliqua interpolationis labe plus minusve depravatorum. De Gronovianis (præter Florentini excerpta) difficile est iudicium, nec tamen ullus valde excelluisse videtur; eorum, qui a ceteris commemorantur, ex reliquorum turba propter singularem quandam cognationem eximendus est is, quo M. Klockius (a. 1586) usus est, tum tres, quorum nuper aliquam notitiam ab Heerwagenio et Hertzio accepimus.[1]) Ac primi quidem bonitatis et integritatis codicum gradus qui sint, quod ad summam rem attinet, fere uno exemplo facili parvoque breviter significari potest, quod ex libro X, 19, 7 sumam.[2]) Nam ibi M P (nec dubitari de R debet) ipsam veram scripturam servant (duis), L1 et H1 leviter deflectunt (des), ceteri longius abeunt (dederis), nisi quod Voss. 2 idem, quod L1 H1, habet, Lov. 4 prope accedit (das). Sed et P ab M (R) seiungendus est et ab L1 H1 deteriores longius separandi.

Codicem M cum R prope gemino in sua ac separata archetypi stirpe ponendos esse, quæ neque ex ceteris quidquam traxerit neque quidquam ad eos transmiserit, ostendit horum duorum codicum in duplicibus scripturis e codice archetypo propagandis coniunctio et a ceteris seiunctio, ostendit summa communio adnotationum marginalium in orationem receptarum (velut in libro II, 36) omissis iis, quæ in alios codices manarunt, ostendunt menda omnibus apicibus similia,

---

[1]) [Frigellius Upsaliensis præter Mediceum, Parisiensem, Florentinum St. Marci contulit etiam codicem Vaticanum n. 3329, sæculi, ut putat, XI, ante ab A. Zumptio commemoratum, et Parisiensem n. 5724 (Floriacensem), quem sæculo X scriptum iudicat; scripturas præter paucas nondum edidit. Vid. Frigell, Livianorum librorum primæ decadis emendandi ratio, Ups. 1875 (40 pagg. 8). Upsaliensis, sæculi, ut putatur, XI scripturæ varietatem edidit Häggströmius (Excerpta Liviana, Upsal. 1875) idemque Helmstadiensis paulo Upsaliensi ætate posterioris, e quo nonnulla Wernsdorfius notaverat, in libris septem primis, octavo dimidio, decimo.]

[2]) Posthac his notis utar, ut M sit Mediceus, R̦ Vormatiensis Rhenani, P Parisiensis, L1 Leidensis prior, H1 Harleianus prior.

quorum in ceteris nullum vestigium est, velut quod in libro
(24) IV, 28, 2 pro eo, quod recte editur: *circumagenti se ad dissonos clamores ac subitos tumultus hosti* (ex quo in PL1H1 aliis factum est minima aberratione *circumagentes ad* etc.), in illis duobus solis codicibus scribitur: *agentes ad dissonos clamores ac subitos circum tumultus hosti*. Itaque uterque codex transcriptus erat ex uno e communi archetypo orto, tanta propinquitate, ut miraturus non fuerim, si quis suspicatus esset, ipsum codicem Vormatiensem Florentiam aliquo casu devectum nunc Mediceum appellari; sed eam suspicionem facile refellerent minores aliquot discrepantiæ, velut satis insignis in libro IV, 32 init. cum ipso communionis indicio coniuncta; nam adnotatio marginalis horum codicum propria sic interponitur, ut in M præterea omittantur verba *ingens erat accito exercitu*, quæ in Rhenani erant, bisque ponatur *abeis* (a *Veiis*); plures eæ discrepantiæ essent, si sæpius et distinctius Rhenanus codicis scripturas posuisset. Sed quoniam Rhenani codex raro commemoratur, et separatio huius stirpis a ceteris et universa proprietas plenius clariusque in uno M demonstrari potest. Atque ad seiunctionem stirpis declarandam nihil magis perspicuum esse potest quam transpositiones duæ foliorum aliquot, quarum in ceteris nullum est vestigium. Nam quæ a libro VII, 4, 6 (*naturæ damnum* cet.) ad 14, 8 (*quam ab se ac* —) leguntur, ea in M suo loco omissa (ubi in margine recentiore manu adnotatur: *non continuat novum et multum deficit*)[1]) postea interponuntur in cap. 25, 4 inter syllabas vocabuli *An — tiatis*; quæ autem libro IX leguntur a cap. 14, 2 (*audita perinde*) usque ad finem cap. 22 (*Plistica per*), ea omnia translata sunt in cap. 40, 20, divulso vocabulo

[1]) Recentiore manu hæc scripta esse h. l. Alschefskius non dicit, sed ad libr. IX, 14, 2 similem adnotationem quarta manu (nec librarii nec primi alteriusve correctoris) scriptam esse ait.

amici — tiam; in margine adnotatur multum deficit.[1]) (25)
Est præterea satis magna in codice M lacuna inde a III, 27, 1 ad c. 28, 7 (dicit L. Tarquitium — proelio coepto, ne), quo loco ceteri omnes integri sunt.[2]) Solus etiam III, 37, 5 quattuor verba omittit propter modo bis positum, IX, 4, 14 duo (ac prodimus). Certat autem in hoc codice cum magna religione non minor imperitia, quamquam, ut nunc res est, quid huius ipsius codicis librario, quid communi eius et Vormatiensis parenti debeatur, iudicari nequit; accessisse in extremis libris videtur aliqua ex tædio neglegentia, ubi, ut adnotationes marginales in aliqua parte libri septimi tam sæpe orationi immixtas taceam, non ita pauca eiusmodi monstra librarius scripsit, quale illud est in VII, 33, 10: recte dicant (erectæ micant) aut in VIII, 6, 11: partemderetur alteruter consulum facta implebe (portenderentur, alteruter consulum fata impleret) aut in VIII, 10, 9: seme nocturnas (se
Minturnas), arrepta tantum, quæ se animo offerebat, Lati- (26)
narum et notarum vocum specie. Sed propter illam religionem cum antiquitate archetypum prope contingente con-

[1]) Priorem transpositionem Salvinius omnino non commemoravisse videtur; neque enim ullum rei vestigium apud Drakenborchium est, scripturæ varietatem e Florentino ordine persequentem, nisi quod c. 25, 4 in eo scriptum esse dicitur litore sannaturæ Actiatis, quasi una vox naturæ, non decem capita ibi interposita fuerint. Altero loco ad IX, 14, 2 Drakenborchius adnotat, omitti in Florentino omnia usque ad c. 22 extr., atque ad huius capitis finem adscribit, finiri lacunam, nec in mediis capitibus ullam Florentini scripturam ponit, miraturque ad c. 15, 7 a Gronovio Florentinum commemorari. Itaque Salvinius quum in c. 40 in ea, quæ prius omissa erant, incidisset, non agnovisse nec contulisse videtur. Sed in suis ipse codicibus Drakenborchius transpositionem, si ibi fuisset, animadvertisset; nec in P quidquam turbatur.

[2]) Duæ sunt intra huius lacunæ spatium Rhenani emendationes, quas si e codice sumpsit, lacuna unius M propria fuit, cuius tamen folia deesse Alschefskius non significavit. Sed Rhenanus in neutra emendatione codicis auctoritate utitur estque utraque eiusmodi, quæ coniectura facile reperiri potuerit.

iunctam summa est huius libri auctoritas, primæ scilicet manus, ceterisque, si cum singulis comparatur, præferenda omnibus; nec raro is solus (quoniam de Rhenani tacetur) aut verum aut veri vestigia proxima servat aut saltem mendi originem ostendit, cuius rei exemplum unum et alterum, quod celeriter quærenti occurrerit, ponam. In eo enim solo (e notis, Rhenano tacente) I, 47, 12 recte scribitur: unde, ubi vellet, egentissimis largiretur, ceteri unde omittunt[1]); is solus II, 27, 9 recte habet: metusque omnis et periculum, cum in conspectu consulis singuli a pluribus violarentur, in creditores a debitoribus verterant, excluso, quod in ceteris prave post periculum additur, libertatis; nam libertas creditorum nullum periculum subibat; (Rhenanus prima verba ita describit, ut libertatis servet; de codice nihil dicit;) III, 59, 3 M et R soli primam mendi formam habent (placet et cum, geminata postrema verbi syllaba; in ceteris et transpositum est); III, 64, 3 vestigium veri unus M habet (factionis); IV, 44, 12 verum servat pusillo mendo addito (eam am ampliatam, syllaba, quæ bis scribi debuit, ter scripta, ex quo in aliis factum famam ampliatam; in P eam excidit ante am); IV, 51, 8 in uno M est ipse agerque, ex quo Alschefskius recte fecit urps agerque; in ceteris ipse ager, pronomine prorsus vitioso; V, 46, 5 solus ex notis verum habet (corpori valido, PH1 L1 Klock., Lov. 1 mendose corpori valitudo, ceteri interpolate corpori valetudinario, adiectivi forma, quæ requirebatur, effecta, sententia nulla); VII, 1, 8 vero proximum tenet (quamui; H1 L1 alii quam nemo sic, P quam, sublato veri vestigio); VIII, 39, 9 pro Pedes restantes M geminatis tribus litteris habet pedes res restantes, unde in ceteris factum pede-

---

[1]) Quod Drakenborchius Hearnium unde in Oxoniensi aliquo codice repperisse scribit, fieri potest, ut coniectura additum fuerit; multo tamen probabilius est Hearnium errasse, quod fecit sæpissime.

stres restantes; IX quoque, 30, 3 primam mendi formam præbet (duosferia, a manu pr., ceteri interpolate duo imperia, quod in M secunda manus adscripsit), X, 45, 12 ipsum verum (nec obsidio sed bellum, ceteri vitiose nec obsidio nec bellum). Omnia tamen facile superat merita, quod VIII, 23, 10 unus indicium facit lacunæ, verbis iis, quibus in ceteris omnibus occultata est, tantum in margine adnotatis, quemadmodum in codice archetypo adscripta fuisse videntur; ceteri librarii in contextam orationem receperunt.[1]) Sed in his tantis meritis tamen haud raro propria menda erroresque inscitia ortos habet (ut II, 24, 6, quo minus se in omnis sedendi pro quo minus ei nominis edendi[2]), 42, 6 cum R perversum illud favoris in multitudinem, quod præter Alschefskium miror Hertzium secutum esse, pro furoris in multitudine, quamquam favoris in archetypo fuisse etiam L1H1 testantur, III, 13, 4 cui pro cui rei, c. 35, 10 cum R improbant pro improbabant, quomodo in recentissimis aliquot iterum erratum est, c. 36, 6 quæ sui iudicii quæ videri, male repetito quæ, 37, 6 obsedebant pro obsederant, c. 44, 6 cum R tabernaculis pro tabernis, c. 46, 3 cum R iusto die pro ius eo die, in quem errorem etiam incidit librarius L 1), in postremis quidem libris plures, opinor, gravioresque quam P, quorum supra exempla tria posui, addam unum, quod recentissimos editores decepit, VIII, 18, 7.[3]) (27)

---

[1]) In IX, 39, 4 etiam PL1 et unus et alter præterea carent verbis insiticiis, nisi quod P in margine adscripta ea habet.

[2]) P a vero tantum una littera geminata aberrat: quo minus ei nominis sedendi.

[3]) Rectissime ibi in reliquis omnibus codicibus scribitur: et coquentes quasdam medicamenta et recondita alia (quæ iam cocta erant) invenerunt. In M, præterquam quod propter litteras am bis positas scriptum est quasdammenta, geminatione litterarum ita factum est (addito v ad Latinum vocabulum efficiendum) recondita vitalia, quod quum tam esset absurdum, ut uni Alschefskio probari posset, substituerunt nuper recondita

(28) Interpolationis, quæ quidem proprie dicitur (nam illud Latinas voces qualescunque efficiendi studium non numero), rarissima vestigia sunt nec tamen nulla. Nam [præterquam quod IV, 35, 10 et V, 3, 2 omittuntur litteræ, sub quibus in reliquis varie corruptis latent os et Quirites] VI, 2, 5 quum Livius scripsisset, quod in deterioribus codicibus nonnullis coniectura restitutum est et quum olim tum post Gronovium ad nostra tempora editum: placuit eisdem auspiciis defendi rem publicam, quibus recuperata esset, pro eiusdem hominis auspiciis dicens eadem, atque inde in codice archetypo una littera — calami an animi errore, dicam? — addita, ortum esset, quod in PH1 mansit: eiusdem auspiciis — quibus, in ML1 aliis factum est: eiusdem auspiciis — cuius idque nuper probatum, quam formam si Livius secutus esset, aut hominis aut viri addidisset.[1]) Admodum etiam suspectum est, quod X, 13, 3, ubi in ceteris codicibus omnibus est: exercitum Lucanum hostem comparatum, M unus habet: exercitum adversus Luc. h. comp. Videtur enim potius, quod Gronovius intellexit, in post m excidisse.[2]) (De altera manu codicis M, quæ interdum levia menda recte sustulit, interdum interpolando graviora reddidit, nihil dici opus est.) Unum superest, quod ad M pertinet, commemorandum, in antiquis sæculi quinti decimi editionibus, ad

letalia, poetica voce in Livii orationem illata et nove pro substantivo posita, nec tamen aut animadverterunt, ut illa, quam volunt, efficeretur verborum coniunctio, dicendum fuisse: coquentes quasdam et medicamenta et recondita letalia, aut dixerunt, quæ essent letalia a medicamentis (φαρμάκοις) separata. (§ 8 sola medicamenta commemorantur.) Tantum errorum peperit superstitiosa optimi codicis veneratio.

[1]) [eiusdem...cuius etiam V, nec tamen muto iudicium, nisi quod bis eadem facta correctio est.]

altus

[2]) In X, 9, 8 in archetypo fuisse arduus atque in parte una præceps, apparet, quod cum M in addendo altus consentiunt L1 et sex septemve deteriores. P recte prætermisit.

quas tractandas otium mihi non fuit (copiam enim satis amplam præbuissent bibliothecæ nostræ), raro sparsa apparere vestigia quædam codicis Mediceo et Vormatiensi exigua ex parte similis. Nam ut omittam V, 46, 5 omni tempore editum esse, quod ex codicibus notis ille unus habet, corpori valido (potest enim coniectura ea esse), nonnullæ ibi sunt duplices scripturæ, quæ præterea in solo M repertæ sunt, ut III, 62, 2 consilio consulto in ed. (29)
prima Romana, VI, 12, 1 induci indictum in aliis, in aliis indictum induci, VII, 2, 11, ubi M habet unde exodia que exordia, in aliis prorsus idem, in aliis unde exodia, quæ exodia. Quæque IV, 32, 1 in MR est adnotatio ex margine suscepta (hostibus positis ad Fidenas), VII, 16, 9 in M (prohibitum — ferri), earum utraque in antiquis quibusdam editionibus reperitur. (Neapolitanum quoque Latini Latinii codicem quædam habuisse ex iis, quæ alioquin M propria sunt, apparet in III, 35, 5, V, 17, 1, VII, 2, 11.)

Proximus Medicei auctoritati Parisiensis est, cui sæpe adhæret Klockianus, ceterum ex deterioribus, cuiusque in secta Hertzio ponendi videntur cod. Bambergensis in libro primo ab Heerwagenio collatus et Einsiedlensis partes libri I, IV, VI, librum V integrum complectens, cuius scripturas Hertzius ab Hauptio accepit; ipse de iis pro certo iudicare nequeo, quum Heerwagenii libellum non viderim, alterius paucas scripturas noverim.[1]) Is codex (P) interdum cum M (et R) propius coniungitur, velut in VIII, 31 is quoque (cum Klockiano) in § 5, omissis quinque verbis, e § 7 sex alia verba præcipit et eorum loco inserit, cuius transpositionis nullum in ceteris codicibus vestigium est (sed tenue

[1]) [Bambergensem Parisiensis sectam a reliquis seiunctam prorsus sequi, apparet vel ex I, 45, 2 (uel tantum, ut tantum), 49, 3 (om. ad ius regni), 58, 2 (ductus) et 3 (ex omni pro ex somno). Eiusdem prorsus sectæ Upsaliensem esse, non paulo Parisiensi inferiorem, et Helmstadiensem, multo deteriorem, Häggströmius demonstrat.]

aliquod in veteribus editionibus ex obscuro illo fonte, quem paulo ante demonstravi); sed solus M (R?) omissa prius verba postea illorum, quæ ex § 7 transposita sunt, loco inserit, P et Klock. prorsus omittunt. Ceterum et ab M et ab H1 L1 seiungitur P non solum, quod in eo non sunt, quæ illi in lacunis, transpositionibus, duplicibus scripturis, adnotationibus e margine receptis propria habent, sed etiam suis peculiaribusque erroribus ad indicium perspicuis et certis, qui quoniam in deteriores non transierunt, hi quoque ab illius stirpe segregantur. (Exempla e libro X sumantur; in c. 37, 10 et 11 septem verba bis scribuntur; c. 40, 5 novem verba omittuntur; c. 45, 9 et 10 quindecim propter Herculaneum bis positum; c. autem 14, 6—10 apparet
(30) aut defuisse in eo codice, unde descriptus hic est, aut errore prætermissum fuisse folium fere 580 litterarum. Horum omnium in ceteris codicibus [exceptis iis, qui nuper protracti sunt ex propria Parisiensis secta,] non magis vestigium est quam , ut alius generis unum exemplum ponam, eius erroris, quo IV, 10 extr. pro nulla mentio in P scribitur nunc lamentatio.) Adnotationes in margine codicis archetypi scriptas librarium codicis P (aut eius, e quo hic descriptus est) prudenter prope omnes vitasse, supra significavi posito uno brevissimæ adnotationis exemplo, quæ in hunc quoque venit, III, 49, 5. Id quoque significatum iam est et libri tertii exemplis declaratum, ubi in codice archetypo aliquid supra scriptum esset, in P plerumque alteramutram tantum scripturam retentam esse, interdum deteriorem, alibi veriorem; exempla, præter ea, quæ iam supra posita sunt (in deteriorem partem III, 31, 5 et 41, 4 et 51, 7, in meliorem III, 34, 5 et 44, 4), pauca subiiciam; nam IV, 6, 3, ubi in MR est consensere (M consenserere) concessere, P cum L1 H1 ceterisque omnibus deterius tenuit, consensere, et IV, 15, 6, ubi in M est: bilibre libris farris, cum iisdem bilibre farris; contra VII, 14, 1 P recte habet censebat cum Lov. 1, ubi in

ceteris aut cernebat censebat est, ut in M, aut errores inde orti; agitur de iudicio boni malive, non de perspiciendo; X, 9, 8 cum aliis paucis tenet: arduus atque in parte una præceps, ubi ML1, ceterorum plures: arduus, altus atque — præceps; X, 32, 4 cum Voss. 1, Leid. 2, Lov. 1, Gaertn.: ubi et vastare, non: ubi et intrare vastare; X, 37, 15 (cum L2 leviter aberranti): locus templo effatus. Servavit autem etiam alibi interdum P veram scripturam eique auctoritatem facit aut solus e bonis cum deteriorum stirpe, ut II, 42, 6 (gratuiti furoris in multitudine contra MRL1H1) et notabiliter VII, 24, 9, ubi in ML1H1 ob bis positum exercitum duodecim verba exciderunt, quæ P cum deteriorum plurimis tenet, aut prorsus solus, ut I, 12, 6 (monumento, a manu priore; nam altera monumentum substituit, quod in ceteris est), et III, 39, 4 (nec nomen is homines tum pertæsum esse, hoc est, nominis; Klockianus habuit nomen his, Lips. nomen hiis, Gaertn. nominis huius, ceteri et boni et deteriores nomen); sed non raro præter proprios errores (31) aut cum deteriorum turba aut cum aliquot ex ea peccat (ut VI, 37, 2 auxilium pro alium cum Voss. 1, Leid. 2, Lov. 1, Klockiano; in Lov. 1 tantum alio ordine patribus auxilium erat).[1])

Sæpius tamen ad deteriores inclinant, ipsi haud dubie inter bonos et præstantes habendi, L1 et H1 (hic tantum octo libros continens), qui quam sint cognati, ex eiusmodi mendis communibus nec ad ullos præterea propagatis intellegi potest, quale hoc est in VI, 18, 15: ad opinionem

[1]) Lib. III, 54, 10, ubi omnes codices in ordine scriptum habent convertunt inde signa, in margine R et P ponitur convellunt idemque in antiquissimis editionibus est. Unde orta et quomodo propagata hæc scriptura sit, quæ recte præfertur, nescio. Quod VIII, 23, 10 et IX, 30, 3 (imperia) in P ceterisque in ipsa oratione leguntur, quæ in Medicei margine a secunda manu adscripta sunt, non hinc in reliquos ea transisse (P quidem ipso Mediceo antiquior esse creditur), sed ex aliquo ceterorum a manu secunda in M addita esse, apparet.

de ea (L1 dea) pro ad optinenda ea. Idem demonstrant simulque hos sua stirpe, et ab M R et a P separata, ab archetypo ortos esse et per se testimonium facere declarant adnotationes e margine susceptæ, quas aut in his solis aut in his et deteriorum aliquot reperiri, paulo ante, ubi de toto hoc genere exposui, commemoravi. Ac quamquam, ubi ab M et P aut soli discedunt aut contra illos ceteris adiunguntur, fere in deterius vergunt, est tamen, ubi aut vera aut verorum vestigia illic obscurata hi servarint; cuius rei tria sunt memorabilia exempla, primum in II, 15 init., ubi apertiora in his, Florent. S. Marci, deterioribus, tenuia in MR, nulla in P vestigia sunt omissi consulum paris (L: Purius Lucretius inde et T. Ermenius P. Valerius Publicola consules; H: P. Lucretius Titus Hermenius P. Valerius Publicola coss.; M: Spurius Publius Lucretius inde et P. Valerius Publicola coss., P autem: P. Lucretius inde et P. Valerius Publicola coss.)[1]), alterum in V, 52, 11, ubi M P tantum Locutio habent, in his autem duobus et deterioribus aperta sunt alterius nominis (Aio) vestigia (Allocutio, Allocutionis, similia)[2]), tertium in X, 35, 17, ubi verba aptissima segniter arma capit, quæ addere de suo nemini in mentem venire poterat, (32) in MP exciderunt propter segniter bis positum (etiam in Lov. 2 et edd. quibusdam veteribus), in L1 ceterisque servantur.[3]) In V, 15, 11 solus Harl. 1 cum parte deteriorum

[1]) [Quod fuerunt, qui Nicomachiana recensione par illud consulum sublatum esse scriberent, perversissimum est, quoniam vestigia in ipsis Nicomachianis codicibus emergunt. Quum in cod. archetypo scriptum esset: Sp. Larcius inde et T. Ermenius, P. Lucretius inde et P. Valerius coss. facti, librarius aberravit a Larcio ad Lucretium, deinde se retraxit nonnihil, sed ita perturbata scriptura, ut, qui ei successerunt, unum par efficerent.]

[2]) In c. 50, 5 iam in cod. archetypo litterarum earundem aut similium concursus (novauiaaiolo —, quum præsertim I et I simillima essent) effecit, ut Aio excideret.

[3]) [In V, 52, 13 hi et dett. servarunt vestigia (fas, eos) pronominis eas, quod in MP abest, in Veron. exstat.]

(L1 et inter deteriores Lov. 1, 3, 4, Vossiano utroque cum MP conspirantibus) necessariam negationem tenet (desertūros non esse), in V, 18, 7 solus Leid. 1 (etsi in ipso præcitavere scribitur) cum uno et altero præterea (Portug., Haverc. e Drakenborchianis, duobus Hearnii) recte habet: præcipitavere in insidias, ceteri præcipitavere se in insidias, quod, etiamsi concedatur dici præcipitari in insidias, qui ipse incidat (non dici autem, disputabo ad VII, 6, 9), manifesto vitiosum est; sic enim dicitur, quasi tribuni militum se ipsi data opera in insidias coniecerint. In uno et altero loco correctio felix adhibita esse potest, ut V, 15, 11, de quo loco dixi, et III, 37, 5, ubi in H1 et uno Portugallico recte scribitur: id modo plebes agitabat, in L1 plebe, in ceteris plebem; in M verba plebes agitabat quo modo exciderunt propter modo bis positum. (Scelus enim et cura agitare aliquem potest; id me agitat, quonam modo efficiam, Latinum non est).[1]) Cum Leidensi priore maxime consentire codicem (33)

---

[1]) In libro VII, 37, 2, ubi in MP deteriorumque longe pluribus scribitur constanter: singulis bubus binisque tunicis, in qua scriptura nihil desideratur, L1 H1, adiunctis Voss. 2 et Lov. 3, habent: singulis bubus privisque binisque tunicis, fragm. Hav. privis binisque (unde edd. vett. quædam prius binisque); in margine P adnotatur privisque tunicis. Hinc Gelenius fecerat binisque privis tunicis, ordine mutato, vocabulo privis inutiliter et vitiose abundante. Non melius Alschefskius scripsit singulis bubus privisque tunicis, ridicula prorsus copulatione usitati vocabuli et antiqui, ut boves singuli essent, tunicæ autem privæ, hoc est, singulæ. Si quid efficiendum esset ex illa scriptura, recte Weissenbornius vidit, scribendum esse bubus privis binisque tunicis, ut singulis adscriptum in codice archetypo putaretur ad privis describendoque in MP ceterorumque fonte substitutum. Sed neque ullo modo probabile est, in L1H1 servatam esse duplicem scripturam, in M tantum interpretamento retento, præsertim etiam deterioribus codicibus ab L1H1 dissentientibus, et ipse locus, quo singulis ponitur, a privis separatum, repugnat. Nihil igitur nisi error subesse videtur.

S. Marci Florentinum Hertzius iudicat, qui eius scripturas habuit a Keilio enotatas.

A codice aliquo cum L1H1 et cum P cognato[1]) orti deteriores codices sunt, errando, corrigendo, audacter interpolando longe ab origine deflectentes; sed ea interpolatio partim communis est, ex uno fonte derivata, partim singulorum aut quorundam ita propria, ut tamen transferendo in alios misceatur; quæ quousque progressa non raro sit, satis erit uno exemplo declarasse; nam in libro IX, 7, 7 (publica auctoritate consensum in omnem formam luctus est) quum pro consensum alicubi scriptum esset consensu, hinc in Sigonii codice, Palat. 2, Oxon. Hearnii, Harl. 2, Gaertn., Haverc., fragm. Haverc. (2 man.) natum est: auctoritate consensuve in omnem formam luctus populus versus est. Minores stirpes cognationesque et propter eam, quam dixi, interpolationis confusionem difficile est distinguere nec operæ pretium, quia prorsus improbabile est, quidquam veri ex ipso codice archetypo in his servatum esse, quod in triplici meliorum stirpe (MR, P, L1H1) oblitteratum sit, nedum, si quid eiusmodi sit, agnosci et pro certo testimonio accipi possit. Corrigendo ut plurimis locis aberratum, ita interdum minora menda recte sublata sunt, cuiusmodi est, quod IV, 13, 10 in Harl. 2, Portug., Haverc. vere scribitur, iure M. Hauptio aliisque probantibus: Quæ postquam sunt audita, et undique primores patrum et prioris anni consules increpare, quod cet.; in codice arche-

[1]) VI, 11, 9 et 10 undecim verba in L1H1 omissa omittunt Voss. 2, Lov. 2, 3, fr. Haverc.; de ceteris siletur, nisi quod in Gaertneriano constat verba fuisse; VIII, 33, 19 octo verba in L1H1 omissa desunt etiam in Voss. 2, Lov. 3, 4, Gaertner., fr. Haverc.; VII, 24, 9 duodecim verba, quæ in ML1H1 desunt, omittunt etiam Voss. 2, Lov. 3, fr. Haverc., reliqui dicuntur habere, et sunt in P; X, 29, 17 quinque voces in L1 omissas omittunt etiam Voss. uterque, Lov. 1, 2, 3, 4, Portug., Gaertn., Haverc., Oxon. Hearnii. Silentio eorum, qui contulerunt, confidi nequit.

typo (MPL1H1, deterioribus ceteris omnibus), prave accepto priore et, pro infinitivo historico substitutum erat increparent, ut ad postquam referretur. Quædam huiusmodi aut etiam minora in Lov. 4, Gaertn., fragm. Haverc., Portu- (34)
gallico reperiri, in editiones etiam recepta, meminisse videor. Alibi iure offensus est corrector, ipsa correctio minus felix est, ut IV, 6, 1, ubi in Voss. 2, Lov. 3 post vertisset additur et consul; nam subiectum verbi respondit male deesse manifestum est; sed Livius nomen ipsum alterius consulis posuisse videtur; et prorsus pravum est.[1])

Ex his igitur codicibus ita comparatis, ut et dignitatis præstantiæque ratio habeatur et consensus dissensusque et quæratur, quam scripturam ex qua ortam esse probabile sit, reperitur, quid in codice archetypo fuerit; reliquum negotium positum est, ut dixi, in codicis archetypi scriptura ad rem, sententiam, orationem Latinam, Livii usum exigenda et, si quid discrepat, indiciis et notis veritatis persequendis, in excogitandis, quæ iis apte conveniant, probabilitateque iis, quæ nominavi, momentis examinanda.

[Sed a. 1860 standum in his primis decem Livii libris erat sola fide codicum Nicomachianorum; nam de codice palimpsesto Veronensi (V), quem unum extra illam stirpem esse suspicari poteramus, tam pauca nota erant (ex A. W. Zumptii libello a. iam 1859 edito de Livianorum librorum inscriptione et codice antiquissimo Veronensi, quo a. demum 1861 usus sum, et ex particulis duabus brevibus iam ante a Detlefsenio editis), ut de genere eius iudicari vix posset, usus eius in oratione constituenda perexiguus esset. Sed a. 1868 Theodorus Mommsenius, V. Cl., quicquid illis foliis palimpsestis continetur (continentur autem partes magnæ libri III, IV, V, aliqua etiam VIti),

---

[1]) Lov. 4 in libro septimo octavoque (de superioribus non memini nec notavi) aliquoties solus cum M consentit, in rebus fere minutis aut scripturis dubiis aut vitiosis (ut VIII, c. 17, 2, c. 24, 3), semel et iterum cum bonis omnibus, ut c. 19, 7 et 8.

quatenus quidem legi poterat, summo studio curaque a se exscriptum ea fide eaque forma in academiæ Berolin. commentationibus eius anni generis historici et philologici edidit, ut ipsa folia ob oculos habere videamur. Atque eum codicem, cuius hæc supersunt folia, qui aut ipso Nicomachorum tempore aut paulo ante postve id scriptus erat, nihil cum eorum recognitione coniuncti habere neque quicquam inde traxisse, ut ipse iam ex specimine a Zumptio proposito intellexeram dixeramque in præf. partis alterius vol. I Livii, ita nunc omnibus perspicuum est intellegiturque facillime comparata in iis locis, in quibus ceterorum codicum cognationis indicia varii generis exposui, quatenus in cod. Veronensi supersunt, eius scriptura; quem autem cum Nicomachianis comparatus locum teneat usumque habeat, de eo ut satis sit breviter dicere, facit prudens rectumque Mommsenii iudicium (maxime p. 184 ima et 185 summa). Nam mendorum e librariorum festinantium neglegentia ortorum labes etsi eum etiam codicem, quem Nicomachi recensuerunt (hoc est, transcriptum ad exemplar propositum exegerunt adhibita fortasse hic illic coniectura minime subtili), non mediocriter attigit, tamen gravior in illum alterum (ipsum aut eum, e quo descriptus est) incubuit omnibus errorum generibus (quorum nonnulla in illa ætate multi mirabuntur, ut consulib. tantissimo pro constantissimo scriptum III, 35, 9 aut qui fuit pro quievit III, 51, 7 aut simplicitatem interpolandi, quæ V, 50, 5 ex Aio Locutio effecit aut alio loco), etiam omittendo, geminando, rarius addendo, ut bene nobiscum actum sit, quod potius ex Nicomachiano quam ex Veronensi aliove ei proximo hi Livii libri ad nos propagati sint. Sed tamen (præterquam quod Veronensis ab omni novicia interpolatione longe ipso tempore remotus principum ex ceteris in hoc genere præstantiam et autoritatem confirmat), quod labes genere eadem tamen maximam partem aliis locis Nicomachianum, aliis Veronensem maculavit, multa, quæ

in communibus codicibus ex illo ortis mendose scripta sunt, in Veronensi recte scribuntur, alia minora, partim eiusmodi, quæ pridem coniectura correcta esse vulgo non animadvertitur, alia maiora, in quibus virorum doctorum emendationes confirmantur, etiam complures nostræ[1]), nonnulla, quæ suspecta tantummodo uni pluribusve fuerant, quædam, quæ nemo suspicando attigerat, in quo genere eminent quum supplementa duo plurium verborum (IV, 25, 4, V, 53 init.), unum unius (IV, 26, 12), tum omissum in III, 56, 12 additamentum et servatum V, 41, 3 antiquum rarumque pontificis maximi nomen, cuius in Mediceo eiusmodi vestigium superest, ut post codicem Nicomachianum interpolatione alterum subiectum appareat. (Etiam in V, 7, 13, equis suis merere, in solo M tenue vestigium veri manserat.) Itaque etsi ex longo ordine, quem Mommsenius p. 185 sqq. explicat eorum locorum, in quibus solus Veronensis verum servarit, nonnullos subtrahendos puto (de uno quidem, quem is maxime amplexatur, III, 65, 1, valde dissentio), tamen permagnus ex illo codice fructus ad Livii orationis integritatem expoliendam perceptus est (a nobis in altera editione librorum quinque primorum et sexti) vehementerque dolendum, quod non per totos libros neque per omnes eius testimonio ad ceterorum fidem examinandam utimur. Sunt alii loci, in quibus quum et Nicomachianorum codicum et Veronensis scriptura orationi et sententiæ satisfaciat, maxime proclivitas ab altera ad alteram aberrandi ponderanda est aut, si nulla sunt in alteramutram partem rationum momenta, secundum Nicomachianos et traditam receptamque formam dandum, ut III, 6, 6 referentes retinuimus, V reportantes habet. Sed sunt etiam loci, ubi Nicomachiani et Veronensis in manifestissimis erroribus,

[1]) Uno et altero loco mendi a me perspecti aliam correctionem cod. ostendit, ut III, 65, 6 (quoque), V, 55, 1 (eos, quod in præfatione Livii vol. I notaram, V tollit).

partim pusillis, conspirantes ostendant, qualia menda quam mature non in uno aliquo codice casu oriri, sed plures omnesque pervadere potuerint (velut in particulis libri tertii 7, 6 Rutilius pro Rutilus, 7, 8 auctoritate publice vocati pro a. publica evocati [V vocat], 18, 11 ampliore ferretur pro ampl. efferretur, 21, 4 senatum consultum pro senatus cons., ibd. 6 peccatis pro peccate, 24, 3 dixerat pro dixerant [V etiam dicens pro diem], 26, 12 in ipso pro ipso, 27, 1 L. Tarquinum pro L. Tarquitium, 29, 7 Lanuvium exilium pro Lan. in exil., ibd. Fabius Quinctius pro solo Fabius, 34, 8 appellatione pro appellationi, [sed 42, 4 V recte certamini pro certamine in ceteris,] 35, 9 contionem [M contentionem] pro coitionem, al.). Itaque his admoniti ne aliis quidem locis certæ et necessariæ rationi contra hunc consensum parere dubitabimus, ut III, 56, 12 (quod pro quam, ubi causa male additum V tollit) aut IV, 25, 7, etiam in additamentis tollendis IV, 21, 6 (metum, quod Faber damnavit), V, 53, 5 (quam), VI, 6, 8 (dictatorem). Verum hæc nunc sufficiant de adiumento post primas nostras curas Livianas adiecto.[1])]

Livium post Rhenanum, Gelenium, alios stataria opera ac perpetua recensendum sibi sumpsit sæculo septimo decimo Io. Fred. Gronovius, vir ingenio, iudicio, eruditionis in Latinis litteris copia præstans, arte nondum aut quod ad rem grammaticam attinet aut in critica factitanda plane perpolitus, plurimisque egregie e codicibus et coniectura emendatis, eam constituit Livii orationis formam, quæ ad nostram ætatem fere servata est. Eius vestigia legit auctoritatemque merito amplexus est, materiam amplam plenamque exposuit et ex optimis codicibus et ex deterioribus Drakenborchius, homo sedulus ac diligens, iudicio recto, sed

[1]) [Hæc de codice Veronensi paucis mutatis ex præfatione Livii librorum quinque primorum iterum (a. 1873) editorum huc transtuli; nam et necessaria mentio erat nec ulla causa, cur, quæ semel considerate scripseram, verbis variarem.]

minime acuto, ingenio ad occulta et obscura invenienda exiguo, Latini sermonis rerumque grammaticarum sensu subtiliori, quod in Burmannianæ disciplinæ alumno exspectari poterat, destitutus, quod satis ipsius oratio novicii semper coloris et crasso contexta filo ostendit. Multa Drakenborchius a Rubenio, Antonio et Iacobo Perizoniis, patre filioque, Roëllio, Dukero, cuius ad omnes Livii libros adnotationes edendas accepit, etiam sine perpetuo codicum usu plenave cognitione subtiliter et eleganter excogitata in commentariis posuit. Eodem fere tempore minore mole (35)
apparatuque Livium Creverius edidit, recti elegantisque iudicii homo, qui non ita pauca acute emendavit, subsidiorum, quæ Lutetia ei subministrare poterat, nimis incuriosus. Hos exceperunt ex iis, qui in numerum veniunt, nostro sæculo Kreyssigius et Bekkerus, quorum uterque alienorum inventorum delectu prudenter habito multa, quæ apud Drakenborchium in notis delitescebant, iure in contextu posuerunt, ipsi in prima et tertia decade e codicibus pauca, in quarta et quinta decade plurima e codicibus Bambergensi et Vindobonensi emendarunt (quamquam hunc Kopitarius parum diligenter contulerat, neutro Bekkerus satis studiose cauteve usus est), multa in iisdem libris etiam coniectura scita et acuta, maxime Kreyssigius, partim in libellis post Livii editionem evulgatis. Post hos nuper Alschefskius apparatum criticum utilissimis accessionibus auxit, collatis in prima decade codice Mediceo et Parisiensi, in tertia (cuius tres tantum libros absolvit) præter alios Puteani, homo ceteroqui, quoniam aperte dicendum est et universæ rei admonitionisque causa et ut philologiæ famæ consulatur, huiusmodi sordibus ab ea remotis, neque ad Livium neque ad ullum scriptorem recensendum aptus; nam ut de lectionis eruditionisque grammaticæ copia antiquarumve rerum scientia nihil dicam, ad naturam sermonis motumque intellegendum, ad exempla testimoniaque discernenda et ponderanda, ad sententiarum cohærentiam con-

venientiamqve perspiciendam incredibiliter fuit hebes, ad quidvis in vertendo et enarrando fingendum, quia nec scientia nec sensus veri obstabat, audacissimus; ne librariorum quidem consuetudine errandique generibus codicum tractatione perspectis, de eorum doctrina, iudiciis, consiliis mira narrat et in pervagatissimis mendis (ut hisdem) ridicule
(36) errat.[1]) Hic e codicibus quædam bona nec tamen, quæ quidem nova essent, multa aut magna recepit; multos errores olim certissime correctos reduxit, multos novos addidit, quum, ut multa correxisse videretur, e P aut Harl. 1 menda contra M et ceteros aut ex ipso M arriperet, multa plane monstrorum prodigiorumque similia e codicibus aut coniecturis perversissimis posuit; neque enim coniec-

[1]) Exempla summæ perversitatis prope quævis pagina inde a libri tertii initio præbebit; nam in libro I et II tacite rem agit nec ibidum pro ibi tum (I, 7, 12) similiave reposita verbo excusat (II tamen 15, 5 egregie enarrat vocabulum necquiquam). Satis documenti habebit (ut unum et alterum, quod sub stilum venerit nec explicatione egeat, exemplum ponam), qui inspexerit, quæ scripta sunt ad IV, 24 (I p. 404 a), IV, 58 (p. 478 a), V, 5 (p. 497 b: munitiones in Etruriam exspectantes), V, 6 (p. 500 a: illud impetum), V, 27 (p. 547 b de dum trahendo), V, 36 (p. 567 b de hisdem pro his iisdem posito), VIII, 8 (II p. 309 de prima fore in aciem, der erste Eingang in die Schlacht, et p. 311 b de coniunctivo recepissent ex compressis pendente, in notissima structura de repetita actione: ubi — recepissent), VIII, 18 (p. 344 a de accusativo conspectum e referre quodam modo pendente in hac verborum coniunctione: in conspectum omnium rem ad ceteras retulissent; sic enim scribit), VIII, 32 (p. 389 a de glomis nominativo casu pro glomere et hoc pro globo posito), X, 26 (p. 671 de coniunctivo incipiat significante: es zeigt sich im Allgemeinen, et apto ex præcedente in alia periodo sunt qui adiecerint), X, 34 (p. 700 a de migratu dativo in hac coniunctione: migratu difficilia). Sed quid ego hæc commemoro in eo homine, qui ne tum quidem, quum rectam alterius interpretationem ob oculos haberet, facillima verba sine puerili errore præterire potuerit (VI, 24: iam non recipiebat se Romanus miles II p. 78 b)? Quæ commiserit in Latine scribendo (millibus locis, ut ipse ait III p. 607 a), pudet attingere.

turis homo superstitiosus abstinuit, quarum specimen capi ex IV, 2, 12 potest. Itaque bonorum codicum auxilio corruptissimam effecit Livii orationem.[1]) Successerunt Alschefskio Weissenbornius et Hertzius (hic quidem adhuc in prima tantum decade), homines docti, sed qui tamen et ipsi antiquitatis splendore capti de codicum (hoc est, codicis archetypi) auctoritate satis libere quærere et in singulis locis eam cum rationis momentis prudenter comparare non semper auderent, Weissenbornius quidem etiam ad contortam artificiosamque explicationem et errorum defensio- (37)
nem cum parum cauto exemplorum testimoniorumque usu et comparatione paulo propensior. Itaque maiorem et foediorem partem monstrorum Alschefskianorum hi sustulerunt (prior Weissenbornius); sed nimium est, quod tertiam fere partem retinuerunt, multa non recepturi, opinor, si ab Alschefskio recepta non fuissent; novæ quidem et propriæ emendationis in his decem libris non ita multum, aliquid tamen attulerunt, plus Weissenbornius; in tertia decade is permulta codicem Puteaneum secutus emendavit et in quarta quintaque complura coniectura feliciter et ingeniose sanavit. Sed quod de expulsis relictisque pravis scripturis, quas Alschefskius posuerat, dixi, cuiusmodi sit, in XXX primis capitibus libri primi ostendam. Non legimus iam (ut omittam gemmulas illas orthographicas stimolabant et Romanos nominativo casu uno loco scriptum, centum Romanus, et antestitis e cod. P) in præf. § 9 dissidentis mores, non 10 tuæque re publicæ e P, non cap. 1, 9 ubi (pro ibi, apud W.; nam H. retinuit), non c. 3, 3 relinquit — condidit (ex PHl)[2]), c. 3, 4 diductam coloniam (ex M) aut 7 eductæ coloniæ, § 8 in traiecto Albulæ, c. 7, 12 ibidum pro ibi tum, c. 10, 3 nec

---

[1]) [Editionem Alschefskii omnium, quæ exstant, sine dubio longe deterrimam appellat Mommsenius p. 157.]

[2]) [Hoc a W. in quarta editione revocatum video.]

Crustumini quidem, c. 14, 4 occupabant (ex uno M, ortum ex apparebat), c. 17, 10 secundus ab Romulo dinumeretur (ex uno M), c. 18, 6 in lapidem consedit, c. 19, 5 sacerdotes suos cuique deorum perficere (pro præficere ex uno M), c. 19, 6 intercalares mensibus interponendo (e cod. recentissimo et interpolatissimo, Havercampiano; retinuit H.), c. 21, 4 adinvoluta, c. 26, 9 in filiam (quo efficitur, ut Horatius pater dicat, se in occisam filiam animadversurum fuisse, si ipsa iniuria occisa esset). Hæc igitur expulsa; sed retinetur tamen præf. 3 (a Weissenbornio, non ab Hertzio): si mea fama in obscuro est, pro sit, quasi Livius dubitet, qua fama nunc sit, non de incerta futuri temporis laude dicat)
(38) et § 5* prisca tota illa mente (quem locum attigi supra, ubi de ordine verborum in cod. archetypo mutato dixi), tum c. 1, 1 fuerunt (pro fuerant)[1]), c. 3, 11* addit — interemit (ex uno P) — adimit, c. 5, 5* aperire noluerat (ex uno P)[2]), c. 9, 5 ac plerisque rogitantibus

---

[1]) Nihil hoc mendo vulgatius, nec id raro ab iis ipsis, qui h. l. retinent contra sententiam, correctum est; ut II, 30, 8 restitutum ab utroque invaserant (Alsch. ex uno M invaserunt), II, 47, 5 non potuerant (A. ex uno P potuerunt), VIII, 8, 17 duxerant (A. e MPL1H1, hoc est, ex archetypo depravato ut I, 1, 1, duxerunt), X, 38, 2 adhibuerant (A. ex uno M adornaverant — adhibuerunt). Neque tamen nihil reliquerunt corrigendum; nam IV, 4, 3 retinuerunt, quod Alschefskius posuerat (item ex MPL1H1, id est, ex archetypo) fuerunt, pessumdata figura rhetorica apertissima, quæ posita est in diversitate verborum fuerant — fuerat — erant de priore statu, creati sunt — esse coepit — institutum est de eo, qui post effectus est. Recte etiam V, 8, 13 Sigonius occupaverant scribi voluit. Contra plusquamperfectum prave ponitur in omnibus editionibus III, 26, 4 (quod ubi senserant hostes, crevit — audacia, prorsus vitiose; nam XXIII, 27, 3 longioris temporis observatio significatur), apud Alsch. autem, W., H. contra superiores IV, 47, 7 (coloni — acceperant), ab uno Alschefskio ex M VII, 37, 3 (contulerant).

[2]) Hoc quoque frequentissime fit, ut post verba voluntatis infinitivus activus pro passivo substituatur; c. 17, 3 in archetypo fuit reg-

(pro: a plerisque, ut legati Romani dicantur dimissi esse, quod sic plerique responderent, non significetur, quod sententia postulat, modus dimittendi cum irrisione; cfr. XXIV, 6, 4: dimissique sunt ab quærente per iocum Hieronymo, IV, 40, 2, IX, 38, 13), c. 11, 9* de recto (a W., non ab H.), c. 17, 1 necdum singulis — pervenerat (a W.; H. recte revocavit ad singulos), c. 23, 6 postquam structi (pro instructi; vid. ad XXIV, 7, 4)[1]); c. 25, 6 vice unius (de quo loco dixi supra, ubi de m littera in cod. archetypo addita detractave exposui.) Sprevit uterque cum ceteris in 4, 4 necessariam Merulæ et Gruteri coniec- (39) turam: forte quadam an divinitus, Weissenbornius etiam in c. 23, 6 egregiam et necessariam Tanaquilli Fabri: vana afferri rebatur (pro afferebantur; nihil fuisse vani, Livius narrando exsequitur).[2]) Auxit Weissenbornius pravorum numerum c. 25, 2 recipiendo, quod Alschefskius dubitanter probaverat: in minime gratum spectaculum animo incenduntur; (nullus enim hic significatur ardor spectaculum cupientium, sed animi oculique in eo defixi;) Hertzius c. 11, 1 pro palatos, quod Livius in talibus locis sæpissime ponit, ex uno medii generis codice palantes scribendo, quod rarius multo legitur, et c. 14, 7 recepta infelici coniectura. Apparet, rectam rationem cum superstitione et errore ita certasse, ut plerumque, non semper perversitatem expugnaret. Verum hæc ideo tantum commemoravi, quod cum recta codicum æstimatione et liberi iudicii confirmatione coniuncta erant et quod utilem habere admonitionem videbantur, quid in recto scripturæ codicum

---

nare; editur recte et necessario regnari, quod in uno recentissimo codice inventum est. (Cfr. quæ de XXII, 33, 5, XXXIV, 15, 3, XXXV, 34, 3 dicentur.)

1) [In quibus locis stellula numero apposita est, postea W. ad verum rediit.]

2) [Postea W. secutus est coniecturam I. H. Vossii, in qua et tamen et si prava sunt.]

emendationumque iam olim factarum delectu relictum esset operæ in Livii libris ponendæ. Mihi hoc loco, ut initio dixi, non editionum recentiorum censuram proposui nec, si quid minus bene nuper quam a superioribus administratum esset, reprehensionem, sed ea tractare decrevi, quæ essent ab aliis aut prætermissa aut parum feliciter tentata; neque tamen, si quid ex illo altero genere sic intercurrerit, ut aut, ne error recens inveterascat, breviter caveri aut laudabile inventum ab oblivione et contemptu vindicari possit, prætermittam. Unum etiam est, quod petam ab iis, qui hæc legent. Non ea meorum aut studiorum aut negotiorum ratio per haud paucos iam annos fuit, ut operose anquirere possem, quæ in libellis scholasticis aut per libros menstruos trimestresve similesve sparsim ad Livii emendationem pertinentia disputarentur. Itaque fieri potest, ut præter ea, quæ, quum essent a me emendata et adnotata, postea aut ipse casu aut Weissenbornio, Hertzio, aliis indicantibus ab aliis occupata cognovi, aliquid alicubi
(40) me fugerit ante me inventum, quod ego tanquam meum posuerim, aut idem aut prope idem. Id si quando accidit, sua cuique me ultro petente restituantur.[1])

Lib. I.[2])

Cap. 1, 3: Et in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur, pagoque Troiano inde nomen est. Copulativæ particulæ nihil hic loci est, præsertim in transitu

---

[1]) [Nunc, Siesbyeo adiuvante, aliena, sed a prioribus omissa et a me iterum reperta, primis auctoribus reddere studui, nemini plura quam Creverio, cuius ipsius posteriore editione nunc usus sum; antea ea tantum noram, quæ Drakenborchius e priore commemorarat.]

[2]) Quas in libris tribus primis emendationes asterisco notavi, iam apud Ingerslevium breviter indicatæ sunt in eius horum librorum editione. [Quæ nunc additæ sunt, iis adscriptus est annus, quo in præfationibus singulorum Livii fasciculorum positæ sunt, aut hic, qui nunc agitur, annus (1875), si quæ nunc primum editur.]

ab obliqua oratione ad rectam. Adiuncta in iis, de quibus dictum est, hominibus res notatur pronomine subiecti indice cum pondere initio sententiæ posito: Ei in quem cet. Ex ei factum et pervagato mendo. Vid. ad IV, 48, 1. (1861.)

Cap. 5, 1: Iam tum in Palatio monte Lupercal hoc fuisse dicitur. Neque Palatium mons sic coniuncte pro monte Palatino dicitur et mire, posito nomine proprio quasi cavetur, ne quod aliud palatium intellegatur. Retractum huc monte ex proximis verbis: dein Palatium mons appellatus, quæ ipsa notatio, cur mons appellatus sit Palatium, ostendit, hoc nomen supra nude positum fuisse. (1861.)

Cap. 9, 7: Indici deinde (Romulus) finitimis spectaculum iubet, quantoque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant, ut rem claram exspectatamque facerent. Hæc postrema verba neque de Romanis intellegi possunt (neque enim aut hoc aut quidquam aliud illo tempore populi consiliis et decretis actum Livius significat aut usquam sic ad populum civesque a Romulo transit) neque de peregrinis; ad eos enim in proximis demum verbis transfertur narratio (multi mortales convenere); neque sane iis, qui aliunde alliciebantur, ipsis propositum erat rem claram exspectatamque facere. Totum hoc ad Romuli artem et consilium pertinere apparet scribendumque esse: quantoque apparatu tum sciebant aut poterant (homines illi, qui tum erant), concelebrat, ut rem claram exspectatamque faceret. Accidit hic, quod in prooemio p. 11 simillimis aliquot exemplis in codice archetypo subinde factum esse ostendi, ut verbi posterioris numerus, adiecta littera n, accommodaretur ad verbum interiectum; nam propter sciebant aut poterant scriptum est concelebrant — facerent. Celebrare et concelebrare rem apud Livium non solum ipsa multitudo dicitur, quæ convenit, sed etiam, qui rem celebritati et contrahendis hominibus aptam instituit, velut VIII, 10, 10

funus P. Decio factum dicitur celebrante collega et similia alibi.[1])

Cap. 12. Initio operæ toto genere tenuis commemoranda est res vel hic, ubi nihil est magnum, ceteris ad speciem
(41) minor, non parvi tamen interdum ad sensum scriptorum intellegendum et ad iudicium de scripturæ veritate momenti et ad quam sæpius postea redeundum erit, orationis interpunctio et sententiarum recta separatio. Apparebit saltem statim, quam leves errores interdum fallant propagenturque. Nam in hoc capite, præterquam quod, ubi Livius (§ 2) in narrando Romuli et Titi Tatii proelio principes pugnam civisse, hoc est, primos et ante ceteros pugnasse, ab Sabinis Metium Curtium, a Romanis Hostium Hostilium dicit, (quemadmodum hoc ipso capite Metius ab Sabinis princeps ab arce decucurrisse dicitur), interpunctionis nota post ciebant posita, male a plerisque Metius et Hostius principes substantivo appellari putantur (quod vix crederem, nisi etiam admonitionem adscriptam viderem); deinde (§ 3) oratio sic describitur: Ut Hostius cecidit, confestim Romana inclinatur acies fusaque est ad veterem portam Palatii. Romulus et ipse turba fugientium actus, arma ad cælum tollens, Iuppiter, inquit, cett. Non ad veterem Palatii portam fusa est Romana acies (id est, apud eam portam; neque enim fundi ad portam est fusum alibi fugere ad portam), sed quum in collem Capitolinum contra Sabinos erigeretur, neque hic, proelii eventu iam declarato, superaddenda erat loci, quo pugnatum esset, notatio. Livii sententia huiusmodi fuit: — Romana inclinatur acies fusaque est. Ad veterem portam Palatii Romulus et ipse turba fugientium

---

[1]) [W., ut aliquid contra dicat, verba quanto appar. tum sciebant a. p. vertit: soviel seine Leute konnten, quæ significare: sogut man damals verstand und konnte apparet. Hoc in primo loco exempli causa adnotatum satis, opinor, declarat, cur similia permulta tacitus prætermittam.]

actus cet. Significatur, quo loco fuga constiterit, cuius rei monumentum communi Romanorum opinione habebatur Iovis Statoris templum ad veterem illam portam situm. Itaque paulo post Metius Romanos in clivo Capitolino fusos persequens prope ad eandem portam Palatii pervenisse dicitur.

Cap. 14, 9, ubi Livius Fidenates a Romulo insidiis et fugæ simulatione victos narrat, apparet olim duas fuisse scripturas, alteram ex altera ortam, quas sic conflatas (e cod. archetypo) M servavit: *prius pæne quam Romulus quique cum eo quique cum equis abierant visi* (42)
erant, circumagerent frenis equos; ad eum proxime accedit L1, in quo dicitur esse: *quique cum equis abierant visi erant*, omissis verbis *quique cum eo*, (sed etiam in Medicei scriptura indicanda alterum *quique* Gronovius omisit), tum Florentinus S. Marci (apud Hertzium), in quo scribitur: *quique cum eo quique cum equites erant visi erant* (punctis suppositis verbis *quique cum equites* et *visi erant*). Ceteri codices, quorum aliquod est momentum, unam e duabus scripturis tenent, P et Bambergensis cum uno et altero vulgarium hanc: *quique cum eo equis ierant* (ex qua in ceteris vulgaribus factum est interpolando: *quique cum eo equites erant*), Einsiedlensis et H1 et Helmstadiensis Gronovii hanc: *quique cum eo visi erant.* Editores fere inde a Gronovio P sequuntur, nisi quod Weissenbornius pro *ierant* ex M *abierant* substituit. Verum in P hoc loco deteriorem et interpolatam scripturam retentam esse, primum ostendit ipsa locutio *equis ierant*, Latina illa quidem, sed ab hac commemoratione fugæ nuper simulatæ prorsus aliena, quasi Germanice dicas: *Romulus und diejenigen, die mit ihm geritten waren*; deinde ex ML1 apparet, primam illius scripturæ hanc fuisse formam: *quique cum equis*; itaque ex his: *cum eo visi erant*, littera **q** pro **o** scripta et ceteris male divisis (*vis ierant*), ortum est *cum equis*

ierant, postremo, ut fugæ significatio esset, pro ierant scriptum abierant. Redeundum est igitur ad alteram scripturam: quique cum eo visi erant, quæ si recte enarratur, aptissima est; significantur enim equites, qui se initio cum Romulo oculis Fidenatium soli obtulerant, portæ obequitantes, magis quam vere pugnaverant. (Equites procul visi IV, 40, 2; procul visis Romanorum signis VII, 23, 6; nec prius ab hoste visus est VII, 34, 7.)[1])

---

[1]) [Frigellius in libello supra appellato p. 18 in P dicit esse quique cum eo quisierant et in margine manu antiquissima sine ulla inserendi nota quique cum equis abierant, in Flor. S. Marci quique cum eo quique cum equi ... erant visi erant. De origine varietatis et de ipsa locutione equis ierant parum recte disputat. Equis ire ipsum motus genus significat, quod ad hunc locum nihil pertinet.] Quæ paulo ante leguntur (§ 7): partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis iussit, multis multorum coniecturis tentata (nuper Hertzii admodum et audaci, tribus accusativis neutrorum in ablativos mutatis, et infelici), nullam mutationem aut poscere aut recipere arbitror. Circa densa obsita virgulta (in dem über das Terrain zerstreuten Gebüsch umher) Livius dixit eodem modo, quo IX, 25 coniurationes circa Campaniam passim factas et XXV, 9 circa vias discurrere (cfr. XXIV, 3, XXXI, 3 et 8); obsita autem virgulta dici potuisse, quibus solum obsitum esset, etsi nullo huius ipsius verbi exemplo defenditur præter Plauti Trin. 530, 531, proxima tamen subvenit cognati verbi similitudo; nam quum vulgo conseri locus arboribus dicatur, tamen non solum Cato et Tibullus vites et pomum conserere, sed Livius ipse (X, 24, 5) arborem conserere dixit. Obsita autem potius quam consita h. l. posuit, ut passim sparsa et prospectum adimentia intellegerentur. Similiter etiam obmoliri Livius XXXVII, 32, 7 de loco dixit (ad obmolienda, quæ ruinis strata erant); magis proprie dixisset ad obmolienda impedimenta (saxa aliave iis locis, quæ ruinis strata erant). [In Weissenbornii coniectura: locis circa, densa inter virgulta obscuris, ut omittam audaciam in obsita tollendo et simul inter addendo, neque locis circa, hac brevitate, recte dicitur neque locis inter virgulta obscuris.]

Cap. 17, 2: Oriundi a Sabinis, ne, quia post Tatii mortem ab sua parte non erat regnatum, in societate æqua possessionem imperii amitterent, sui corporis creari regem volebant. Neque possessionem imperii (omnem) poscebant, quo iniquissima futura erat societas, neque in societate æqua (id est, quæ æqua maneret) quidquam amissuri erant. Verebantur, ne id amitterent, quod societatem continebat, imperii possessionem æqualiter et vicibus inter ipsos et Romanos veteres partitam, id est: ne .. in societate **æquam** possessionem imperii amitterent. Adiectivum præcedenti nomini accommodatum est. (1873.)

Cap. 21, 1: Deorum assidua insidens cura ....ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac ius iurandum proximo legum ac poenarum metu civitatem regeret. Hæc verba multi enarrare conati sunt, enarrare recte nemo potuit. (Weissenbornius quam sibi ipse non satisfecerit, patet.) Si quid enim significant, hoc significant, si fides et ius iurandum non sufficeret, proximum subfuisse et in eorum locum successisse legum ac poenarum metum, quod semper et ubique fit, hoc est, sententiam evertunt, quæ posita est in sublata legum ac poenarum necessitate, quum eorum loco fides sufficeret. Et sententiam et orationem rectam efficit correctio non difficilis nec violenta: fides ac ius iurandum **pro obnoxio** legum ac poenarum metu, hoc est, abiecto et pæne servili. Potest etiam in mentem venire pro anxio. Quin pro et adiectivum subsit, non videtur dubium. (1861.)

*Cap. 25, 9: tum clamore, qualis ex insperato (43)
faventium solet, Romani adiuvant militem suum. Excidit inter qualis et ex, quod nullo modo abesse potest, esse. Neque enim Latine dicitur: adiuvo aliquem clamore, qualis victoris solet; dici aliquo modo potest: exoritur clamor, qualis victoris solet, ut audiatur exoriri, etsi usitatius est: qualis a victore solet aut:

qualis victoris esse solet, ut c. 29, 2: non quidem fuit tumultûs ille, qualis captarum esse urbium solet, et XXV, 10, 1. (Longe aliter V, 28, 13.) Eodem modo excidit esse in libro XLI, 10, 2 inter exercitus, excivit. Idem mendum in eadem orationis forma corrigendum est II, 34, 2 (qualis clausis solet), ubi nisi esse addatur, scribendum sit clausos (invadere).

Cap. 27, 1 quod codices editionesque habent: invidia vulgi, quod tribus militibus fortuna publica commissa fuerit, vanum ingenium dictatoris corrupit, Livius scribere non potuit; nec ullum reperietur exemplum perfecti coniunctivi positi in huiusmodi sententia ad primariam præteriti temporis sententiam adiuncta de re ante acta pro
(44) plusquamperfecto (quasi dicas: indignabatur vulgus, quod tribus militibus fortuna publica commissa fuerit); longe alius sunt generis ii loci, in quibus ex perfecto indicativi rectæ orationis in obliqua coniunctivi perfectum retinetur (velut II, 12, 2, X, 2, 5 sint). Scribi poterat aut commissa foret aut, omissa obliquæ orationis significatione, quam Livius in hoc genere sæpissime omittit (ut c. 14, 3 in credebat) commissa fuerat, [quod iam Bauero placuit]. Ex hoc fuerat ortum est in codice archetypo fuerit errore pervagato. [Similius quam cetera est, quod VII, 4, 4 legitur; sed tamen et multa interiecta sunt inter quod et dederit et ex dabat obversari animo præsens historicum potuit, quod in invidia fieri non potuit.]

Cap. 29, 3 (de Albanis urbe egredi a Tullo Hostilio iussis): silentium triste ac tacita mæstitia ita defixit omnium animos, ut præ metu obliti, quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio rogitantesque alii alios nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas . . . pervagarentur. Obliviscimur aliquid nobiscum ferre; quid relinquamus, quid nobiscum feramus, non obliviscimur, sed nescimus incertique hæremus; nec alius rei Albanos deficiebat

consilium nec de alia re inter se rogitabant. Apparet igitur hæc sic cohærere: deficiente consilio, quid relinquerent, quid secum ferrent, sed quum hoc non intellegeretur, ante interrogationem pendentem additum esse participium ineptum obliti. (1861.) Paulo post (§ 6) editur consensu: Egressis urbem Albanis et, si cui dubitatio oborta fuerit, docebitur (a Drakenborchio ad XXIX, 6, 4; nam Weissenbornius ne admonitione quidem dignam rem putavit), Livium promiscue excedere, egredi urbe et urbem dicere. Nam etsi ipsi omnibus partibus sæpius edunt analogiæ convenienter urbe, porta exire, acie excedere, similia, neque ignorant excedere et egredi cum accusativo alio significatu dici, ut sit fere transgredi (ut fines, modum, alia), tamen paucis aliquot locis m litteram a librariis additam retinent, quos refellit certissimum argumentum, quod, ubi casus non sola illa littera distant, constantissime ablativus tenetur; castra enim, portas egredi nusquam legitur, sed castris, portis (ut in decem primis libris III, 60, 8 et 9, VI, 7, 2, VII, 36, 11, VIII, 11, 4 et 38, 5, ne VII, 12, 3 aut IX, 36, 10 numerem, ubi exeundi via significatur; etiam dextra principali IV, 19, 8). Itaque et hic urbe scribendum est (quod e duobus infimæ dignitatis codicibus adnotatur) et II, 37, 8, et III, 57, 10 (cum P) et XXII, 55, 8 et XXIII, 1, 3 et XXIX, 6, 4 et XXXIV, 28, 12. In XXIV, 3, 15 Puteaneus prave scriptum habet Crotonem excessum (quod aliunde Crotonem migratum significaret); XLV, 13, 12 navem egresso contra codicem editum erat. (1861, 1862.)

Cap. 30, 5. Sunt quædam eiusmodi de veterum scriptorum locis coniecturæ, quas pæne invitus promam, quod nec in codicibus ullum latentis vulneris indicium eminet nec sententiæ orationisque pravitas, quamquam mihi manifesta videtur nec suspicionem animo pellere sinit, ea est, quæ demonstrata facile omnes offensura videatur. Ex eo genere hic est locus, in quo de causis orti inter Tullum Hostilium et Sabinos belli agitur: Tullus ad Feroniæ

fanum mercatu frequenti negotiatores Romanos comprehensos querebatur, Sabini suos prius in lucum confugisse ac Romæ rententos. Hæc ita scripta sunt, ac si negotiatores suos Romæ rententos Sabini questi sint; nam in his contrarie relatis (Romanos — suos) substantivum utriusque membri commune esse videtur; sed ut concedam, suos universe cives (homines) intellegi, neque cur illi homines in lucum confugisse dicantur, apparet, neque cur retenti, si ipsi sponte eo confugerint; nam rerum capitalium reos fuisse, quos quum Sabini reddi ad supplicium postulaverint, non traditi sint, ne minima quidem significatio est. Apparet agi de servis Sabinorum, qui ad servitutem exuendam in asylum Romanum confugerint nec redditi dominis reposcentibus sint, quod frequens antiquis temporibus inter vicinos populos iniuriæ querelæque genus fuit, significarique, Sabinos huius iniuriæ prius factæ ultionem prætexuisse suæ in negotiatoribus Romanis comprehendendis violentiæ. Verum sui sic nude servi appellari in hoc orationis contextu nullo
(45) modo potuerunt. Itaque quoties ad hunc locum redii, suspicatus sum, unam vocem ob litterarum similitudinem excidisse, Liviumque scripsisse: Sabini suos **servos** prius cet. A prioribus litteris uos (suos) librarius aberravit ad easdem altero loco positas (seruos).

*Cap. 32, 11: Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato Priscorum Latinorum —, quas res dari, fieri, solvi oportuit, —, dic, quid censes? Genetivus verbo, quod est condicere, adiunctus quam haberet rationem, nemo exposuit; nam quod eum ex iuris consultorum in formulis consuetudine poni dicunt, nimis infinitum est, nec utuntur ad eam consuetudinem demonstrandam nisi uno exemplo eoque non certissimo, quod apud Ciceronem in Topicis (4, 22) legitur: damni infecti promittere; apud ipsos iuris consultos constanter dicitur

satis dare, satis petere damni infecti et similia, genetivo accommodato ad novam notionem nominis satis, quod si non ipsum apud Ciceronem excidit (quod vehementer suspicor), saltem ex illo usu (satis promittere damni infecti) brevior illa locutio orta est; in condicendi verbo nihil est simile. Accedit, quod communi rerum vocabulo apte superadditur magis proprium litium nomen (in quo in mentem venit cum risu inductæ a Cicerone pro Murena c. 12 quæstionis, rem an litem dici oporteret), minus apte, quod iuris proprium non est in hac controversæ rei significatione, causarum. Itaque, etsi difficile est de huiusmodi veteribus verborum formulis iudicium, tamen valde suspicor, Livium scripsisse: quarum rerum, litium causa condixit pater patratus cet., codicis autem archetypi scribam frequenti errandi genere (vid. prooem. p. 10) ad duos genetivos sine coniunctione positos tertium accommodasse. Propter res et lites condictum erat, hoc est, postulatum, ut satisfieret.[1]) Paulo post (§ 12), ubi Livius hastam a fetiali in hostium fines mitti in bello indicendo solitam commemorat (hastam ferratam aut sanguineam præustam), nunquam intellegere potui, qua ratione hastæ ferratæ contraria poneretur sanguinea, sive ea, quod (46)
et res ipsa postulare videtur et Ammiani Marcellini eiusdem ritus significatio (XIX, 1: hasta sanguine infecta; nam δόρυ αἱματῶδες apud Dionem Cassium LXXI, 33 ambiguum est), cruenta intellegitur, quomodo sanguineus apud solos poetas dictum reperio, sive sanguinei coloris (blutfärbig, non blutgefärbt); nam cruentari coloreve infici non minus ferrata hasta poterat. Tum sive sanguineam præustam una notione comprehendas, nescio, quid præusta hasta commune habeat cum sanguinea, sive, quod membrorum æqualitas suadet et cogit, præustæ appellatio ad utramque

[1]) [Minus probabile videtur, quod Th. Bergkius causarum ergo scribi voluit.]

hastam et ferratam et sanguineam pertinet, frustra quæras, quid sit hasta ferrata præusta; nam ligni hoc proprium est. Laudo igitur hactenus eos, quos Turnebus reprehendit, qui olim hunc locum tentarunt, quod difficultatem senserunt, quam recentiores non attigerunt. Mihi Livius hastam ferratam aut sine ferreo spiculo tantum præustam commemorasse videtur, credoque in vetere ritu obscuram superfuisse memoriam eius temporis, quum pro ferreis telis etiam præustis hastis (sudibus) uterentur, quod teli genus et Vergilius in antiquis pastoribus et Cæsar in Romanis castra defendentibus et Tacitus in barbaris et Diodorus Sic. fr. XXXV, 2 in servis Siculis (ξύλα πεπυρακτωμένα) commemorant. Sanguinis mentio utrum a Livio facta sit (hoc verborum ordine: ferratam aut præustam sanguineam, ut sanguineam ad utramque pertineat) an a lectore aliquo ritus, ut ex Dionis et Ammiani locis apparet, diu servati gnaro addita, non definio. [Nunc prius probabilius videtur.][1])

Cap. 35, 3. Parvum est, quod adnotabo, nec tamen omittendum, quoniam ad rectam orationis Latinæ formam attinet. Nam ubi sic editur: quippe qui non primus, quod quisquam indignari mirarive posset, sed tertius Romæ peregrinus regnum affectet, scribendum
(47) esse: quod quispiam indignari — posset, sentient admoniti, qui horum pronominum usum tenent. Ab huiusmodi concessione et opinatione (indignari forsitan aliquis possit) longissime alterum abhorret.[2]) In eodem

[1]) [Ad cap. 33, 5 a. 1861 adscripseram videri excidisse aliquid et a Livio in hanc formam scriptum esse: acie primum vincit; deinde urbem vi capit; inde cet. Neque enim ex acie prædam fuisse nec tanquam duos rei gestæ gradus coniungi posse: acie primum vincit; inde ... Romam venit. Postea vidi iam Creverium prorsus idem iudicasse.]

[2]) [Sic iam ante Kleinius. Eodem hoc loco a. 1861 sic orationem interpunxi, ut post quum interposita longiore oratione obliqua dicendi verbum (memoraret) audiretur et quodam modo præcipe-

pronomine aberratum est III, 55, 8 noto loco, ubi scribendum est: sed quum quis (cod. arch. quid) eorum cuipiam (R cui quam, M cui quem, P man. 1 qui cui) nocuerit, id sacrum sanciri.

*Cap. 39, 4: Evenit facile, quod dis cordi esset. Debebat dici erat. Sed Livius de eventu curæ in educando Servio Tullio positæ dicturus a generali sententia orditur: Evenit facile, quod dis cordi est. (Esset pro est omnes codices II, 51 init.) Paulo post, § 5, quod scribitur: gravidam viro occiso uxorem ... partum Romæ edidisse Prisci Tarquinii domo; inde tanto beneficio cet., certus usus loquendi domi flagitat; neque id restituere dubitabimus, animadversa mendi origine; nam cum semel scripta littera, quæ bis scribi debuerat, factum esset dominde, in vocali supplenda erratum est, ut alibi non raro. Nam hoc erroris initio II, 36, 6 scriptum est haud dubie omnium consensu pro haud dubio omnium (dubiomnium), quod mendum pridem correctum nunc defenditur, et III, 22, 6 signum observare iussit pro observari (observariussit), quod vulgo tenetur, correctum in uno cod. recentiore, et IX, 14, 5 signa ferre iussit pro ferri (codd. pauci recc. recte) et XXI, 44, 8 quod sua pro quos sua (quosua), quod Aldus restituit, et XXIV, 26, 8 periculi quidem nihil ab se timere, invisam tamen regiam stirpem esse pro timeri (correctum in codd. recc.) et XXVIII, 21, 5 pacto inter se pro pacti inter se (correctum in vett. edd.).[1])

---

retur ex iis, quibus sententia pendens colligitur et concluditur: — hæc eum haud falso memorantem, comparavique c. 48, 2, ubi quod omissum verbum facilius intellegitur ex his: ille ferociter ad hæc, idem fere h. l. efficitur illa orationis conversione. Nec tamen nimis confido. Tum monente Siesbyeo in hac coniunctione sententiarum: qui non primus, quod quispiam indignari posset, sed tertius regnum affectet, scripsi possit.]

[1]) [W. cum primum omnibus his locis prava tenuisset, postea in II, 36, IX, 14, XXI, 44, XXIV, 26 paruit admonitioni.]

Nam de II, 56, 4 et VIII, 9, 7, tum de XXVII, 47, 10 separatim dicetur. (1861.)

*Cap. 40, 3: ut in eadem civitate post centesimum fere annum quam Romulus deo prognatus deus ipse tenuerit regnum, donec in terris fuerit, id servus serva natus possideat. Huius loci et mendum et correctionem orationis forma certissimis indiciis demonstrat. Nam quum contrariorum comparatione totius orationis contineatur pondus, Livium eas sententias, quibus contraria notantur (deo prognatus deus ipse et servus serva natus), inter se coniunxisse, non alteram temporis notationi superaddidisse, apparet, et si per se non appareret, ostenderet primum pronomen id initio sententiæ ad contrariorum notationem insigniendam positum, quem locum nunc male tuetur (dicendum enim erat: post centesimum annum, quam Romulus — tenuerit regnum, servus s. n. id possideat), deinde addita illa: donec in terris fuerit, quæ prorsus inania et perversa sunt in temporis intervallo notando (post centesimum annum quam Romulus tenuerit regnum, donec in terris fuerit). Itaque hac Livius usus est orationis forma: ut in eadem civitate post centesimum fere annum, **quod** Romulus deo prognatus deus ipse tenuerit regnum, donec in terris fuerit, id servus serva natus possi-
(48) deat. Qui mutavit, dormitans vocem relativam accommodavit ad temporis notationem (post c. a.), quæ absolute ponitur (interiectis centum annis). Idem mendum (quam pro quod) tollendum erit III, 56, 12. Eodem capite § 5 pro eo, quod e codicibus servatur: in vestibulo regiæ quam potuere tumultuosissime specie rixæ in se omnes apparitores regios convertunt, scribendum videtur nulla prope mutatione: quam potuere tumultuosissimæ specie rixæ; nam tumultuose aliquem in se convertere vix recte dicitur; tumultuose rixantes in se alios convertunt. (C. 55, 7 M Pomptine, P Promp-

tine; III, 50, 6 libere ac pudice pro liberæ et similiter alibi.)[1])

Cap. 41, 1: Clamor inde concursusque populi mirantium, quid rei esset. Livius scripserat tantum concursusque mirantium. Substantivum addidit, cui non sufficere videbatur participium habitum concurrentium significans. Nec Livius nec alius quisquam populus mirantes dixit; ne populus iubent quidem. Eritne, qui populum mirantium fingat? (1861.)

*Cap. 43, 5: Tertiæ classis in quinquaginta millium censum esse voluit. Horum verborum, quibus res aperta breviter indicatur, coniunctio grammatica expediri nequit; nam quæ editores nonnulli adscripserunt, eiusmodi sunt, ut contra dici opus non sit.[2]) Livium scripsisse: Tertiæ classis quinquaginta millium censum esse (49) voluit (hoc est, si enarrandum est, tertiæ classis censum

¹) [Tumultuosissimæ Bauer.] In eodem loco fuit, qui de his verbis dubitaret: quibus consueti erant uterque agrestibus ferramentis; neque, quod uti audire iubemur, res expeditur; unde enim ille infinitivus sumitur? Sed non audeo mutare apud Livium, quod Columellæ saltem et Plinii Minoris auctoritate defenditur (consuescere rei et re, consuetus rei).

²) Drakenborchius in quinquaginta millium „commode positum accipi posse pro usque in summam quinquaginta millium" putat, quam ego ellipsin ignorabam; sed ipse a se desciscens fortasse millia scribendum esse coniicit. Weissenbornius censum etiam ad tertiæ classis trahi vult, ut adhibita hac geminatione, qua accusativus in fine sententiæ a præpositione pendens antea subiecti loco sit et genetivum regat, hæc efficiatur sententia et oratio: census in quinquaginta millium censum fuit. Alschefskius autem, mirificus homo, ad genetivum tertiæ classis nescio unde audit cives, ut esse in quinquaginta millium censum sit quinquaginta millium censum possidere. Non ridiculi causa ludi credas? Si quis autem ita verba intellegenda putaverit, ut Servius dicatur tertiæ classis esse (tertia classe contineri) voluisse omnes usque ad L millium censum, eum conatum, ne alia commemorem, evertet in præpositio inaudita significatione posita, in descendendo præsertim.

quinquaginta millibus constare, quemadmodum X, 36, 14 captivorum numerus esse septem millium dicitur et apud Cornelium Nepotem Iphicr. 2 exercitus numerus esse duodecim millium et id genus non pauca), video iam Rhenano in mentem venisse. (In codice archetypo fuisse: Tertia classis in L millium cet., ex MRPL1H1 et deteriorum nonnullis intellegitur. Fuisse suspicor, qui aut in tertia classe scribi vellet, quemadmodum sequitur apud Livium in quarta classe, aut sic intellegenda verba significaret; sic adscriptum in deinde alio loco insertum esse.)

Cap. 45, 1: Aucta civitate magnitudine urbis. Non augetur civitas urbis magnitudine, sed aucta ipsa civium numero urbem poscit maiorem, ut ipse Livius c. 44, 3 scribit: Ad eam multitudinem urbs quoque amplificanda visa est. Sine dubio scripserat Livius: Aucta civitate **et** magnitudine urbis. Quam facilis fuerit error, apparet. (1861.)

*Cap. 46, 7 (ubi referuntur Tulliæ minoris cum L. Tarquino, mariti fratre, sororis marito sermones): et se rectius viduam et illum cælibem futurum fuisse contendere (contendebat) quam cum impari iungi, ut elanguescendum aliena ignavia esset. Quæ sit in his pravitas, apparebit, si in rectam orationem transtulerimus; hæc enim erit: Et ego rectius vidua et tu cælebs fuisses (= futurum fuisse) quam cum impari iungimur (= iungi), ut elanguescendum a. ign. sit. Atqui pro eo, quod est: quam, quod nunc factum est, iungeremur, nullo modo dici potest: quam iungimur; neque iungebantur nunc, sed iuncti erant; itaque ne iungeremur quidem rectum esset, sed iuncti, id est, in obliqua oratione, iunctos. Accedit ad hoc orationis vitium, quod in codice archetypo non esset, sed esse scriptum fuisse constat (ex MPL1H1, deterioribus quoque), ex quo ut mendosum esse arguitur, pro quo in deterioribus codicibus partim scriptum est haud, partim aut. (In Rhenani ad-

notatione error est; ne quis in R aut ut fuisse credat.) (50)
Ex his efficitur hæc sententiæ forma: et se rectius viduam et illum cælibem futurum fuisse quam cum impari. Nunc elanguescendum aliena ignavia esse. Pro nunc si quis reppererit, quod propius ad codicum vestigia (iungiut) accedat, accipiam; ipsum tamen aptissime convenit ei, quod contrarium subiicitur: Si sibi eum, quo digna esset, di dedissent virum. [Potest fuisse nunc sibi elang.] In proximis verbis (§ 9) non optimo exemplo editores recentiores nec satis iis, quæ in aliis similibus locis fere sequuntur, convenienter pro eo, quod in codicibus scriptum est: Arruns Tarquinius, posuerunt L. Tarquinius, etsi ita Livium scribere debuisse satis certum est; Hertzius quidem etiam locum tanquam mancum supplevit. Livio enim ipsi idem hoc loco accidit, quod aliquoties, ut in altero ex duobus nominibus, de quibus ageretur, appellando ad alterum memoria stilusque aberraret, cuius generis exempla quædam colligere placet. Lib. II, 11, 9 pro Valerio (versisque in Valerium Etruscis), quem nominandum fuisse ex superiore partium rei agendæ divisione apparet et post Glareanum, excepto perverso homine Alschefskio, omnes viderunt, a Livio nominatum fuisse Lucretium, codices ostendunt; nam talia librarii non permutant. Lib. II, 18, 3 Livium super belli Latini metum scripsisse, codicum consensus vincit (nisi quod illi prave supra habent contra usum loquendi, in quo nullæ erant memoriæ partes); Sabini belli scribere eum debuisse, Dukerus intellexit, idque Weissenbornius et Alschefskius substituerunt; nam Sabini belli causas Livius iam indicavit; transit ad Latinum; sed error occultandus non erat. (De supra Dukerus admonuit, cui Drakenborchius adsensus est; recentiores pravum tacite tenent.)[1])

[1]) [Postea W. restituit Latini mirabilem Wexii interpunctionem et enarrationem secutus. Nihil enim est ad rebellionem spectare

In lib. II c. 43, 44, 45, 46 gravior Livii est error, quod, tota re obscure animo comprehensa, ea, quæ c. 43, 5 (cum Dionysio Halicarn. IX, 2 conspirans) Fabio duce in Veientibus accidisse significat, postea c. 44, 11 et 46, 1 in rerum proximi anni narratione tanquam in Æquis gesta narrat.
(51) Drakenborchius, Sigonii librum recentissimum et interpolatissimum et eiusdem generis alterum (H2) secutus, c. 43 Veientum et Æquorum nomina transposuit, quod „Livium non ferenda in tanti nominis ac famæ historico neglegentia paucis interiectis sui oblitum esse" non credebat, habuitque obsequentes, qui in superiore loco codicibus obedierant, Kreyssigium et Hertzium, dissentientibus, qui illic Dukerum contra codices secuti erant, Alschefskio et Weissenbornio. Utinam non multo graviora Livius commisisset et quæ verbo uno alterove mutando transponendove occultare non possis. Lib. IV, 30, 15 in omnibus codicibus, exceptis tribus omnium infimis (iisdem Sigoniano et H2, tum Havercampiano), scribitur: ut Quinctius consul de bello ad populum ferret, et c. 31, 1 Livius proximo anno T. Quinctium Pennum ex consulatu tribunum militum creatum scribit. Atqui supra c. 30, 12 consules huius anni ediderat C. Servilium Ahalam, L. Papirium Mugillanum; T. Quinctius superiore anno consul fuerat (§ 4). Itaque Livius non iam ex duobus hominibus alterum pro altero nominavit, sed neglegentius Ahalæ et Mugillani oblitus ad superiores consules aberravit, nescio quid in altero ex iis deligendo secutus. Editores inde a Sigonio, exceptis Bekkero, Weissenbornio, Hertzio, Livii errorem audacissima mutatione occultarunt (ut consules de bello a. p. ferrent); Alschefskius quidem, homo alioquin incredibiliter superstitiosus, etiam c. 31 ex consulatu delevit. Magis etiam Livii in materia ex

supra belli Latini metum, etsi rectissime aliquid supra hominem esse et putari dicitur. Si quis Livium errore liberari vult, scribendum erit in quod, ut verba sic ordinentur: Nam id quoque (de Sabinis) accesserat super belli Latini metum, in quod cet. Sed perdurum hoc erit.]

superiorum annalibus excerpenda et verborum ornatu vestienda festinatio levitasque apparet, quod V, 12, 10 omnes tribunos militum præter unum P. Licinium Calvum patricios creatos scribit, nomina præter unum (L. Furii) plebeia ponit, c. autem 18, 2, quum idem, quod c. 12, tribunorum militum collegium commemorare vellet, duos (Cn. Genucium, L. Atilium) ex alio anno immiscuit. VI, 9, 5 Q. Servilius nominari debuit, qui exercitum (iuniorum) ad urbem habebat (c. 6, 13), nominatur errore memoriæ (L.) Quinctius, qui causarios senioresque scripserat (c. 6, 14). Lib. XXV, 1, 11 et 3, 12 et 12, 3 M. Æmilium Livius prætorem urbanum a. 541 p. u. c. facit; XXIV, 44, 2 eam iurisdictionem M. Atilio evenisse scribit (eique simul peregrinam mandatam, quæ sorte Æmilio evenerat), et XXV, 3, 4 Æmilium bellicam provinciam habuisse significat. Lib. XXVII, 7, 11 C. Hostilium dicit a C. Lætorio proprætore Galliam provinciam accepisse; debebat pro Hostilio L. Veturium Philonem (52)
nominare (§ 8; c. 10, 25, c. 22, 5). Lib. XXXII, 26, 8 L. Cornelium Lentulum prætorem urbanum appellat; debuit L. Cornelium Merulam appellare, si sibi constitisset (c. 7, 13, c. 8, 5), cuius nomen plerique editores inconsiderate substituerunt, si quidem, quid Livius scripserit, quæritur. Eodem capite (§ 5, 6, 7) Setiam Setinosque commemorat, ubi Signiam, Signinos debuisse videtur (c. 2, 4); nam obsides ex altero oppido in alterum translati sine causa finguntur. Lib. XXXIII, 21, 9 M. Sergio prætori iurisdictionem inter cives et peregrinos dat, quem XXXII, 28 prætorem urbanum fuisse narraverat, M. Minucium inter peregrinos. Itaque Gronovio auctore ab editoribus omittuntur verba et peregrinos, ut iurisdictio inter cives sit urbana, quomodo neque Livius neque quisquam alius dixit, nisi forte præcedente proxime aut sequente inter peregrinos, etsi ne sic quidem memini prætorem iurisdictionemve inter cives appellatam. Eodem libro XXXIII c. 27 init. Livius Cn. Cornelium Blasionem ex citeriore Hispania ovantem

urbem ingressum esse narrat; eundem ante (XXXI, 50, 11) Cn. Cornelium Lentulum appellaverat; itaque hoc nomen omnes inde ab Aldo ante Bekkerum etiam in libro XXXIII substituerunt. Lib. XXXV, 20 Livius, postquam (§ 10) recte A. Atilio prætori classem et Macedoniam provinciam datam scripsit, M. Bæbio Tamphilo Bruttios (quod rerum gestarum narratio confirmat), tamen § 11 et 12, animo et calamo aberrante, nomina permutavit, ut Atilio in Bruttios decretas legiones diceret, Bæbium naves facere iussum, atque in eodem errore permanens proximo capite (21 init.) classem, cui Bæbius præfuturus esset, nominat. Editores Livii, non librariorum errorem correxerunt; nam illis nulla res huiusmodi nominum ordine scriptorum permutationem obiicere poterat et ad alterum locum errorem propagare.

Cap. 48, 6, ubi in collem Esquiliarium editur, non persuadetur mihi, Livium uno loco usum esse adiectivi forma inaudita, quum et apud ipsum et apud alios in fre-
(53) quentissimo usu sit Esquilinus, nec dubito, una littera sublata vel potius uno ductu ex pluribus simillimis, restituere: in collem Esquiliarum. [Sic codex Bamberg.]

Cap. 53, 10 quod scribitur infensus ira itidemque II, 12, 12, utroque loco (altero quidem accedente uno et altero cod. recentiore) scribendum puto, quod II, 13, 7 legitur, incensus. Nam infensus absolute de animi habitu dicitur et voluntate ab aliquo vehementius aliena, affectu animi subito aliquis incenditur; neque obstat, quod illi etiam adiectivo VII, 27, 6 ablativus additur ad voluntatis alienæ et infensæ diuturnitatem significandam (inter infensos diutino odio). (1873.)[1])

*Cap. 56, 4: Anguis ex columna lignea (sic enim narratur) elapsus non (ut nunc scribitur) terrorem fugamque

---

[1]) [Cap. 55, 9 in eam partem nunc inclinat animus, ut ferendum putem horum magnificentiæ operum (der jetzigen Werke der Prachtliebe) nec amici suspicionem, magnificentiæ delentis, te-

in regiam fecit, sed in regia, ubi portento viso alii aliorsum diffugerunt. Nam quod video adscribi Germanice: „Die Säule stand also ausserhalb der Königsburg“, si ex nescio qua columna in publico posita anguis elapsus esset, homines non in regiam irruissent, sed per vias aufugissent; oblitus est etiam, qui hoc excogitavit, terrorem fugamque facere recte dici addito loci, ubi res acta sit, nomine, perinepte terrorem (fugamque) facere in aliquem locum. Dixi de mendi genere in prooemio, sed notandum era t artificium enarrandi. [Sic iam Bauer.] Difficilior paulo est alius mendi ex non infrequenti erroris genere paulo post (§ 7) orti demonstratio, quam tamen peritissimo cuique probatum iri confido. Nam in his verbis (de Bruto): iuvenis longe alius ingenio quam cuius simulationem induerat, si cuius ad ingenium refertur, pravissime in verbis proxime et relativa forma connexis ab homine ad ingenium transitur (iuvenis alius ingenio quam cuius ingenii); sin ad iuvenem, perverse dicitur iuvenis (alicuiusmodi) simulationem induere. Omitto ipsam hanc coniunctionem alius ingenio non sane usitatam. Omnia recta et apta erunt una littera dempta: iuvenis longe alius ingeni quam cuius simulationem induerat (ut alius ingenii coniungatur); prorsus ut c. 59, 8 oratio dicitur nequaquam eius pectoris ingeniique, quod simulatum ad eam diem fuerat. Litteram autem illam (o) peperit brevioris genetivi formæ oblivio eadem, quæ IV, 13, 13 consilia (in MPL1 multisque aliis, id est, in archetypo) ex consili. Multo plura veteris genetivi formæ et exempla et in erroribus vestigia

neam. Eiusdem capitis § 7 mire omnes Pometinæ contra codices scribunt, II, 34, 4 et 6, IV, 25, 4 eam formam, quam hic spernunt, tenent. Ut a Capua Campanus fit, ut a Samnite adiectivum est Sabellus, sic Pomptinus dicitur forma nonnihil deflexa.]

apparent in decade quarta in cod. Bambergensi et in quinta in Vindobonensi. Hic quidem eo facilius aberratum est, quod alius ad proximum iuvenis trahebatur. [Ibidem in his: Is quum primores civitatis, in quibus fratrem suum ab avunculo interfectum audivisset, ... statuit cet. durissime prædicatum commune sic ad nomen in sententia relativa interpositum refertur, ut primores plane pendeat, nec suspicio abest, quin Livius interfectos scripserit. Sunt tamen alia non prorsus dissimilia accommodationis ad propius exempla. 1861.]

(54) Cap. 58, 5 (de Sex. Tarquinio Lucretiæ præter mortem dedecus minato): quo terrore quum vicisset obstinatam pudicitiam velut victrix libido profectusque inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri esset, Lucretia cet. In hoc loco quum superiores omnes tacuissent, primus Marklandus hæsit, in remedio adhibendo infelix (velut ultrix, quod a sententia loci alienissimum est); Hertzius nuper fortius duas voces resecandas significavit, quæ unde ortæ et additæ sint, nemo divinet. Mendum tamen et manifestum est et eiusmodi, quod nullum recipiat excusationis colorem. Nam neque, cur victrix libido vicisse pudicitiam dicatur, ullo modo intellegitur, quasi non victrix vincere potuerit, neque, cur velut victrix dicatur, quæ vere planeque vicit; quodque Weissenbornius ad vocem victrix adscribit, ea cum verbo vicisset copulata speciem vero contrariam significari et cum eo comparari[1]), prorsus ignoro, quæ sit ea aut species aut comparatio; Weissenbornio, quod sæpe, accidisse video, ut ad offensionem primum adhæresceret, deinde inani artificio se expediret. Scribendum est una littera in similem mutata (t in l): quo terrore quum vicisset obstina-

[1]) „Die Verbindung mit vicisset hebt dem Wirklichen gegenüber das Scheinbare hervor".

tam pudicitiam vel vi victrix libido, hoc est, libido, quæ vel sola vi, ne adhibito quidem illo terrore et dedecoris minis, vincebat superiorque erat.[1])

Cap. 59, 1 (in oratione Bruti): vos, dii, testes facio, me L. Tarquinium Superbum — ferro, igni, quacunque dehinc vi possum, exsecuturum. Temporis et ordinis adverbium, quo alibine usquam Livius usus sit, non memini, si posuisset, adiecisset primariæ sententiæ et futuri temporis verbo (dehinc exsecuturum); quo loco nunc ponitur, unum id apte poni poterat, quo, singulatim quibusdam nominatis, postremo omnia nos comprehendere significamus: quacunque **denique** vi possum. Id adverbium et alibi depravatum est et hic facillime, quod duæ (55) postremæ litteræ (ue) propter similitudinem proximæ vocis (ui) interciderant (deniq, inde dehinc).

Lib. II.

Cap. 1, 11. Hic locus in omnibus, quorum ullum minimum est momentum, codicibus recte sic scribitur: traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui patres quique conscripti essent; conscriptos, videlicet novum senatum, appellabant lectos. Postrema verba rectius, quam in editionibus fit, interpunxi, commate ante videlicet posito. Significat Livius, qui in illo senatus vocandi carmine conscripti appellentur, initio fuisse illos ipsos, quos hoc capite narravit a primis consulibus lectos; id nomen pro patrum nomine, quod veteres senatores tanquam honestius aliquamdiu proprium servarint, sic impositum dicit, tanquam novus quidam hic senatus esset (videlicet, hoc est, credo quasi novum senatum). Hac sententia non intellecta, editores inde a Sigonio pleri-

[1]) [Multi multa de hoc loco nuper, improbabilia, quæ vidi, omnia.]

que, quod videlicet contra verum veteremque usum loquendi pro enim (nämlich) in causa reddenda positum acceperant, errorem librarii codicis infimi, Voss. 1 (et Sigoniani) secuti in addiderunt (in nov. s.), perversa sententia; neque enim in novum senatum legebantur, sed in eum, qui diu fuerat. Alii nuper gravius lapsi sunt.

Cap. 2, 3 miror omnes tacitam prætermisisse hanc sententiam: Consulis alterius, quum nihil aliud offenderit, nomen invisum civitati fuit. Manifesta enim sermonis lex offenderet requirit, hoc est: quamquam nihil aliud offendebat (de universo ingenio et habitu); nam de
(56) nulla una re cum offensione facta nec quum illo modo poni poterat nec perfectum, sed plusquamperfectum. [Sic iam Bauer.]

Cap. 6, 1, ubi Tarquinius Superbus Veientes Tarquiniensesque orasse dicitur, ne se ortum, eiusdem sanguinis, extorrem egentem . . . perire sinerent, etsi paulo durius abest accusativus subiecti index (se aut regem), magis tamen offendit se ortum, quod, qui ex aliqua urbe originem trahit, non simpliciter (solo ablativo casu) civibus illius urbis ortus dicitur. Itaque quod Sigonius et postea Wesenbergius ne se ab ipsis (iis) ortum scribi voluerunt, ita probo, ut se ab se scribendum putem, pronomine eodem ad duo diversa relato. (1873.)

Cap. 7, 12: ubi nunc Vicæ Potæ est. Iure Siesbyeus meus, quod ad Veneris (ab, propter V.) dicatur, sequi negat, ut pro nominativo dicatur ubi Veneris est (aut Græce οἱ Πλάτωνός ἐστιν, quod ἐς Πλάτωνος dicatur), et inter a et es intercidisse ædes (Vicæ Potæ ædes est). (1873.) (Cap. 11, 10 effuse vagandi (pro evagandi) de populantibus scribendum. 1873.)

Cap. 12, 16 (in Mucii Scævolæ apud Porsinnam oratione): mea prima sors fuit; ceteri, utcunque ceciderit primi, quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt. Sic nunc editur auc-

toritate optimorum codicum (MRPL1H1) multorumque etiam deteriorum, quum olim e codicibus quibusdam interpolatis ederetur: ut cuique ceciderit primo; sed sententia nulla est; nam quod Alschefskius interpretatur: „welch ein Schicksal auch immer der Erste gehabt haben möge“, iam Weissenbornius sensisse videtur, non licere, quum ante sors de sortitione et ordine sorte dato poneretur, paucis verbis post in aperta eiusdem sententiæ continuatione prorsus aliter vocem accipere; neque omnino sors alicuius cecidisse Latine ita dicitur, ut fortunæ eventus intellegatur. Quæ esset sententia, intellexerant, qui interpolatam scripturam effecerunt; sed ei sententiæ meliorum codicum vestigia hanc dant formam: ut cuiusque ceciderit primi, hoc est, ut quisque primus sorte ductus fuerit (wie eines jeden Loos der Reihe nach herauskommt).

Cap. 16, 5: His (Sabinis, qui cum Attio Clauso Romam transfugerant) civitas data agerque trans Anienem. Vetus Claudia tribus, additis postea novis tribulibus, qui ex eo agro venirent, appellata. In his et alii hæserunt et Niebuhrius, quod alibi vetus et nova Claudia tribus non commemoraretur. Poterant verius reprehendere, miram videri causam veteris tribus appellandæ, quod ei ipsi novi tribules accessissent, tum quærere, quinam illi novi tribules essent ex eo agro venientes, qui Sabinis iam datus esset. Obscuravit rem facilem intellectu una littera mutata et verba male coniuncta. Scripsit Livius: Vetus Claudia tribus, additis postea novis tribulibus, qui (hoc est, illi, qui) ex eo agro venirent, appellati, hac sententia: Ex his Sabinis cum Attio Clauso transfugis, quibus ager trans Anienem datus est, solis initio Claudia tribus constituta est; postea, quum in eam tribum (57)
novi tribules extra eum agrum additi essent, usu receptum est, ut illi, qui ex eo agro Romam et ad comitia venirent, veteris Claudiæ tribus appellatione distinguerentur a ceteris tribulibus. Apparet, cur Livius in relativa sententia

coniunctivo modo suo more de re sæpius facta usus sit. Appellata scriptum est, quod sequitur a (Appius). Cfr. I, 43, 2 prima classis omnes appellati.[1])

Cap. 17, 6: Ceterum nihilo minus foede, dedita urbe, quam si capta foret, Aurunci passim principes securi percussi; sub corona venierunt coloni alii. Adverbium passim præterquam quod pravo loco ponitur, sententia absurdum est; nam urbe vi capta passim cæduntur fugientes, supplicium post deditionem certo et delecto loco sumitur, nec, si vi capta urbs foret, principes securi percussi essent, sed in fuga cæsi. Livius primum universe, quæ oppidi fortuna fuerit, dicit; tum separatim de principibus et ceteris: Ceterum nihilo minus **foeda** dedita urbe ... Aurunci **passi**; principes cett. Eodem errore passim pro passi scriptum est c. 60, 2 in MPL al.; illo corrupto ex foeda factum est foede. (1861.)

Cap. 18, 4: Sed nec quo anno nec quibus consulibus, quia ex factione Tarquiniana essent (id quoque enim traditur), parum creditum sit nec quis primum dictator creatus sit, satis constat. Prima illa disiunctio (nec quo anno nec quibus consulibus parum creditum sit) et structuram orationis habet perineptam (— neque enim per se quæri potest, quo anno nescio cui homini parum creditum sit, quasi seiunctum hoc sit a consulibus, sed tantum, quo anno, hoc est, cuius anni consulibus parum creditum sit —) et reliquam sententiam; nam quoniam apud Romanos anni consulibus notantur, ridicule quasi duo hæc ponuntur: nec quo anno nec quibus consulibus. Duplex erat dubitatio, altera, quibus consulibus (quo anno) primus dictator creatus esset (iisne, quos Livius hoc capite nominavit, an, quorum anno Dionysius V, 72 rem assignat, Q. Cloelio, T. Lartio II), altera, quis primus dictator fuisset. Apparet, opinor, Livium

[1]) Sero animadverti, Mommsenium veram sententiam vidisse, non scripturam.

tantum hæc scripsisse: Sed nec quibus consulibus, quia ex fact. Tar. essent (id quoque enim traditur), parum creditum sit, nec quis primum dictator creatus sit, satis constat. Illud nec quo anno adscriptum est declarandæ rei causa fortasse ab aliquo, qui non satis attendisset ad Livii orationis brevitatem studiose quæsitam, qua temporis et causæ significatio in unam sententiam conflatur. (Quod in cod. archetypo scriptum fuit: quibus facti consulibus, ortum videtur librario primum, quum quibus scripsisset, aberrante ad quia ex, deinde in media voce factione sese retrahente.)

Cap. 19, 7: Nec fefellit veniens (Æbutius) Tusculanum ducem, contra quem et ille incitat equum. (58) Admodum ineleganter pronomen relativum ponitur non Tusculanum ducem, sed Æbutium significans; restituetur recta et Latina orationis forma, ut negativæ sententiæ affirmatio eodem spectans copulative (non adversative) adiungatur, si lineolam sustuleris vocali extremæ impositam: contraque et ille incitat equum. (Lib. I, 49 extr. cod. archetypus habuit per quem pro perque, ut apparet ex MP.)

*Cap. 21, 4: Tanti errores implicant temporum, —, ut nec qui consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, digerere possis. Vitiosum esse quosdam, senserat Dukerus, etsi is, quod vereor, ne multis acciderit, secundum quosdam accipit de auctoribus; Latine loquentibus is secundum Livium consul fuit, qui Livium in consulatu secutus est, non quem Livius auctor est consulem fuisse; sed nec quos certi quidam auctores consules fuisse traderent, nec qui consules post certos quosdam (qui nulli erant) fuissent, quærebatur ac dubitabatur, sed de vero consulum ordine, quum auctores discreparent. Quod ante multos annos intellexeram, duplex a Livio interrogativum pronomen positum fuisse (qui consules quos secuti essent, hoc est, quo se ordine consules excepissent), video etiam Hauptium animad-

vertisse; sed quod secundum quosnam scribit, in hac pronominis geminatione semper eadem forma utroque loco ponitur (quis quem, uter utrum fraudavit?) minimeque altero loco gravior et plenior poni potest, quasi magis, quos secuti, quam qui secuti sint, agatur. Scripserat Livius: qui consules secundum quos; non animadverso, interrogativum esse, substituit aliquis quosdam, secutus, quod quattuor versibus ante legitur, apud quosdam. [Ita Creverius dubitanter.]

Cap. 23, 7: Non iam foro se tumultus sustinet, sed passim totam urbem pervadit. Sic post Alschefskium Hertzius edidit codices et optimos (MPL1) et deteriores sequens; olim edebatur continet, quod in H1
(59) esse dicitur, tenuitque Weissenbornius, quum recte sentiret nunquam sustineri aliquid (aut se sustinere) loco aut finibus dici; tumultus sustinetur ab eo, qui ei non cedit. Sed us ortum est ex extrema syllaba vocis præcedentis, quum Livius scripsisset: se tumultus tenet. Simillimo errore lib. XXV, 4, 6 ex ipsi sustulerint factum esse ipsius sustulerint, Dukerus vidit. Proximo capite § 5 ipse quoque nunc in eam inclino partem, quam Hertzius secutus est, ut potius præverti pro prævertisse scribatur (orto errore ex eo, quod præcedit, intervenisse et ex cepisse et consuluisse, quæ sequuntur), quam pro posse substituatur coss. (Opusc. Acad. II p. 127). Coniecturam illam et Schellerus fecerat et ego significaram. [Quod Weissenbornius edidit: nec posse ... præverti se quicquam (ut præverti active accipiatur), pronomen se prorsus intolerabiliter a posse seiungitur et reiicitur.]

Cap. 25, 6 tam ignave et incommode post Romam reduxit subiicitur: Decedentem Romam, ut dubitari non debeat, quin errore urbis nomen bis positum sit. Nec c. 27, 2 ut aut ... aut ut in hac brevitate et simplicitate orationis excusationem habere videtur, sed ut ex aut auxilio ortum esse. (1861.)

Cap. 28, 3 quod scriptum est: quum alia in Esquiliis, alia in Aventino fiant concilia, tollenda est prior præpositio errore addita, ut hoc membrum alteri (alia in) simile esset. Constantissime enim Esquiliarum nomen legem nominum urbium sequitur, apud Livium h. cap. § 1, XXVI, 10, 1 et 5; duo Suetonii testimonia, Tib. 15, Ner. 31, et vitæ Horatianæ Solinique Gronovius posuit, Drakenborchius Varronis L. L. V p. 44 Bip. et Plinii minoris Ep. III, 21; addo Ciceronis Legg. II, 28: in Palatio ... Esquiliis, et N. D. III, 63, ut poëtis abstineam (Esquiliis habitare salubribus). Nihil hoc ad aliarum urbis partium nomina pertinet. (1861.)

*Cap. 30, 4: Sed curæ fuit consulibus et senioribus patrum, ut imperium suo vehemens mansueto permitteretur ingenio. Non multis verbis refellam eam, qua vulgo utuntur, huius loci enarrationem, ut ad suo audiatur ingenio; utrumque enim certissimum est, neque dictaturæ aut huiusmodi institutorum ingenium appellari a Latinis, (locorum rerumque e terra natarum ingenia novimus,) neque ex dativo substantivi postea positi hic ablativum audiri posse. Debebat præterea huic suo contraria poni alius rei (viri) notio, cuius mansuetum esset ingenium. Sed refutationem supervacuam faciunt codices, in quibus omnibus (unum enim infimi generis Lips. 2 vix opus est nominatim excipere) scriptum est: ut imperio suo. Ex hoc efficitur facillime: ut imperi uis uehemens. Comparari inter se possunt aut ipsum imperium et ingenium aut aptius etiam imperii vis ipsa vehemens et eius, qui imperium accipit, ingenium mansuetum. Suo ortum est s littera cum prima sequentis vocabuli (u) conflata. Quæ ab aliis in eandem sententiam tentata Hertzius enumerat, a codicum vestigiis discedunt.[1])

[1]) Paulo post c. 32, 9 quam emendationem Hertzius a se et Heerwagenio repertam scribit (consentientia pro consentiant), poterat etiam ab Ingerslevio sumi, quocum communicaveram.

(60) Cap. 33, 7 ubi agitur de Cn. Marcio in Coriolos oppidum irrumpente, frustra, opinor, defendere editores student hanc verborum coniunctionem: cædeque in proxima urbis facta; neque tamen, qui corrigere voluerunt, probabilia excogitarunt. Mihi una vox (cædeque) suo loco mota et alieno inserta videtur, qua reposita sic decurret sine ulla offensione oratio: ferox irrupit in proxima urbis, cædeque facta ignem temere abreptum imminentibus muro ædificiis iniecit. (Cfr. prooemium p. 12.) Sed pro abreptum scribi debet arreptum, ut ante Drakenb. edebatur. Nam ignem, qui ubi sit, non dicitur, arripit alicunde aliquis, ut pro telo instrumentove utatur, non abripit. Mox § 8, ubi in codicibus est: Clamor inde oppidanorum mixtus muliebri puerilique ploratu ad terrorem, ut solet, primo ortu et Romanis auxit animum cet., non cum Gronovio primum ortus scribi debet, sed primum orto. Nam nec utrumque participium (mixtus ... ortus) commode ad clamorem refertur et muliebris puerilisque ploratus vel maxime ad primum terrorem oriri solet. (1861.)

Cap. 36, 2 (in verbis, quæ T. Latinius in somnio audire sibi visus est) geminatis duabus litteris scribendum videtur: iret et (pro iret) ea consulibus nuntiaret, quod et in obliqua oratione sic dici solet, sublata rectæ vehementi brevitate, [contra tamen VII, 6, 10,] et quod alioquin non recte erigitur sono pronomen ea.[1]) (Sed gravius mendum proxima insidet, § 3:

---

[1]) De c. 40, 8 quid sentirem, significavi supra p. 13. In eodem capite aliud in transcursu attingam. Miror enim, qui factum sit, ut homo doctus et prudens, meliorum codicum sectator, Hertzius, quum in omnibus codd., quorum ulla est auctoritas (MPLlHl, Flor. S. Marci, Rottend, Helmst. apud Gron.) et in deterioribus etiam aliquot (Voss. 1, Leid. 2) scriptum sciret: non inviderunt laude sua mulieribus, ea structura, quam Seneca (de Vita Beata 23 et 24), Quintilianus, Plinius uterque, Tacitus secuti sunt, idque ab Alschefskio et Weissenbornio restitutum esset, ex deterioribus codicibus primum laudes suas revocaret (ortum ex geminatione

Quamquam haud sane liber erat religione animus, verecundia tamen maiestatis magistratuum timorem vicit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret. Mire pro religione, quæ ire ad consules hortabatur, substituitur timor, idque tam ambigue, ut timor, ne in ora hominum veniret, victus dici videatur, quod contra est; nam hic timor verecundiaque magistratuum vicit religionem obstititque, ne iret. Itaque aut et timor scribendum est aut potius tollendum timorem, additum, quum non animadverteretur vincendi verbum absolute dici victamque religionem significari a verecundia magistratuum simul risum vitanti.)[1] (1866.)

Cap. 41, 4 multas turbas res parva movit, interpunctio (61)
non recte facta; omnia enim plana erunt, si sic scriptum fuerit: quæ (plebs) primo coeperat fastidire munus vulgatum: a civibus isse in socios. Ea ipsa vulgatio erat plebis iudicio. Isse habet P habuitque a prima manu R, in quo „quidam scripserat", hoc est, corrigendo effecerat esse, ut coniungeretur cum vulgatum, idemque in L1 est. Egisse quoque, quod habet M et ab R et ab ceteris discedens, ex isse ortum est.

---

litteræ s), deinde, quum intellegeret h. l. pluralem formam non recte poni, fortasse laudem suam scribendum esse putaret. Movitne eum Spaldingii iudicium, Livium inter veteres numerantis, quos Quintilianus (IX, 3, 1) scribat invideo hanc rem dixisse? Atqui Quintilianum, sive is Livium inter veteres numeravit sive non numeravit, codices et optimi et mediocres ostendunt non hanc rem, sed huic rei scripsisse (invideo felicitati alicuius). Invidere alicui aliquid, quod Quintilianum veteribus et Ciceroni præcipue assignare putant, adeo non dixerunt, ut id apud neminem omnino bonæ ætatis scriptorem prosæ orationis reperiri contendam. Nam apud Ciceronem Tusc. III, 2, 3 quid ex codicibus optimis efficeretur (ut nobis optime naturæ vim vidisse videantur), ostendi ante multos annos secutique sunt postea omnes.

[1]) Cap. 38, 2 rectam orationem incipere a verbis Ut omnia, Gronovius et Dukerus senserunt, hic etiam excidisse præpositionem aliquam ante veteres...iniurias. Sed excidit potius adversus (post exorsus) quam in. (1861.)

Cap. 42, 10: motique ira numinis causam nullam aliam vates canebant — quam haud rite sacra fieri; qui terrores tamen eo evasere, ut Oppia, virgo Vestalis, damnata incesti poenas dederit. Non sane hoc contrarium timori populi denuntiationique vatum, sed vel maxime consentaneum; itaque prave tamen dicitur, quod senserunt fortasse editores Aldo priores, qui eam vocem omiserunt. Sed scribendum est tandem; significatur finis aliquando impositus diuturnæ animorum agitationi. Nihil frequentius permutatur. (Cfr. ad VIII, 10, 3.)[1])

*Cap. 45, 16: Omnium illo die, qua plebis qua patrum, eximia virtus fuit; Fabium nomen maxime enituit. Hoc Livius scripserat; addidit aliquis, ut nomen declararet, Fabia gens (Fabium nomen, Fabia gens
(62) maxime enituit). Livio ipsi qui id superaddere in mentem venire potuit? Nam nominis, quod proprie dicitur, a gente seiunctio, ut et nomen et gens enituisse dicatur, perinepta est. [Ita iam Schaefer iudicarat.]

Cap. 48, 6: Et alia bella aut præsentia instabant, ut ab Æquis Volscisque —, aut mox moturos se apparebat Sabinos semper infestos Etruriamque omnem. Sic Livius alia bella primo loco posuit, deinde aut subiecit, ut duo ad id substantivum verba accommodaturus; nec eum, omissa legitima orationis continuatione, in anacoluthon incidisse (quod rarissime facit omnino, in tam brevi quidem sententiæ complexu, nulla re orationis cursum perturbante, nunquam), satis declarant illis: aut præsentia instabant hæc accurate reddita: aut mox moturos. Itaque duæ litteræ (se) detrahendæ

---

[1]) Mendum permultis locis sublatum mansit et alibi et apud Hirtium de B. G. VIII, 19, ubi necessario scribendum est: Victi tandem (vulgo tamen) perculsique (hostes); proxime enim ante Hirtius eos animis concidisse et difficultatibus locorum circumventos dixit. Nec minus certum est, Quintilianum X, 6, 4 scripsisse: Eo tandem (non tamen) pervenit, cet.

sunt: *aut mox moturos apparebat Sabinos* cet. Quod in priore parte sententiæ *bella* nominativo casu intelleguntur, in altera accusativo, sæpe dixi, id discrimen in neutris veteres, ubi præsertim perspicue distincta orationis membra essent, perobscure sensisse curasseve, quod maxime in sententiis relativis bimembribus intellegi potest (*quod et a Crasso tactum est et Aristoteles adiunxit*), de quibus exposui ad Cic. Fin. p. 650.

*Cap. 49, 4: *Sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis, quorum neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus senatus, ibant, unius familiæ viribus Veienti populo pestem minitantes.* Senatus non ducem habet, nisi si quando in certa aliqua re unius sententiam sequitur. nec, si hoc Livius diceret, unum quemlibet ex illis trecentis senatus principem esse potuisse, *egregium* senatum appellasset (nihil enim ad rem senatus laus pertineret) nec tempora, quorum in ea re nullum momentum esset, commemorasset; omninoque subineptum hoc est totum de unoquoque Fabio principatu senatus digno; illud apte dici ac sine ridicula exaggeratione poterat, unumquemque ex his trecentis sex, (63) senioribus iunioribusque, omnibus tamen nobilibus viris, senatorium locum tueri potuisse, ut, si non militum agmen, sed senatus ille fuisset, nihil quisquam in eo ad dignitatem requisiturus fuerit, militum autem manum eam fuisse, quæ ex meris ducibus constare videretur. Atque hanc sententiam a Livio Eutropius sumpsit (I, 16): *qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent*; cuius imitatione nondum animadversa, ipsa me loci Liviani consideratio bis, multis interiectis annis, admonuit, ut scriberem: *quorum neminem ducem sperneres, egregius quibuslibet temporibus senatus.* Iam apparet, cur illa *quibuslibet temporibus* addantur. Senserat aliquid pravi subesse Tanaquillus Faber, homo acutus, qui pro *senatus* scribi voluerat *exercitus*, licenter profecto.

Sunt quædam coniecturæ per se improbandæ et tamen non inepti iudicii indices.[1])

Cap. 51, 1 emendationem a me ad Cic. Fin. p. 531 [et ante a Creverio] propositam (quum hæc accepta clades est pro esset) Weissenbornius et Hertzius secuti sunt. Sed alia mihi in hoc capite multos iam annos hæret in animo suspicio, quam quoniam sedare et eiicere non potui, promam, sed subtimide nec ut cum ceteris, quas propono, coniecturis prorsus eodem loco haberi velim. Nam quod § 4 Veientes dicuntur velut ab arce Ianiculi passim in Romanum agrum impetus dedisse, id, quoniam reapse nulla fuit Ianiculi arx, quomodo intellegi debeat, obscurum non est. Sed pro eo, quod est: ab Ianiculo velut ab arce, dicaturne velut ab arce Ianiculi (quod magis alterius loci cum arce Ianiculi comparationem significare videtur), non iniuria dubitari posse credo. Itaque videndum puto, ne Livius hoc loco loquendi
(64) forma usus sit apud Græcos in particula ὡς, ὥςπερ frequentissima, qua præmisso cum præpositione nomini eius rei, quæ comparandi causa ponitur, nomen eius rei, de qua vere agitur, sine præpositione adiungitur (ὥσπερ ἐξ ἀκροπόλεως vel ὥσπερ ἐξ ἐρύματος τοῦ Ἰανικόλου), scripseritque: velut ab arce Ianiculo eodem significatu ac si scripsisset: ab Ianiculo velut (ab) arce. Sic enim interdum Latinos optimæ ætatis scriptores dixisse, ut non multis, ita certis tamen exemplis ostendi potest; opportunissima autem mutationi erat figura minime pervagata. Cicero Tusc. V, 32, 90: Quare ut ad quietum me venias, hoc est, ad me ut (ad) quietum (ὡς πρὸς σχολὴν ἄγοντά με, quamquam in Græcis, quæ Cicero vertit, paulo diductius scribitur: ὡς οὖν

[1]) [Prorsus eandem sententiam de his Fabiis posuit Ovidius, Livio ætate suppar, Fast. II, 200: e quis dux fieri quilibet aptus erat. Habuitne a Livio an uterque ab aliquo antiquiore? Quæ Weissenbornius ad vulgatam scripturam tuendam affert, vel solæ voces quibuslibet et egregius evertunt.]

ἄγοντός μου σχολὴν ὧν οἱ πλεῖστοι ἕνεκεν ἀσχολοῦνται, παραγένου πρός με). Idem de R. P. III fr. 1: non ut a matre sed ut a noverca natura editum, hoc est: a natura non ut a matre sed ut a nov. (*οὐχ ὥσπερ ἐκ μητρὸς ἀλλ' ἐκ μητρυιᾶς τῆς φύσεως*); Ovidius epist. (Heroid.) VIII, 110: Quaque licet, fugio sicut ab hoste viro, id est: a viro sicut ab hoste. Ipse denique Livius VII, 30 extr. sic scripsit: ut aut de vestris futuris sociis aut nusquam ullis futuris nobis consulite, h. e., de nobis ut aut cet. et XXXIX, 28, 11: Eumenes tanquam ad Antiochum spoliandum me venit, ubi Drakenborchius e codice infimo contra ceteros omnes dedit: tanquam ad Antiochum ad spoliandum me venit; sed etiam spoliandum ad Antiochum pertinet, hac sententia: ad me, tanquam ad Antiochum, spoliandum. Sed quo dubitantius in hoc loco de mea suspicione dixi, eo vehementius et indignantius conquerar, proximo superiore versu per duo sæcula, si Bekkeri editionem excipias, retineri in Livii oratione foedum mendum: post acceptam proximam (65)
pugnæ cladem, quod Gronovius certissima emendatione sustulerat: post acceptam proxima pugna cladem. Tantumne valuisse lineolam additam, præsertim præcedente acceptam[1]), et litteram e ex e sequenti ortam, ut tanquam Livianum ferretur pugnæ clades et proxima pugnæ clades et accepta proxima pugnæ clades? Atqui sequi admonent apud Livium (§ 7): hesterna felicitate pugnæ. Itaque quod incerta felicitatis notio definitur pugnæ nomine et simul adiectivum habet adiunctum, ideo pugnæ clades recte dicetur et Livium scribere potuisse statuemus primum verbi causa post expertam hesternam pugnæ felicitatem, deinde post acceptam proximam pugnæ cladem? Sed cur in uno loco exclamo, quum in tot tacendi mihi legem dixerim?

[1]) Cfr. c. 45, 1 n M memoria pessimi proximi bello exempli pro proximo.

Cap. 52, 5 quoniam in codicibus (MP ceteris) non multam dixerunt est, sed multam edixerunt, fieri potest, ut Livius scripserit, ut in cod. Leid. 2 legitur, duo millia æris damnato multæ dixerunt, genetivo casu, litteris autem male divisis ex multa edixerunt factum sit multam ed. Illam formam (duo millia æris multæ pro multa duorum millium) secutus est Livius XXVIII, 39, 19: muneris . . . dena millia æris, et XXX, 5, 3: Septem millia itineris. Vid. Gramm. meæ Lat. § 285 a not., Cic. Verr. III, 75 et 76 et 140. (1861.)

Cap. 56, 7: Is (Lætorius) — ipse in accusationem Appii familiæque superbissimæ ac crudelissimæ in plebem Romanam exorsus etc. Cogente usus loquendi lege scribendum esse sublata præpositione: ipse accusationem exorsus, ante aliquot annos adnotavi, nec sententiam muto, quod adscribi video, nove hoc dictum esse pro eo, quod sit: in accusationem dicere exorsus (quod mihi quidem prorsus æque novum videtur: dicere in accusationem alicuius) aut orationem exorsus. Præpositio in ab incipiendi verbis plane abhorret. [Præceperat Creverius.] (Sed duo præterea in hoc capite emendanda esse recte admoneor. Nam § 4 quod scribitur: Huic actioni ... quum summa vi resisterent patres nec, quæ una vis ad resistendum erat, ut intercederet aliquis ex collegio, . . . adduci posset, iure Ussingius non solum ingrate concurrere summa vi et una vis, sed apertissime inter se repugnare summa vi restitisse, quum, quæ una vis esset, non reperiretur; itaque scribendum esse lenissima mutatione: quæ una via ad resit. Ex via ad quum factum esset viad, male supplendo ortum est vis ad, de quo mendi genere ad I, 39, 5 dictum est. Tum § 14 in his: et concursus hominum in forum ex tota urbe concitatæ multitudinis fieret, recte Forchhammerus intellexit prorsus vitiose abundare hominum additumque,

quod genetivus ad concursus pertinens longius reiectus esset. Concursus multitudinis sæpissime dicitur, homines concitatæ multitudinis nusquam. 1861.) Postremo § 6, qui novus tribunus legem perferendam susceperat vehementiusque eam rem urgebat quam ipse inventor legis, vix auctor recentior et acrior a Livio dictus est, sed actor. (1873.)[1])

Cap. 59, 3: ut — satis tamen appareret, capi tantum castra militem Romanum noluisse; alii gaudere sua clade. Nec alii illi qui sint nec quid hic agat infinitivus historicus, intellegi potest; quid sententia postularet, vidit iam, qui in codice recentissimo (Portug.) alioquin supra scripsit, viderunt deinde post Perizonium Hauptius et Weissenbornius; sed nec aliter, quod ille tentat, a Livio sic dicitur prætereaque longius a codicibus discedit, et alibi gaudere sua clade pro alioqui (X, 35, 7) barbarum est. (Longe diversum est, quod III, 14, 5 iuventus dicitur alibi, hoc est, in aliis rebus popularis fuisse.) Una littera mutanda est scribendumque: capi tantum castra militem Romanum noluisse, alia gaudere sua clade, hoc est, reliqua sua clade, excepta castrorum expugnatione, frequentissimo apud Livium vocis alius usu, cuius vel lexica exemplorum satis suppeditant. [Creverius.] (Eiusdem capitis § 6, quod de Appio Claudio scribitur: Victus tandem, quando quidem nihil præter tempus noxæ lucrarentur (milites, in quos sævire decrerat), remissa contione iter in insequentem diem pronuntiari quum iussisset, verbum remittendi, quod de poenis, debitis, postulatis non exigendis dicitur, a contione alienum prorsus est, quasi ea poenæ loco toleranda militibus fuerit. Quod Claudius postea, pugna interiecta, in aliis castris contionem advocavit, nihil ad hunc locum pertinet, nec remittere differendi signifi- (66)

[1]) [Quæ de rectiore orationis distinctione in c. 57, 3 (post Strothium) et 58, 4 admonueram, nihil nunc repeti opus est.]

cationem habet. Scribendum **omissa**, ex quo propter præcedentem litteram **r** natum est remissa. 1861.)

*Cap. 65, 5 quum in codicibus fide dignis scribatur: deinde, ut obtinentes locum vires ferebant, audent ultro inferre gradum, et quum Romani, qui in locum iniquum subeuntes telis hostium desuper iactis turbati pedem referre coeperant, deinde autem, hortante consule, obstinatis animis restiterant, aptissime dicantur locum obtinere, apparet de viribus stando ad novum conatum captis agi mendosumque esse ferebant, quoniam neque vires ferre dicitur, cui renovantur, neque vires quemquam stantem
(67) ferunt. Perlustratis autem omnibus vix quidquam reperias, quod dici potuerit, nisi reficiebant, cuius verbi prima syllaba post vires facile excidere poterat. (Ante refecerant conieceram, in quod video etiam Weissenbornium incidisse. Imperfectum rem sensim factam significat.)

Lib. III.

Cap. 1, 5. Non minus a Livii usu quam a Ciceronis (de quo dixi Opusc. Acad. I p. 333—338 et ad libros de Fin. p. 562) abhorrere videtur hæc trium (pluriumve) membrorum una serie et æquo gradu coniunctorum enumeratio: Antium, propinquam, opportunam et maritimam urbem, interposita inter sola extrema particula et (ac, atque). Nam et perpauci apud eum sunt huius generis loci, si cum frequentissima ita dicendi opportunitate et cum aliis tria plurave membra coniungendi modis (asyndeto particulave sæpius posita, maxime quidem apud Livium que — et) comparantur, et hi ipsi magnam partem nuper e codicibus emendati, ceteri fere ob alias causas aut perspicue emendandi aut dubii. Indicabo omnes, quos, quum non indiligenter attenderem, præter eum, quem præscripsi, adnotavi. III, 17, 3: Iuppiter optimus maximus, Iuno regina et Minerva, alii dii deæque obsidentur. Etsi paulo alius generis hic locus est, quod non subsistit enumeratio in Minerva, tamen vix dubitari potest, quin

Livius hic ad eandem formam scripserit atque VI, 16, 2 et XXXVIIII, 51, 8 (ad Iovem O. M. Iunonemque et Minervam ceterosque deos), quam tenuerunt etiam et Cicero pro domo c. 57, 144 et Valerius Max. V, 10 domest. 2, uterque ob aliam causam a Drakenborchio citatus.[1]) IV, 42 init. Sex. Tempanium, A. Sellium, Sex. Antistium et Sp. Icilium. Duo postrema nomina in bonis codicibus sic scribuntur: et Antistium et Spurillium; apparet et ortum esse, quum et Antistium scriberetur et Spurillius pro uno nomine acciperetur. V, 13, 6: Apollinem Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum. Quum paria deorum tribus lectis accubantium nominari debeant, Kreyssigius scripsit: Apollinem Latonamque, Dianam et Herculem, Mercurium atque Neptunum, transposito et, quæ coniectura plane confirmatur Dionysii Halic. comparatione XII, 9. V, 25, 2 pro eo, quod antea edebatur: peti, feriri atque occidi, codices et boni et deteriorum plerique habent, quod nunc restitutum est: peti feririque atque occidi. VII, 21, 6: C. Duillius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius et T. Æmilius; ex t, ut alibi, ortum et; nam Weissenbornii artificio, plebeios a patriciis duobus enumerando separatos putantis, non utor. VII, 30, 23 (salutem, victoriam, lucem ac libertatem) duo sunt binarum vocum ordines, de quo genere alibi dixi. XXIII, 23, 3: Quæ immoderata fors, tempus ac necessitas fecerit, iis se modum impositurum. Apparet, nullo modo eodem loco, quo tempus ac necessitas habeantur in excusatione non servatæ legitimæ consuetudinis, haberi posse fortunam et casum nec cum illis (quæ eodem modo XXIV,

(68)

[1]) IV, 3, 7 iniuria in hac re citatur; neque enim ibi una serie tria ponuntur; sed primum ad præcedentem condicionem hæc referuntur graviter geminata: stare urbs hæc non poterit? de imperio actum est? deinde transitur ad novam interrogationem de comparatione plebeii consulis et libertini aut servi.

9, 10 coniunguntur: tempus ac necessitas belli) eodem ordine componi. Mendum arguit etiam singularis verbi numerus e cod. Put. (Colbert., Med.) restitutus, qui accommodari ad tria sic enumerata et copulata non potest, ad duo una notione comprehensa potest. Livius scripserat: Quæ immoderata **forsan** tempus ac necessitas fecerit, iis cet. Concedit M. Buteo ea, quæ non probat, fortasse tempore ac necessitate facta esse. (Forsan Livius
(69) etiam III, 47, 5 eodem modo, quo Cicero forsitan, cum perfecto coniunctivi ponit in coniectando de re præterita.)[1]) XXIV, 20, 5 edebatur: Compulteria, Telesia, Compsa, Melæ, Fulfulæ et Orbitanium; codices (Put., Med., etiam minus boni) habent: Compsa inde, Fugifulæ et Orbitanium; de recta verborum distinctione suo loco dicetur. XXIV, 21, 3: deinde libertatis restitutæ dulce auditu nomen crebro usurpatum, spes facta ex pecunia regia largitionis militiæque fungendæ potioribus ducibus et relata tyranni foeda scelera foedioresque libidines adeo mutavere animos cet. In uno hoc tertiæ decadis loco nullum ad vitiosam coniunctionem accedit aliud mendi indicium; aut et spes aut spesque scribendum.[2]) XXVI, 36, 11: pro se quisque aurum, argentum et æs in publicum con-

---

[1]) XXIV, 10, 9 verba sic coniungenda sunt: nucem(?) in Sabinis publicamque viam, murum ac portam Gabiis.

[2]) Non probanda in hoc loco Weissenbornio erat Kindscheri coniectura ex duabus Gronovii nata, tenendumque cum Creverio, quod supra posui, a cod. Put. una littera (militiatq) discedens. Potiores duces sunt, quos Livius § 1 magis impigros dixit; eorum fiducia erigebantur militum animi victoriam prædamque exspectantium. Ipsum, quod additur, fungendæ confirmat verum esse potioribus; nam si ducibus dativus esset (spes facta ducibus potioris militiæ), omitteretur fungendæ. Omninoque honoratioris fructuosiorisque militiæ promissio pertinet ad milites gregarios (velut XXXII, 23, 9 ad socios navales, qui pedibus stipendia merere cupiebant).

ferunt. Weissenbornius in codice Bamberg. et argentum et æs scribi tradit. XXVII, 36, 12: in Sicilia, in Sardinia et Gallia; omissio præpositionis in tertio membro suspicionem habet. XXIX, 4, 6: viginti quinque longæ naves, sex millia peditum, octingenti equites et septem elephanti, ad hoc magna pecunia; equites et elephanti coniunctim peditibus adiungi videntur. XXXII, 33, 16: Thebas Phthias, Echinum, Larisam et Pharsalum. Copulam in quattuor Drakenborchii codicibus et in Bambergensi omissam recte sustulit Weissenbornius. XXXV, 34, 4: Demetriadem, Chalcidem et Lacedæmonem. Particulam in Bambergensi omnibusque Drakenborchii codicibus omissam Bekkerus et Weissen- (70) bornius sustulerunt. XXXVI, 14, 11: Pharsalus, Scotussa et Pheræ. Recte iidem e Bambergensi: Pharsalus et Scotussa et Pheræ. XXXIX, 33, 1: Q. Cæcilius, M. Bæbius et Ti. Sempronius. Omissum in ed. Moguntina et quinque Drakenborchii codd. et Weissenbornius delevit, natum ex t sequenti. Ita in decade quarta nullus relinquitur huius generis locus, quem non codices ipsi subtrahant, præter XXXIV, 54, 2, ubi in enumeratione prætorum ultimo loco scribitur L. Porcius Licinus et C. Flaminius. In quinta decade (cod. Vindobonensi) hæc obiiciuntur: XLII, 33, 1, de quo loco dicam separatim, et 37, 4: Epirus, Ætolia et Thessalia, ubi et ex t ortum est, tum 53, 6: descendit ad (Tripolin vocant) Azorum, Pythoum et Dolichen incolentes. Omitto nunc verba transpositione turbata; ipsa nomina in codice sic scribuntur: adzovispytolumetdoscen; apparet, in tanta reliquorum depravatione etiam et incertissimæ fidei esse. XLII, 65, 14: Consulis latera tegunt Eumenes, Attalus et Misagenes, regulus Numidarum. Perspicuum est Misagenem a Pergamenis separari; sed illos Livius non ἀσυνδέτως nominaverat. Utrum Attalusque an et Attalus scripserit, non quæro. XLIV, 43, 6: Euander

Cretensis, Neo Boeotus et Archidamus Ætolus. XLV, 26, 12: præsidia ex omnibus oppidis, arcibus et (arcivus est) castellis sese deducturum. Livius nihil scripsisse videtur nisi ex omnibus arcibus et castellis; ibi enim imposita præsidia oppida continebant; lector aliquis oppida præsidiis occupata præteriri non debere putavit.[1]) Qui hæc omnia libero animo consideraverit, quique animadverterit, in X, 9, 8 ex arduus atque — præceps addito interpretamento factum esse arduus, altus atque — præceps (vid. p. 28), non vereor, ne temere in suspicionem eum quoque, a quo orsus sum, locum vocari putet, in quo potius propinquam ad opportunam adscriptum ab aliquo iudico, qui declarare vellet, in quo posita esset opportunitas, quam in particula ipsa aut addenda aut altero loco detrahenda turbatum esse. Weissenbornius quidem propinquam separare a duobus reliquis adiectivis conatur; sed id .nec ordo verborum patitur (urbem extremo loco posito), nec notio propinquitatis et opportunitatis propius cognata quam opportunitatis et maritimi situs.

(71) Cap. 5, 8: Ni T. Quinctius peregrinis copiis cum Latino Hernicoque exercitu subvenisset. In hac orationis forma, quod iam Drakenborchius, homo minime suspicax, vidit, nullis machinis effici potest, ut non peregrinis copiis dativus sit, quibus auxilium latum sit, indicans. Atqui Romanis peregrinæ copiæ (quod tanquam triste ac memorabile verbis Livius signat), Latinus Hernicusque exercitus, subvenerunt. Tollendum igitur est cum, quod oscitans aliquis addidit. Nam quod Alschefskius appositione illud ante præpositionem additum putat, somnium est (quasi dicas: imperitis hominibus de Alschefskio et similibus); sequitur tamen Weissenbornius,

---

[1]) X, 2, 8 et XLI, 5, 11 æqualibus unius seriei membris superadditur per et unum latius patens.

adscripto etiam e libro XXXIX, 12, 4: Bacchanalibus in sacro nocturno; poterat eodem iure comparare: Tarenti, in urbe locupleti; nam Bacchanalibus sine præpositione in tempore indicando ponitur.

Cap. 8, 8: Hostes ... in Lucretium incidunt consulem, iam ante exploratis itineribus suis instructum et ad certamen intentum. Fuisse, qui suis ad hostes referrent, non crederem, nisi adnotatum viderem; adeo nullam h. l. reflexivum pronomen eo relatum excusationem habet; sed ne Lucretii quidem ipsius itinera quomodo dicantur aut quæ sint, expediri potest; exploraverat itinera, quibus hostes uti possent. Aut tollendum est suis ortum ex (itineribu)s ins(tructum) litteras geminando aut scribendum: exploratis itineribus **cum** suis instructum. (1873.)

Cap. 13, 7: (Consulto senatu in Cæsonis Fabii causa, quem in vincla duci, nisi pecunia promissa cautum esset, tribuni iusserant): vades dare placuit. Hoc si recte scribitur, senatus ipse vades dare decrevit; neque enim in tali orationis forma audiri subiectum aliud potest. Sed scribendum dari, quemadmodum proxime ante dicitur: sisti reum pecuniamque promitti placere pronuntiant. Persæpe apud verba voluntatem significantia infinitivum activum pro passivo substitutum esse, dixi supra p. 38 n. 2; cfr. p. 248 de XXII, 33, 5 et p. 413 de XXXV, 34, 3; add. XLII, 25, 10 (renovare). (1861.) Eodem errore c. 51, 2 codices appellare.

Cap. 14, 6: Ne voce quidem incommoda, nedum ut ulla vis fieret, paulatim permulcendo tractandoque mansuefecerant plebem. Non solum parum eleganter ablativi concurrunt (voce incommoda — permulcendo), sed pravum per se esse videtur ne voce quidem incommoda mansuefecerant plebem, quod voce incommoda in ea re vel maxime abstinendum erat.

Itaque et Siesbyeo et mihi, alteri alterius coniecturæ ignaro, in mentem venit: Ne voce quidem **incommodi**, h. e., dum cavent, ne vel voce incommodi sint. Si alterum Livius scripsit, perdure usus est ablativo modi negativo (ne voce quidem incommoda interposita); vid. Gr. Lat. § 257. (1861.)

Cap. 18, 1: Eadem nocte et Tusculum de arce capta — nuntii veniunt. Nihil est, quo et referri possit. Ortum id est ex geminatione litteræ præcedentis et sequentis, quemadmodum IV, 8, 4 pro custodiæque tabularum scriptum prave esse custodiæque et tabularum Creverius vidit. Eundem errorem in iisdem litteris commissum notavi olim in Ciceronis librorum de Fin. codicibus vulgaribus II, 25, 84 (præclare et tuebere) et in Suetonii Claud. c. 21 (utraque et tophina pro utraque tophina).

Cap. 19, 6 (in L. Quinctii consulis oratione): Herdonius ... hostem se fatendo prope denuntiavit, ut arma caperetis; hic (A. Verginius) negando bella esse arma vobis ademit nudosque servis vestris et exsulibus obiecit. Ipsa verba clamant, agi de uno Capitolio capto, nullaque alia bellà significari; contenderant enim tribuni (c. 16, 5), non bellum, sed vanam imaginem belli Capitolium insedisse; neque ulla hic figura fingi potest, qua pluralis pro singulari ponatur. Itaque cogor bella pro bellum errore scriptum putare. (1861.) Eodem capite § 11: At enim — legem vos hoc anno perlaturos dictitatis. Tum hercule illo die, quo ego consul sum creatus, mala gesta res publica est, peius multo, quam quum P. Valerius consul periit, si tuleritis. Ineptissime condicio, quæ particula tum ad superiora relata et cum adversariorum minis connexa graviter et breviter significata est, repetitur in fine periodi (si tuleritis), præsertim post adiunctam amplificationem illam:

peius multo — periit, tanquam ad eam condicio pertineat.[1]) Pravum etiam verbum esse tuleritis, Dukerus vidit, qui de qua re dubitaret, Drakenborchius non intellexit. Non, si tulissent tribuni legem, L. Quinctius peccatum in se consule creando fore dixit (— ferebant enim, nec id quisquam impedire poterat —), sed si pertulissent, quod minabantur. Hoc igitur ceteris addatur exemplum adnotationis, quæ declarandæ sententiæ causa adscripta esset, in codice archetypo inter Livii verba receptæ. (72)

Cap. 21, 4 Livius (in oratione L. Quinctii consulis) non scripsit: plebs SC. in continuandis magistratibus solvit, sed: SC. continuandis, sine præpositione; nam in creandis magistratibus (bei den Wahlen) solutum est senatus consultum continuando tribunatu iisdem hominibus (durch die Wiedererwählung). Erroris origo in MP perspicua est; nam quum scribi debuisset **s. c. m.** (senatus consultum), factum est **s. m. c. in**, littera **m** ante **c** scripta, deinde suo loco in duas (in) soluta.[2])

*Cap. 23, 7. Extrema huius capitis pars sic interpungenda est: Eodem anno descisse Antiates, apud plerosque auctores invenio; L. Cornelium id bellum gessisse oppidumque cepisse. Certum affirmare — non ausim. Omnia hæc apud plerosque (hoc est, ut Livius hoc vocabulo utitur, non paucos) auctores invenerat; de omnibus certam affirmationem cohibet, quod alii scriptores prætermittebant. Vulgo sic scribitur, tanquam defectionem apud auctores commemoratam invenerit, de L. Cornelio et oppido capto (quæ ubi invenerat?) affirmare non audeat. Res pusilla est; sed quoniam talia (73)

[1]) [Tum...si per se quin rectissime diceretur, ubi subiiceretur demum, non antecederet, condicio et statim subiiceretur (VI, 14, 4, VII, 34, 14, VIII, 30, 11), quis dubitavit?]

[2]) [Præpositio est etiam in V, sed is etiam senatum consultum omnibus litteris pro sc.]

nobis corrigenda relicta sunt, ne in aliis quidem locis magni ponderis esse debet, quod nemo adhuc offendit.[1])

(74) Cap. 27, 6 suspicionem ponam dubitanter, ponam tamen. Nam quod sic scribitur: Inde composito agmine non itineri magis apti quam proelio, si res ita tulisset, legiones ipse dictator, magister equitum suos equites ducit, dubito, ipsene dux, qui exercitum ad progrediendum pugnandumve composuit, proelio aut itineri aptus recte dicatur; nam instructus, compositus, paratus dici potest, quia ea verba habitum ad tempus aliquod sumptum indicant, aptus, quum de homine dicitur, perpetuum habitum et ingenium significat. Nec placet absolute sic dici dictatorem et magistrum equitum composito agmine isse, quasi cavendum fuerit, ne dissolutum et disiectum habuisse putarentur. Videndum igitur, ne Livius scripserit: Inde composito agmine non itineri magis **apte** quam proelio, si res ita tulisset, cet., dativo ad adverbium accommodato, quomodo XXXI, 5, 5 dixit: opportune irritandis animis. Similiter, conversa in aliam partem sententia, XXXVII, 21, 2 Macedones dicuntur abisse agmine ad iter magis quam ad pugnam composito.[2])

Ne id quidem omittendum, Livium in hoc libro bis, hoc capite § 3 et c. 63, 6 Martium campum appellare, quem alibi semper (in hoc ipso libro 10, 1 et 69, 6, I, 44, 1, IV, 22, 7) cum aliis prosæ orationis scriptoribus cam-

---

[1]) De c. 24, 10 dixi Opusc. Acad. II p. 221 secutique sunt Weissenbornius et Hertzius.

[2]) [Quæ de § 1 huius capitis scripseram (patriciæ gentis sed qui, pro quo et qui requirebam) secutusque etiam 1873 eram, iam non teneo concedoque Livium primum ab hac sententiæ forma animo concepta: patriciæ gentis, sed qui stipendia pedibus propter paupertatem fecisset, deinde suo illo more sic quum interposuisse, ut tamen sed retineret. Nam quousque licentiæ et duritiæ in hoc genere processerit, exposui nuper Kleine philologische Schriften p. 359 et 371.]

pum Martium proprio certoque nomine appellat, sine ulla minima causa, quæ aut in sententia aut in orationis forma insit, inverso ordine (priore loco interposita etiam præpositione: Martio in campo, quasi ab alio campo distinguatur); nam quod Drakenborchius etiam II, 5, 2 Martium campum dictum esse admonet, eius quidem loci prorsus alia est ratio, in quo hoc nomen primum impositum traditur et in coniunctis nominibus Marti Martius figura aliqua orationis est. (Cfr. I, 3, 3 Longa Alba appellata est.) Non dubium videtur, quin Livius et hoc capite tantum in campo et c. 63 in campum scripserit, quemadmodum c. 69, 8 delata in campum, mota ex campo dixit (add. I, 16, 1, XXIV, 10, 9), adiectivum a lectore aliquo supra scriptum in orationem venerit. Alium campum significari Niebuhrius frustra fingit.

Cap. 28, 9: Ab consule ad dictatorem ire iussis (75) (Æquis) ignominiam infensus addidit. Neque satis narrando distinguuntur gradus rei actæ, quos Livius ipse significat (hinc dictatorem, hinc consulem orare), et intolerabilis est orationis forma: ad dictatorem ire iussis addidit (dictator). Hanc molestiam creavit error in codice archetypo frequens, littera (i) semel scripta, quum bis scribi deberet: Ab consule ad dictatorem ire iussi; is infensus ignominiam addidit.[1]) [Sic Rupertius.] Nam pro infensus, quod in M male scribitur insensus, non recte nuper e P edi coeptum est incensus, quod sic nude de graviore ira et odio quam pro communi hostis animo non dicitur.[2])

---

[1]) II, 58, 7 pro: omnes sua sponte in cod. arch. scriptum erat: omne sua sponte, inde in L1H1 (M a manu 3) factum: omnem sua sponte.

[2]) Cap. 31, 8 in margine ponam necessariam emendationem, quam quum ipse fecissem, a Klockio præceptam vidi. Nam quum tribuni egissent cum patribus, ut communiter legum latores et ex plebe et ex patribus creari sinerent, qui utilia utrisque ferrent,

(76) Cap. 37, 2: Primores patrum odisse decemviros, odisse plebem; nec probare, quæ fierent, et credere haud indignis accidere; avide ruendo ad libertatem in servitutem elapsos iuvare nolle, cumulare quoque iniurias, ut tædio præsentium consules duo tandem et status pristinus rerum in desiderium veniant. Prorsus incredibiliter primores patrum, qui oderant decemviros et, quæ fierent, improbabant, cumulasse ipsi iniurias decemvirorum narrantur, hoc est, auxisse alias addendo; nec profecto in desiderium venturus erat pristinus status et consulatus, si plebeii primores patrum, qui consules futuri erant et plurimum, si pristinus
(77) status redisset, potentiæ habituri, iniurias decemvirorum cumulantes viderent. (Si quis cumulare interpretari conabitur oratione augere, neque id verbo significatur neque primores patrum cum plebeiis sermones conferebant neque hoc ullo modo particula quoque tanquam gravius priori illi iuvare nolle adiungi poterat.) Tantum aberat, ut patres plebem avide ruendo ad libertatem in servitutem lapsam iuvare vellent, ut gravius etiam non suis, sed decemvirorum iniuriis opprimi eam cuperent, sic desiderium consulatus et pristini status oriturum rati. Ea sententia efficietur una littera mutata: in servitutem lapsos iuvare

---

patres rem ipsam de legibus non aspernati narrantur, sed daturum leges neminem nisi ex patribus dixisse. Atqui de ferendis legibus agebatur (ac ne dubites, sequitur: quum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet), neque ullæ unquam in re publica Romana datæ leges sunt (nisi si quis legem a se compositam alteri, ut pro sua ferret, dedit), neque id verbum de ea re (de vera in re publica lege) ab Romano homine positum est ponive potuit, quod ab institutis et notionibus Romanorum longissime abhorrebat. Itaque Drak., ne cogeretur l pro d scribere (laturum leges), a Vergilio iura data advocavit et ea defensione ceteris satisfecit. (Dantur leges victis a victoribus, sociis et dediticiis a senatu et imperatoribus [Cic. Verr. II, 121; Liv. IX, 20, 5, XLV, 31, 1], qui etiam pacis leges dant.)

nolle, **cumulari** quoque iniurias, ut cet. Nam ex nolle in altero membro sumitur velle notissimo in contrariis membris orationis loquendi usu; poterat addi adversativa particula: iuvare nolle, sed cumulari quoque cet. Cfr. X, 25, 10, XXVII, 10, 10, XXXIV, 43, 8: In Macedoniam novum exercitum transportari non placuit; eum, qui ibi esset, reduci in Italiam ac dimitti; Cic. N. D. I, 7, 17. (Eiusdem capitis § 7 quod scribitur in codicibus: Hi (patricii iuvenes) ferre agere plebem plebisque res, quum fortuna, qua quicquid cupitum foret, potentioris esset, nemo ita expedivit, ut qua tolerabiliter in orationem et sententiam includeret; itaque eo decurrunt, ut tollant, nulla additamenti ratione probabili reddita. Nec fortuna nominativo casu positum ferri potest; neque enim, qui, quicquid cupit, id consequitur, eius fortuna esse Latine dicitur. Apparet necessario hæc cohærere: quum, quicquid cupitum foret, potentioris esset. Itaque fortuna ablativus est et adiectivum poscit, ut modus et condicio rei significetur. Id adiectivum truncatum inest in qua, hausta prima syllaba. Ex fortunaqua efficitur fortuna æqua. Acerbe Livius æqua hæc acta fortuna dicit, ut non uni alicui potentiori daretur, quicquid cupivisset, sed omnibus æqualiter. Simili mendo c. 38, 4 in V et P pro fortuna Æqui scribitur fortunæqui. 1861.)

Cap. 38, 10. Perventum est ad vulnus grave et profundius latens, quod tamen manifestis indiciis arguitur. Qui fuerit, vocatis tandem aliquando a decemviris senatu, animorum plebis habitus, qui sermones, sic describitur: — — curiam inde ac solitudinem circa decemviros intueri, quum et ipsi, consensu invisum imperium, et plebs, quia privatis ius non esset vocandi senatum, non convenire patres interpretarentur; iam caput fieri libertatem repetentium, si se plebs comitem senatui det et, quemadmodum patres

vocati non coëant in senatum, sic plebs abnuat dilectum. In illis: *iam caput fieri libertatem repetentium* unus, quod sciam, Sigonius hæsit, quæ multis modis vitiosa sunt. Nam neque ulli erant *libertatem repetentes*, omnibus hactenus torpentibus et tacite liber-
(78) tatem desiderantibus aut inani sermone, nec magis *caput repetentium*, quod de duce intellegitur, repertum ullum erat, (neque enim senatus universus *caput* repetentium dici ullo modo poterat, quæ appellatio ad unum aliquem hominem pertinet, ut caput capitave coniurationis dicuntur), nec *caput* aut dux *fit*. Breve faciam. Nondum de homine agitur, sed de rei agendæ initio ac spe. Itaque partem aliquam veri Sigonius vidit, qui scribi voluit: *iam caput fieri libertatis repetendæ* (debebat saltem propius: *libertatem repetendi*); suam enim, opinor, coniecturam veteri libro tribuit. Sed *caput* de initio rei agendæ nunquam dicitur et in *repetentium* plus latet quam *repetendi*. Scripserat Livius: *iam* **patefieri** *libertatem repetendi* **uiam**, *si se plebs* cet. Antiquissimum mendum coalescentibus verbis *repetendiuiam* natum, deinde interpolando occultatum est.[1])

Cap. 39, 5 non exponam pluribus, quid sit vitii in verbis *in rege tum eodem*. Nam neque *rex idem* neque *tum idem* ferenda sunt; et ipsum *tum* ineptum est post superius illud: *Nec nominis homines tum pertæsum*; ab hoc loco temporis notio aliena est. Scribendum opinor:

---

[1]) Cap. 39, 4 quod disputaturus eram, *appellatos* mala manu additum esse, Weissenbornio in mentem venisse video. Auditur *appellari*. Præter rationem grammaticam necessariam (— debebat enim dici: *quo Romulus deincepsque reges appellati sint* —) manifesto interpolationem sententia arguit; neque enim ad rem pertinet, reges tum, quum essent, regio nomine appellatos esse, sed ut ostendatur, non ipsius nominis homines pertæsum esse, demonstratur, nunc quoque et in Iovis appellatione et in Romuli ceterorumque regum mentione et in sacris retineri nomen tanquam honorificum.

Quæ si in rege et uno eodem, hoc est, et simul uno, quod perapte contrarium ponitur illis: quem laturum in tot privatis. Quam facile, semel scripto e, ex tuno fieri potuerit tum, patet. (1875.)

*Cap. 40, 7: Alia sententia, asperior in speciem, vim minorem aliquanto habuit, quæ patricios coire ad prodendum interregem iubebat. Censendo enim quoscunque magistratus esse, qui senatum haberent, iudicabat, quos privatos fecerat auctor nullius SCti faciendi. Locus hic et emendare et enarrare conantium studiis celebratus est, quorum tamen nemo effecit, ut tolerabiliter appellarentur illi quicunque magistratus; nam: iudico te quemcunque magistratum esse pro eo, quod est: iudico te magistratum esse, qualiscunque es, nugæ meræ sunt; si posset ulla ratione (79)
ita dici pronomen (quod non potest), significaretur: censeo in te uno omnes magistratus inesse. Neque ei sententiæ, quam Petrus Nannius esse debere vidit, satisfacere nudum censendo, Dukerus recte animadvertit; sed id, quod desideratur, non explet ita aut hoc, quod hic requirebat. Una littera restituta, quam pronominis ad vicinum substantivum prava accommodatio corrupit, efficitur verum: Censendo enim quodcunque, magistratus esse, qui senatum haberent, iudicabat: Denn durch das Votiren, welcher auch immer der Inhalt des Voti war, erkannte sie an (dadurch, dass man, was auch immer, votirte, erkannte man an).[1] Sed plura de hoc capite dicenda sunt. Nam paulo post (§ 9) L. Cornelius Maluginensis, qui occulte decemviros tuebatur, dictitasse narratur, mirari se, quonam fato incidisset, ut decemviros, qui decemviratum petissent, aut socii aut hi maxime op-

[1]) Ne certa et facillima correctione utatur, Weissenbornius incredibiliter enarrat quoscunque, ut sit magistratus esse, quicunque (quicunque magistratus?) sint. Putatne Latine dici: Ciceronem quemcunquè philosophum iudico?

pugnarent. Quid esset in his pravi, senserat Glareanus aliqua ex parte et duobus modis enarrando aperuerunt Drakenborchius et Weissenbornius, quorum ille tria genera oppugnantium distingui putat, nec videt *maxime* necessario cum *oppugnarent* coniungi (neque enim admirabile erat, quod competitores et socii eorum decemviros oppugnarent, sed suspiciosum, quod hi maxime), tum, ut *socii* omisso *eorum* feratur, tamen non intellegi, qui sint illi et cuius rei socii, postremo prorsus ridicule tertio in genere poni sive *hos* sive *hos maxime*, quasi inter *hos*, qui oppugnantes demonstrantur, priora duo genera oppugnantium non sint; Weissenbornius autem recte intellexit unum cum invidia et suspicione commemorari decemviros oppugnantium genus, eorum, qui ipsi decemviratum petissent; sed dum hos aut socios aut maxime oppugnasse vult, præterquam quod *socius oppugno* nihil prorsus est nec *socii aut maxime* recte copulantur, sed *socii aut principes* (quorum tamen principes priore loco ponendi erant), fingere ipse cogitur alios nescio quos oppugnandi principes, quorum hi socii fuerint. Omnia recta erunt adhibita facillima
(80) et certissima emendatione: *ut decemviros, qui decemviratum petissent, aut* **soli** *aut hi maxime oppugnarent.*[1]) Ea demum recte contraria inter se referuntur. [Hoc etiam Creverius correxerat.] Restat in eadem L. Maluginensis oratione aliud mendum (§ 11); sic enim apud Drakenborchium scribitur: *ceterum neminem, maiore cura occupatis animis, verum esse, præiudicium rei tantæ adferre. Sibi placere de eo* cet. Id pravum esse et ordo verborum arguit, *neminem* inepte in initium

---

1) [Errore scripseram uno verbo plus: *qui ipsi decemviratum.* Id unum Kratzius ann. philol. XCIII p. 272 quum consilio factum putaret, sane recte reprehendit; de ceteris neque hic neque in reliquis locis aut quid vitii esset aut quid sententia postularet aut quid apte efficeretur, intellexit. Eiusdemmodi alia neque adnoto neque refuto.]

sententiæ retracto, et verbi pravitas (nihil est enim adferre præiudicium rei) et codices, in quibus omnibus, quorum quidem aliqua est auctoritas (MRPL1H1, cet.), scriptum est auferri; quamquam quod hoc ipsum Weissenbornius in editione Teubneriana tenuit, Hertzius autem inde: neminem præiudicium rei tantæ auferre effecit, non minus quam adferre vitiosum est; nam auferre præiudicium is demum dici potest, qui victor a iudice discedit cum sententia sibi ad rem postea iudicandam utili, cuius nihil simile h. l. cogitari potest. (In altera editione Weissenbornius scripsit: ceterum minime — verum esse præiudicium tantæ rei auferri, relicto eo, quod maxime pravum erat, mire præterea minime et verum distractis.) [Alia nihilo meliora in tertia editione secutus est.] Viam veri inveniendi ostendit antiquissimum vestigium in cod. M servatum, in quo a prima manu non neminem, sed nemini scriptum est, quod altera manus in illud mutavit. Scripsit Livius: Ceterum — **etenim**, maiore cura occupatis animis, verum esse, præiudicium tantæ rei **haut fieri**, — sibi placere cet. Ex haut, quod in cod. archetypo scribi solitum esse M et P ostendunt, sæpissime ortum est aut (ut in P c. 43, 4 aut inultum, VIII, 33, 22 in Mm.1 Pm.1 aufrustra pro haut fr.).

Atque hæ quidem tres prorsus certæ emendationes sunt; illud difficilius ad persuadendum, quod in hoc capite supra § 2, ubi editur: oratio fuit precibus quam **iurgio** similis, scribendum dico, quemadmodum primum, ut videtur, in editione Ascensiana a. 1513 coniectura emendatum est: similior, retractis litteris, quæ propter sequens **o**rantis omissæ sunt. Nam quod magis omitti dicitur, (81)
frustra quæras, ubi Livius in tali orationis forma (adiunctis proxime ad ipsum adiectivum rebus comparatis) ita dixerit; habet enim hæc licentia suas causas, suos fines. Equidem ne de XXIII quidem 43, 13 aut XXVIII, 44, 9 suspicionem excludo. (XXXVI, 17, 3 solus cod. Mog. recte inexsupe-

rabilior saltus, ceteri inexsuperabilis.) Postremo (subeunda enim, veritate cogente, audaciæ reprehensio est) § 5 verum esse posse nego, .quod scribitur: quum aliud, præterquam de quo rettulissent, decemviri dicere prohiberent, Claudium interpellandi verecundia fuit; hæc enim sic dicuntur, tanquam ipsum Claudium (de eo enim agitur) prohibuerint nisi de re relata dicere. Nam quod adscribitur Germanice: sonst, bei den übrigen, non potest omitti id, in quo ipsa sententia vertitur. Manifesta sententiæ ratio et contrariorum figura postulat, ut scribatur: quum **alios**, præterquam de quo rettulissent, decemviri dicere prohiberent, Claudium interpellandi verecundia fuit.

Cap. 41, 8, ubi exponitur, cur ceteri decemviri, App. Claudio urbis cura commissa, Q. Fabio bellum cum Sabinis gerendum mandarint, in iis, quæ de Fabio ponuntur: in Fabio minus in bono constans quam navum in malitia ingenium esse, est aliquid in sententia vitii. Decemviri enim non quærebant, quam in bono constans esset Fabius, nec simul, quantum in bono et in malo excelleret, rationem habebant. Videtur Livius orationis forma aberrasse, quum sic scribere deberet (suum aliorumque et decemvirorum iudicium in unum conflans): magis non in bono constans quam cet. Eo spectant, quæ subiiciuntur, Fabium non natura malum, inconstantia tantum et infirmitate a bono descivisse; ideo ei urbem credi non potuisse, in qua nava malitia opus esset. (1861 et 1873.) (Quæ manifesto requiritur sententia, prorsus aderit, si ante minus excidisse putarimus potius, quod alter adverbii comparativus alteri noceret: in Fabio **potius** minus in bono constans quam navum in malitia ingenium esse. 1875.)

Cap. 45, 9 in Icilii Appio Claudio minantis oratione in his verbis: Neque tu istud unquam decretum sine cæde nostra referes, obscurum est, quo sensu dicatur referre decretum; videtur enim esse renovare et iterum

reddere, quemadmodum fabula, responsum, consuetudo, veteres artes referri dicuntur. Sed ea significatio non valde apta est; videndum igitur, ne Livius perferes scripserit, quemadmodum lex perfertur. (1861.)[1])

Cap. 50, 10 (ubi de togatis agitur, qui post cædem Verginiæ ex urbe in castra venerant): eadem illa (quæ in urbe accidissent) querendo docendoque, quanto visa quam audita indigniora potuerint videri. Quum rem atrocem, cui ipsi interfuimus, aliis narramus, docemus eam oculis subiectam quam auditam indigniorem aut visam esse aut necesse fuisse videri; potuisse videri indigniorem, nihil est, quod doceamus, quoniam id ad rem nihil pertinet et per se intellegitur. Itaque absurdum est potuerint, (82) quod quum Weissenbornius aliqua ex parte sentiret, fecit, quod sæpius, quam vellem, in talibus facit, ut occultet difficultatem enarrationis aliqua specie, locis quibusdam quasi similibus adscriptis, in quibus, si diligentius attenderis, nihil est simile. Nam potuerint interpretatur: es liege in der Natur der Sache; atqui vertendum plene erat: es liege in der Natur der Sache, dass es habe — können, quod ridiculum est: requiritur enim: dass es habe — müssen. Quod autem comparat II, 16, 6: ut diu nihil inde rebellionis timere possent, id hanc habet sententiam: ut liceret diu rebellionis metu supersedere. Nihil igitur in eo loco huius simile; reliqua non persequor. Scripsit Livius: quanto — indigniora **oportuerit** vi-

[1]) Cap. 44, 8 recte Ingerslevius orationem sic descripsit: Vocat puellam in ius. Auctoribus, qui aderant, ut sequeretur, ad tribunal Appii perventum est. Postulat assertor; concedentibus adversariis fit, quod postularat. Cap. 49, 6 quod ipse scribendum conieceram: Agitatus deinde consiliis, **ad quæ** ex omni parte adsentiendo multis auctoribus trepidaverat, senatum postremo vocari iussit, postea ab Strothio occupatum vidi. In codicum scriptura (etsi atque reapse non differt ab ad quæ) perversissima est orationis progressio, perversissimum plusquamperfectum.

deri; quum *e* intercidisset ob præcedentem vocalem, natum potuerint. [Iam Doeringio in mentem venerat, fortasse debuerint scribi debere.] Dici autem oportet de ea, quam logicam appellamus, necessitate, constat, etsi exempla in lexicis cum alius generis locis confunduntur, in quibus significatur, quid requiratur. Sed illa, quam dico, significatio, præter Plauti Poen. V, 2, 70 et Cist. IV, 2, 51 et Lucret. I, 778, est etiam apud Ciceronem de Invent. I, 47 et 84, Verr. V, 71, ad Att. VII, 17, 2, XIII, 6, 3, apud Horatium Sat. II, 6, 52, apud Plinium Paneg. 5. Eodem modo dicitur debere non solum apud Lucretium sæpius (I, 232, 290, 545, III, 758, IV, 652), sed etiam apud Ciceronem de imp. Pomp. 28 et apertius Verr. III, 39 et IV, 65, pro Mur. 20, pro Mil. 51, Tusc. I, 96, Parad. 22, apud Plinium Epist. VII, 20, 6, VIII, 6, 1.[1]) Mendum idem, quod hinc sustuli, insidet in Ciceronis orat. pro dom. 5, 11, sed alio auctum; nam pro eo, quod editur: certe consules causam suscipere, certe senatus aliquid consilii capere potuit, scribendum est: certe senatum aliquid consilii capere oportuit. (De quum — simul in hoc loco posito valde dubito vereorque, ne quum a mala manu sit.)[2])

Cap. 52, 2, ubi in codicibus bonis consensu scribitur: sciturosque sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant, frustra mendum interpolando occultari (sciturosque, quod nequeant), pridem ostendi Opusc. Acad. II p. 235. Medicinam non reperiebam. Eam Bezzenberger afferre conatus est, qui tribuniciæ potestatis significationem, quæ abesse nequiret, in interrogativa orationis forma inesse vidit et sic simul expedivit, qua ratione

---

[1]) [Eodem modo Græce ponitur δεῖ (Eurip. Ion. 291, Demosthen. XX, 84), non solum μέλλω. Paulum Manutium, virum egregium, qui abusus uno et altero loco, ubi posse est licere, per leges fieri posse, etiam pro oportere dici posse statuit (ad Cic. epist. ad Att. II, 9, 1 et III, 15, 4), non puto nunc refellendum.]

[2]) Cap. 51, 12 pro Et leniter aut scribendum Sed leniter (1861) aut tantum leniter.

nequeant cohæreret cum scituros (hac, ut nunc loquimur, sententia: scituros, cuius potestatis restitutio condicio esset necessaria rerum in concordiam redigendarum). Sed quod scripsit: scituros, qua nisi restituta cet., non potest nisi sic subiici interrogativo; debebat esse qua non restituta; ac ne nisi quidem facile ex sine eruitur (multo minus qua sibi non). Itaque scribendum puto eadem sententia propius ad codices: scituros que, qua sine restituta potestate), forma orationis perrara, sed ab ipso Livio posita XLV, 25, 8: sine rogatione ulla perlata; cfr. V, 4, 4: sine impensa opera. (Varronis perspicuum locum et Ciceronis addidi Adv. Crit. II p. 367.) (1861.)

*Cap. 56, 5: Nec in tribunicio auxilio Appius (83)
nec in iudicio populi ullam spem habebat; attamen et tribunos plebis appellavit et — arreptus a viatore, Provoco, inquit. Aut ac tamen scribendum aut potius at tollendum, ex syllaba præcedenti ortum.

Cap. 56, 12 (in oratione Appii): Quod si tribuni eodem foedere obligatos se fateantur tollendæ appellationis causa, in quam conspirasse decemviros criminati sint, at se provocare ad populum. Scribendum esse: eodem foedere —, in quod, tam est apertum, ut mirere, nemini in mentem venisse. Ac ne quis figuram aliquam comminiscatur, qua relativum ab eodem seiungi possit (— etsi fieri id nullo modo potest —), addam, ridicule dici conspirare in appellationem; nam quod tollendam audiri volunt, quis unquam eiusmodi figuram novit, ut gerundivum substantivo adiectum audiatur ad pronomen relativum subiectum (quasi dicas: oppugnandæ urbis causa, in quam veni esse in quam oppugnandam)? Tum ne hoc quidem usitatum est conspirare in rem faciendam, sed ad rem faciendam. Confitendum igitur, opinor, erit, pronomen a librario errore ad proximum nomen accommodatum esse. Vid. prooem. p. 10 sq. [Sic

iam Creverius scribi voluerat. Mendum iam in V est. Sed in eo recte scribitur: foedere ... tollendæ appellationis in, omisso causa, quod apparet additum esse, quum non attenderetur, genetivum a foedere pendere.]

Cap. 61, 12: Iam Horatius eos (milites) excursionibus sufficiendo proeliisque levibus experiundo adsuefecerat sibi — fidere. Nihil esse sufficere mi-
(84) litem excursioni (active), omnes fere confitentur; sed quod Dukero suadente sufficiendo intransitive de ipsis militibus excursionum labori et periculo sufficientibus accipitur, non solum per se durissime gerundii ablativus ad obiectum sententiæ activæ refertur (alius enim generis sunt, quæ Weissenbornius citat), sed prorsus evertit illum interpretandi conatum adiunctum proeliisque experiundo. Venit in mentem, Livium scribere potuisse excursionibus subigendo, hoc est, exercendo et durando, quemadmodum homines subacti atque durati bellis dicuntur XLII, 52, 10. [V prorsus omittit sufficiendo. Residet tamen scrupulus.]

Cap. 62, 3 (in oratione Horatii consulis ad milites) editur nunc auctoritate codicum RM: id consilii animique habiturus sum, quod (M quos) vos milites geritis. Omitto inanem repetitionem vocis milites (post § 2 vos, milites); molestior est pravitas temporis; neque enim cum habiturus sum convenit geritis; sed multo gravius est orationis et sententiæ vitium; nam (præterquam quod idem dicendum erat) neque consilium geritur neque consul Romanus unquam dicturus erat, se id consilii habiturum, quod milites sive gererent sive haberent. Livius scripsit: quod vos mihi feceritis, hoc est, quod intellectus et æstimatus vestrorum animorum habitus mihi ipsi subiecerit. Ea scriptura primum permutatis litteris c et g (ex quo sæpissime confunduntur egi, ieci, legi, feci, similia) leviter corrupta est; dein fe cum mihi coaluit, ut milites nascerentur. In codice archetypo scripturam ambi-

guam fuisse, apparet ex eo, quod in L1 est: quod uos mihi tetegeritis (non profecto corrigendo natum, sed propius primo mendo mihi fegeritis), in H1 et aliis: quod uos tegeritis, omisso mihi; in Parisino fueritne: quod uos mihi effeceritis, dubium videtur; in aliquot deterioribus (Voss. 2, Harl. 2, fragm. Hav., Gaertn., Klock., Port. apud Drak.) ea scriptura est, coniectura, ut opinor, inventa, veritati proxima; ipsum feceritis Gronovius in Gudiano fuisse dicit nec tamen, quod mirere, tenuit. Facit aliquid mihi animum, non efficit. Vid., si tanti est, (85)
quæ ad XXXI, 18, 4 dicentur. [Hoc quoque Creverius occuparat.]

*Cap. 64, 2 (ubi agitur de tribunorum plebis consilio et sibi et consulibus magistratum continuandi): Consensum patrum causabantur, quo per contumeliam consulum iura plebis labefacta essent; quid futurum nondum firmatis legibus, si novos tribunos per factiones suas consules adorti essent? Quemadmodum tribunorum nomini adiectivum additur (novos), sic necessario consulum nomini addendum erat; nam alios consules timebant (aut timere videri volebant), ingenio diversos ab iis, qui nunc essent, plebi grati. Deinde prave factiones plurali numero dicuntur; qui enim timebantur consules, uni plebis adversariorum factioni dediti per eam unam aggressuri tribunos erant; altera senatus factio lenior et Horatio Valerioque favens non sane suspecta erat. Quamquam hoc quoque pravum est; neque enim consules, qui imperium, potestatem, lictores habebant, per factiones, sed factio omnia ad patricios trahens per consules tribunos adoritura videri poterat. Postremo apparet (ex verbis: consensum patrum causabantur), tribunos de patriciorum consiliis loqui, ad quæ exsequenda illi consules alios quærerent, non de consulibus factiones incitantibus. Manifestum est igitur, Livium scripsisse: si novos tribunos per **factionis suæ** consules (popularibus et

bonis, Valerio Horatioque, contrarios) adorti essent. Apparet, ad præpositionem proximi nominis casum accommodatum esse (vid. prooem. p. 10); quid, quod in cod. archetypo vestigium veri videtur mansisse? nam in M a prima manu est factionis. [V factionis sua.] (Cum suæ factionis hominibus XXXIV, 21, 4; ibd. 48, 2; consules vestrarum partium hoc libro c. 67, 9.) (Proxime ante § 2, ubi editur: consulibus quoque continuarent magistratum, in V scribitur conss. atque etiam in ceteris antiquis nota sine dubio fuit. Scribendum est consules; neque enim tribuni consulibus, in quorum comitiis nullæ eorum partes erant, ipsi continuare magistratum poterant. 1873.) (Sed gravius mendum latet infra in § 10, ubi codices editionesque sic scriptum habent: recitabatque (M. Duillius) rogationis carmen, in quo: si tribunos plebei decem rogabo; si qui vos minus hodie decem tribunos plebei feceritis, tum uti cet., ferri nequit in quo omisso verbo, ad cuius omissionem defendendam dissimillima Weissenbornius comparat, nec minus prava est condicionalis particula; qui enim comitiis habendis præest, proponit absolute, quid acturus sit; tum, si numerus impletus non sit, quid fieri debeat, addit, idque ita esse aperte ostendit rogabo comparatum cum feceritis (ad quod ne Mommsenius quidem attendit, qui mecum ceteroquin consentiens si retinebat, ut hoc unum esset caput rogationis exceptionem continens). Nec carmen hoc a Duillio compositum intellegitur, sed tralaticium et usurpatum; quid enim alioquin auctoritatis habuisset? Et si aliter esset, tota controversia orta esset ante suffragia. Scribendum igitur: in quo **esset**: Tribunos plebei cet. (ut 1861 edidi) aut potius, una littera mutata et perspicua mendi causa: in quost: Tribunos cet. Nam manserat hoc rogationis carmen ad posteros et Livii ætate usurpabatur. 1875.)

Cap. 65, 6: affirmantes (consules), urbano quoque otio foris omnia tranquilla esse, per discordias

civiles externos tollere animos. Debebat dici: urbano otio foris quoque, nec ulla est mutati ordinis excusatio. [Recto ordine V.][1])

Cap. 67, 5 (in oratione T. Quinctii Capitolini consulis): (86)
Non illi (Æqui et Volsci) vestram ignaviam contempsere nec suæ virtuti confisi sunt; quippe toties fusi fugatique, castris exuti, agro multati, sub iugum missi et se et vos novere. Discordia ordinum est venenum urbis huius, patrum ac plebis certamina; dum nec nobis imperii nec vobis libertatis est modus, dum tædet vos patriciorum, hos plebeiorum magistratuum, sustulere illi animos. Non recte ex eo ipso, quod tæderet plebem patriciorum magistratuum, patricios plebeiorum, nec ex nimio patriciorum imperii amore, plebeiorum libertatis, Æqui et Volsci sustulisse animos dicuntur; (neque enim ad eos illa pertinebant;) propter certamina ex illis studiis orta rebellare ausi erant. Itaque Clericus, quem Kreyssigius secutus est, sic orationem distinxit, una littera addita: Discordia est venenum urbis huius; patrum ac plebis certamina, dum — magistratuum, sustulere **illis** animos, ut illa dum nec nobis cet. ad certaminum causam et naturam indicandam addantur. (Tollere animos alicui legitur VII, 7, 3.) Verum eo magis apparet, quam perverse inter hæc et superiora illa: non illi

---

[1]) [In huius capitis § 1 Mommsenio suspicio e cod. V manifesto lacunoso (No . . . paricios netl . . . cooptavere co . . . tispherminiu . . .) ducta de ceteris codicibus historica fraude interpolatis omnino improbabilis est. Cur Livius, qui ex tribunis in comitiis creatis unum postea Trebonium nominat, cooptatorum nomina posuisset, si nihil in iis notabile fuisset? Et quo pertinet, quod subiicitur de L. Trebonio patribus ob cooptationem infesto, nisi ad illud de patriciis cooptatis ante narratum? Cfr., quæ V, 10, 10 et 11 traduntur de eiusdemmodi cooptatione tentata. Omnino huiusmodi studii aut fraudis ad ipsam narrationem mutandam spectantis nullum minimum in Livii codicibus vestigium est. 1873. Nunc Mommsenius ipse suspicionem abiecit. 1875.]

vestram ignaviam comtempsere — et se et vos novere interiiciatur sententia illa de discordia ordinum urbis Romanæ veneno; neque enim de rei publicæ statu, ingenio, malis universe agitur, sed quid Æquis et Volscis animos fecerit. Ni fallor, ut in extrema sententia una addenda littera (illis pro illi), sic initio una detrahenda est, ut sic decurrat oratio: Discordia ordinum et venenum huius urbis, patrum ac plebis certamina, dum —magistratuum, sustulere **illis** animos. Ceterum non dubito, quin recte in tribus codicibus interpolatis Drakenborchii et in editionibus a Frobeniana usque ad (87) Drakenborchianam scribatur: vos patriciorum, nos (non hos) plebeiorum. Præcedit: nec nobis imperii nec vobis libertatis.[1]) Sequitur in eadem oratione (§ 9): Tribunos plebis creare iterum voluistis; creastis; consules facere vestrarum partium; etsi patribus videbamus iniquum, patricium quoque magistratum plebi donum fieri vidimus. Sic primum interpungenda oratio, ut appareat (quod Drakenborchius vidit), ad facere audiri voluitis, deinde addi, huic voluntati cum patriciorum incommodo concessum esse. Nam si quis sic, ut vulgo describuntur, verba coniunxerit (videbamus iniquum patribus, consules facere vestrarum partium), ut alia omittam, id saltem non vitabit, quin facere pro vos facere vitiosum sit. Dura est etiam hæc verbi esse omissio in sententia impersonali ex adiectivo et verbo est: video iniquum patribus. [V. tamen Cæs. B. G. I, 33, 3.] Addo, non recte iniquum dici patribus, hoc vel illud fieri, pro eo, quod est: iniquum in patres; nam iniquus cum dativo non dicitur nisi de persona aut de re certa, quæ alicui officiat (ut locus iniquus alicui est aut tempus similiave). Rectissime igitur Pm.1, L1H1, quorum

---

[1]) [Et pro est et nos confirmat V, in illi mendum tenet, quod ipsum et coarguit.]

consensus h. l. auctoritatem codicis M vincit, iniquos habent: etsi (consules illos vestrarum partium) patribus videbamus iniquos, patricium quoque cet.

Extremo capite nihil ex iis placere potest, quæ excogitata sunt ad hanc orationis perturbationem in brevissimo et apertissimo sententiæ ambitu defendendam: Esquilias quidem ab hoste prope captas et scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submovit; nec corrigendi conatus ullam habent probabilitatem. Excidit verbum aliquod.[1])

Lib. IV. (88)

Cap. 2, 4 (in consulum apud patres oratione): Maximum Romæ præmium seditionum esse; id et singulis universisque semper honori fuisse. Reminiscerentur (senatores), quam maiestatem senatus ipsi a patribus accepissent, quam liberis traditari essent, ut, quemadmodum plebs, gloriari possent auctiorem ampliorenque esse. Finem ergo non fieri nec futuram, donec cet. Sic nunc edunt, Dukeri coniecturam lenissimam profecto sequentes (possent pro posset), quæ unius codicis Bambergensis testimonio confirmari traditur; nam in codicum scriptura: ut, quemadmodum plebs gloriari posset, auctiorem — esse, expediri oratio nequit. Sed sententia adeo manifesto prava ex illa coniectura nascitur, ut id ne Alschefskium quidem

[1]) [Verbum in quidem latere intellexerunt Welzius et Forchhammer, sic scribentes: Esquilias vidimus — Volscum. Hostem nemo submovit; in nos cet.] Cap. 71, 7 in his: mirari se, quonam more Ardeates Aricinique, cuius agri ius nunquam usurpaverint incolumi Coriolana re, eum se — — intercepturos sperent, recte Klockius scribi voluit quonam ore. Quæritur recte, quonam more aliquid fiat; quonam more aliquis intercepturum se aliquid fraudaturumque alterum speret, ridicule quæritur; neque enim intercipiendi aliena fraudandive ullus est mos.

fugerit. Sic enim hæc dicuntur, quasi consules senatores cohortentur ad maiestatem senatus augendam et amplificandam. Sed ea cohortatio primum ex memoria imminutæ sensim hac ipsa ætate seditionibus senatus auctoritatis (id enim consules querebantur) duci non poterat; omninoque potest aliquis reminisci iuberi, quam maiestatem acceperit a patribus, ut eam augeat; addito autem hoc: et quam liberis traditurus sit (in quo et aucta et imminuta intellegi potest), inepte adiungitur illud de gloriatione. Deinde ea cohortatio ad id, de quo agitur, nullo modo pertinet. Qualis est enim hæc sententiarum progressio? „Romæ semper maximum seditionum præmium fuit. Reminiscimini, quam maiestatem acceperitis, ut eam auctam gloriari possitis. Finis **ergo** non fit (seditionum).“ Apparet, consules comparari iubere, quid hac ætate in senatus maiestate factum sit, quid contra in plebis opibus, et inde illam de seditionum præmiis (quibus plebs creverit) senten-
(89) tiam confirmare. Itaque sic scripsit Livius: Reminiscerentur (ex altera parte), quam maiestatem senatus ipsi a patribus accepissent, quam liberis traditurі essent; (ex altera parte) quemadmodum plebs gloriari posset auctiorem ampliorenque **se** esse. Finem ergo non fieri. Nec mea hæc est emendatio, sed ab aliis iam tentata, qui et in codice uno et altero deteriore se (alio loco) addiderunt et pro ut (quod ego delevi, natum ex duabus extremis litteris verbi essent) et scripserunt, quod etiam Tan. Faber alicui in mentem venisse narrat. (De ut ex nt præcedenti orto cfr. VIII, 28, 3.)

Sequitur in eodem capite (§ 13) eademque oratione hic locus: Quid eam vocem animorum non plebi Romanæ, sed Volscis et Æquis et Veientibus allaturam? Nonne Canuleio duce se speraturos Capitolium atque arcem scandere posse, si patribus tribuni cum iure ac maiestate adempta animos etiam

eripuerint? Consules paratos esse duces prius adversus scelus civium quam adversus hostium arma. Apparet, languidissime illam condicionem: si patribus — etiam eripuerint adhærere vehementi interrogationi ex superioribus aptæ. Verum non solum languida hæc sunt, sed prorsus perversa. Hostium enim spem incitabat Canuleii vox tantum non ducem se iis profitentis, nec ea spes in eo vertebatur, de quo hostes nihil audituri erant, utrum tribuni animos patribus eripuissent necne. Non minus perverse huic interrogationi et condicioni subiicitur tanquam consequens consulum promissum condicioni illi prorsus contrarium: Consules paratos esse cet. Debebat saltem dici: Sed consules cet. Omnia hæc vitia una littera mutata et oratio melius distincta sanabit: nonne Canuleio duce se speraturos Capitolium atque arcem scandere posse? Ni patribus tribuni — animos etiam eripuerint, consules paratos esse duces cet. Recte a reprehensione detestabilis consulum sententia vocis oratio convertitur ad exhortationem: si modo animi (90)
patrum fracti non sint, non defuturos iis duces ad rem publicam vindicandam.[1]) Paulo ante, § 10, ubi in codice archetypo fuit: finem non fieri posse in eadem civitate tribunos plebis et patres esse, admodum vereor, ne casu aliquo ex superiore loco (§ 4) hic repetita sint verba: finem non fieri, sublato non ante posse, scribendumque sit: — iterum concessum esse. Non posse in eadem civitate cet.

Cap. 4, 9: Cur enim non confertis, ne sit connubium divitibus ac pauperibus? Quæ sit sententia, et per se apparet, et ostendit, quod sequitur (§ 11): Cur

---

[1]) Ni pro si restituendum Tacito Ann. IV, 28 extr.: idque (se innocentem esse) facile intellectu (Q. Vibius asseverabat), ni proderentur alii; non enim se cædem principis et res novas uno socio cogitasse. (Itaque, nisi plures indicarentur, rem fictam esse, apparere dicebat.)

non sancitis, ne cet.? Verum alienum prorsus ab hac significatione est conferendi verbum. Itaque Drakenborchius et post eum alii enarrant simul et eodem tempore ferre. Sed præterquam quod ipsi confitentur, nunquam sic positum legi pervagatissimum omnium verbum, obliviscuntur, primum conferre, si ita diceretur, significare debere simul (plures aut cum aliis) ferre, non simul aliud, deinde nihil huiusmodi fingi posse in certi et legitimi usus verbo (technicum appellant); nisi forte etiam conscribo et condico esse scribo, dico præterea et similia fingimus. (Nihilo meliora Ernestius ad Suet. Claud. 38.) Scripserat Livius: Cur enim non fertis, ne cet. Ut aliquoties ex non con natum est con, altera syllaba extrita (de quo genere dicam ad XLIV, 27, 1), sic interdum ex non aut con geminatione natum est non con, velut apud Ciceronem Tusc. V, 33, 94 non contemnunt scribebatur pro contemnunt, quod Tregderus me auctore restituit, et pro Cæc. 24, 67 pro antea commemoravi omnes codices habent prave: antea non commemoravi.

(91) Cap. 5, 3 (in Canuleii oratione): Quid, si non, quantum istæ minæ adversus plebis consensum valerent, bis iam experti essetis? Qui in tali oratione (post illa: tu statim sacramento iuniores adiges cet.?) ita interrogat (quid, si non experti essetis?), is significat, futurum forsitan fuisse, ut indigniora et graviora fierent, quæ sententia ab hoc loco aliena est, in quo tribunus inanes adversarii minas esse ostendit; id dupliciter usitata forma fieri poterat, aut interrogando: quid? non — experti estis? aut sic: quasi non — experti essetis. Atque hoc ad codices multo propius accedit. Sed qui vitabimus eorum argumentum, qui dicent, Latinam consuetudinem postulare, ut in hac orationis forma scribatur: quasi non — experti sitis? Equidem non video; nam alius generis illi loci sunt, in quibus aperta est comparatio cum condicione ficta (eo animo te velim esse,

quasi mei negotii causa missus esses, Cic. ad Att. I, 10 extr. aut: id æque valere debet, ac si pater indicaret, id. pro Sull. 18, 51); itaque locum pro dubio relinquo.[1])

Cap. 7 extr. (§ 11) aperiendum et tollendum est mendum ita antiquum itaque occultatum iam in codice archetypo, ut difficile sit assensum extorquere; sed parendum est veritati. Nam postquam Livius dixit, L. Papirium Mugillanum et L. Sempronium Atratinum consules neque in annalibus priscis neque in libris magistratuum inveniri, Credo, inquit, quod tribuni militum initio anni fuerunt, eo, perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis iis consulibus prætermissa nomina consulum horum. Licinius Macer auctor est et in (92)
foedere Ardeatino et in linteis libris ad Monetæ inventa. Enarrant: quamquam consulibus suffectis, tamen nomina omissa. Eam ego sententiam Livium in hoc contextu additis particulis significaturum fuisse contendo; in ipsa enim hac contrariorum notatione caput sententiæ est. Sed ut id Livius neglexerit, quis credat eum, quum hoc dicere vellet: suffectorum consulum nomina prætermissa, aut minus eleganter: suffectis consulibus, nomina eorum prætermissa, tam puerili usum esse repetitione verborum et tam balba oratione: suffectis his consulibus, prætermissa nomina consulum horum, singulari etiam perversitate pronomine demonstrativo geminato (— nam quod priore loco Alschefskius dativum esse vult, ut nunc est, ambiguitas summa efficitur —) et altero in finem sententiæ reiecto? Verum ex hoc ipso veri indicium emergit; apparet enim, sic hæc dispescenda esse:

[1]) C. 6, 2 attigi breviter in prooem. p. 6 et 34. Frustra advocatur usus longe diversus et proprius verbi inquit. Eodem capite § 9 quam meam putaram emendationem (fecerat unquam), ad Cic. Fin. p. 835 ed. II propositam, Creverium occupasse video, quem Weissenbornius et Hertzius secuti sunt.

Nomina consulum horum Licinius Macer auctor est cet. Relinquitur: suffectis his coss. prætermissa. Scripsit igitur Livius: Credo, quod tribuni mil. initio anni fuerunt, perinde ac si totum [V perinde ac totum, ut II, 58, 1, VII, 3, 9, XXVIII, 38, 10] annum in imperio fuerint, suffectos iis consules prætermissos. Quum suffectos (nam coss. nota ambigua erat) errore ad iis accommodatum esset, prætermissos, ut cum eo, quod sequebatur, substantivo (nomina) coniungeretur, in prætermissa mutatum est. Tenemus igitur, ut initio dixi, hic quoque (ut III, 38, 10) mendum iam in codice archetypo interpolatione occultatum; tertium simile occurret in c. 25, 7.

Cap. 8, 2: Idem hic annus censuræ initium fuit, rei a parva origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, senatus equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub dicione eius magistratus, publicorum ius privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. Qui diligenter attenderit, animadvertet,
(93) male componi una serie hæc tria: senatum, equitum centurias, decoris dedecorisque discrimen, hoc est, ordines et homines cum actione. Deinde falso omnino senatus sub dicione censuræ fuisse dicitur; nam in singulorum dignitate conservanda minuendave censorum potestas erat; a senatus actione et consiliis regendis longissime aberant. Tum decoris et dedecoris (omnis omnium) discrimen nimis infinite dicitur. Postremo in codice archetypo (MPL1H1, etiam deterioribus pluribus) scriptum erat centuriis, quod quomodo h. l. ex centuriæ (quod in duobus interpolatissimis reperiri videtur; nam in aliis est centuriarum) oriri potuerit, nemo facile expediet. Sed post regimen excidit in. Scripserat enim Livius: in senatu equitumque centuriis decoris dedecorisque

discrimen sub dicione eius magistratus — (esset). Recte vero non omnino, sed in senatu equitumque centuriis decoris dedecorisque discrimen penes censores fuisse dicit, quum aut senatu moverent aut equos adimerent; nam id censorum notis agebatur, ut hi ordines (quemadmodum Cicero scribit) vitio vacarent; hominum de plebe non singulatim vitæ et mores a censoribus exquirebantur notabanturve, nisi si quid extra ordinem a multis peccatum erat; ad eos pertinebat universum illud, quod Livius primo loco posuit, morum disciplinæque regimen, quod edictis censorum continebatur. Itaque multo iam verius, recta scriptura restituta, censorum munera a Livio comprehenduntur. (Præpositione omissa, senatus pro senatu scriptum videtur; nam Livium in senatus equitumque centuriis dixisse, quod senatores, quum antiquitus equos publicos haberent, equitum centuriis continerentur, ut eæ etiam senatorum essent, de qua re dixi olim Opusc. Acad. I p. 76 sqq., non adducor, ut credam.)[1] Paulo post (§ 6) frustra Alschefskius et Weissenbornius mirificas interpretandi machinas admovent codicum scripturæ, quam etiam Hertzius tacite tenuit: tribuni, id quod tunc erat, magis necessarium quam speciosi ministerii procurationem intuentes, ut ex ea sententiam efficiant. (94)
Quis enim talia inventa redarguat, quale Weissenbornii est, narrantis, ad necessarium audiri ministerium aut generalem aliquam notionem? (Ipse quidem, quum sic vertit: „die Tribunen sahen in dem Amte mehr eine nothwendige

[1] [Quæ præterea Mommsenius tentat, neque necessaria sunt et redarguit in postremis verborum ordo, in superioribus hæc coniunctio senatus equitumque centuriis. § 4, quoniam in senatu longe discedit, ad senatum (mentio illata) inusitate dicitur, restat apud senatum, eo magis, quod in P est ab senatum. Nam etiamsi Niebuhrio (Hist. Rom. II p. 255 ed. 2) credas, sua Livio commenta subiicienti, non tamen mentio ab universo senatu inferri dici possit, nec Livium ita dixisse, apertissime ostendit, quod sequitur: et patres ... læti accepere. 1861.]

als Glanz verleihende Dienstleistung“, apertissime aliam scripturam invitus sequitur.)[1] Sed ne id quidem, quod, nescio cuius coniectura natum, vulgo legebatur: magis necessariam quam speciosi ministerii procurationem, verum esse potest; ita enim speciosi ministerii genetivo illo, quem qualitatis appellare brevitatis causa solemus, dicetur (ut contrarium sit necessariæ procurationi); est autem aperte obiectivus; nam procuratur ministerium. Quid requireretur, Drakenborchius obscure sensit, sed, quo erat ingenio, nec perspexit nec tenuit; nam magis necessariam mirifica enallage pro magis necessarii dictum putavit. Id ipsum Livius scripserat: magis necessarii quam speciosi ministerii procurationem; sed dormitans librarius verba sic continuavit, mutato adiectivi casu: id, quod tum erat magis necessarium. De mendi genere dixi in prooemio p. 11.[2])

(95) Cap. 12, 7: Unum afuit bellum externum; quo si aggravatæ res essent, vix ope deorum omnium resisti potuisset. Recte Gronovius sisti requirebat; aliter

---

[1]) [Postea hæc abiecit, alia excogitavit æque prava.]

[2]) Propter mendi generis (quod prava casus ad præcedentia accommodatione continetur) et propter perversissimi interpretandi artificii similitudinem attingam in transcursu monstrum illud scripturæ, quod, quum in editione Frobeniana a. 1531 tacite sublatum esset, a Drakenborchio iam pæne probatum, ab Alschefskio e codicibus restitutum, Weissenbornius et Hertzius tenuerunt in c. 13, 4: id unum dignum tanto apparatu consiliorum et certaminum, quod ingens exsudandum esset, præmium fore. Nihil dico de apparatu certaminum; sed præmium exsudari admiror, quum alibi labores et certamina exsudentur, et interpositum ingens, quoniam toto demum verborum circuitu magnitudo præmii significatur, et elegantem mehercule verborum ordinem: dignum... certaminum, quod ingens exsudandum sit, præmium. Et hoc homines philologos, nec Alschefskium solum, fingere, quod librarius pro apparatu consiliorum et certamine dormitans et proximum genetivum sequens et certaminum scripserit! [Cessit hic tamen veritati W. nondum cognita codicis Veronensis auctoritate, in quo certamine scribitur.]

enim c. 43, 11 dicitur vix deorum opibus, quin obruatur Romana res, resisti posse. Sed aliud latet mendum; ineptissime enim (in auxilii mentione) additur omnium, quasi de concursu omnium cogitetur ad id efficiendum, quod pauciores nequeant. Longe aliter in exsecrando cum ridicula exaggeratione dei omnes aliquem perdere iubentur et ad eundem modum alia dicuntur. Livius, ni fallor, scripserat: vix ope deorum **hominumque sisti** potuisset. Vix ullam divinam humanamve opem suffecturam fuisse dicit. De commutatis verbis homines et omnes nihil opus est dici.

Cap. 19, 5: (A. Cornelius Cossus) caput abscisum (Tolumnii) victor spiculo gerens terrore cæsi regis hostes fudit. Ita equitum quoque fusa acies, quæ una fecerat anceps certamen. Vix adducor, ut credam Livium ita scripsisse non solum ineleganter repetito verbo eodem, sed cum aperta tautologia, quoniam equites quoque hostes erant. Ac ne ipsa quidem hæc ablativi cum fundendi verbo de fugando posito coniunctio reprehensione caret. Itaque videndum puto, ne Livius scripserit: terrore cæsi regis hostes **perfudit**. Ita equitum quoque fusa acies cet. (1861.)

Cap. 20, 8 faciam, quod raro soleo, ut veterem coniec- (96)
turam protraham et defendam, quod exemplo hic locus esse potest, quam ægre interdum etiam in perspicuis rebus facillimis emendationibus credatur. Postquam enim Livius de spoliis opimis ab A. Cornelio Cosso tribuno militum latis eiusque rei testimonio dixit, hæc subiicit: qui si ea in re sit error, quod tam veteres annales quodque magistratuum libri — septimo post demum anno — A. Cornelium Cossum consulem habeant, existimatio communis omnibus est. Hæc quam sint nugatoria, consideremus. Primum hoc qui error nihil omnino habet, quo referatur; neque enim ullus ante commemoratur error, cuius suspicio ex eo demum nascitur, quod nunc

subiicitur, consulem Cossum in annalibus septimo demum anno post fuisse tradi, quam spolia opima ceperit, quum spolia opima Livii sententia nisi a consule capi non potuerint. Deinde quomodo is error, quicunque est, in eo esse potest, quod septimo anno post consul traditur Cossus? Nam in hac ipsa re error esse potest; sed alius nescio cuius rei error in hac esse nequit. Quæ deinde hæc oratio est: si hic error in ea re sit, communis omnibus existimatio est? Quisquamne audivit si hoc modo verbo existimandi similive in interrogatione pendenti subiunctum? Totam rem expediverat Gronovius una littera sublata: Quis ea (pro qui si ea) in re sit error, quod — habeant, existimatio communis omnibus est. Caute Livius aliis existimandum relinquit, quis error sit in annalium notationis discrepantia a monumento ab Augusto inspecto et spoliorum opimorum lege.[1])

(97) Cap. 21, 6: Pestilentior inde annus — tantum metum vastitatis in urbe agrisque fecit, ut non modo prædandi causa quisquam ex agro Romano non exiret — —, sed ultro Fidenates, qui se primo aut oppido aut montibus aut muris tenuerant,

[1]) Ad id defendendum, quod hoc capite § 7 legitur: Hoc ego quum Augustum Cæsarem — se ipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem, h. e., ex Augusto aut Augustum dicentem audissem, e libro I, 16, 2 nihil argumenti peti potest; nam credo alicui aliquid esse alio et noto genere dicitur; potest ex I, 23, 7: iniurias — et ego regem nostrum Cluilium causam huiusce esse belli audisse videor nec te dubito — eadem præ te ferre. [Et prorsus eodem modo audio aliquem pro eo, quod est dicentem audio, sequente accusativo cum infinitivo (se) Plinius posuit Epist. VII, 24, 5: Audivi ipsam, quum mihi commendaret nepotis sui studia, solere se . . . laxare animum lusu calculorum, solere spectare pantomimos suos, Seneca autem rhetor Controv. II, 13 (5) p. 175 Bip. (204 Kiessl.) subiecta oratione recta: Quam multas matres audivi illo tempore: Quidnam volui, quæ peperi? et Quintilianus VIII, 5, 21.]

populabundi descenderent in agrum Romanum. Duo in hoc verborum circuitu manifesta additamenta sunt, unum a T. Fabro animadversum, cui unus paruit civis eius longe inferior Douiatius. Nam pestilens annus non metum vastitatis efficit, sed vastitatem, nec metus vastitatis, sed vastitas et, desertis agris domibusque, fuga hominum prohibet, ne quisquam prædandi causa exeat. Itaque metum apparet ab aliquo additum, qui non attendisset, quo significatu tantum vastitatis diceretur. Illud cuiusmodi esse dicam, quod Weissenbornius ad defendendum hunc metum vastitatis pestilenti anno effectum comparat, quod XXIII, 14, 7 homines, qui timent, ne agros suos hostis populetur, metum agrorum populationis proponere animis dicuntur? Deinde autem pupugit animum diligentis hominis, Dukeri, murorum ab oppido separatio (aut opp. aut mont. aut muris); itaque muros castellorum aut vicorum munitorum intellegendos putat. Sed neque muros sic quisquam absolute dixit, præsertim oppido in eadem sententia appellato, neque huiusmodi castella muris munita in Fidenati agro aut commemorantur unquam a Livio aut esse potuerunt. Addidit aut oppido aliquis, qui oppidum murorum appellatione contineri non videbat. [Omittit hæc verba codex Veronensis. Idemque confirmat Ussingii coniecturam (1861), non ante exiret tollendum esse; iure enim amicus meus negat, non modo quisquam — non pro eo, quod est non modo nemo, Latine dici, nec in oratione prosa quisquam aut ullus negationi præponitur; nam Cic. N. D. I, 24 boni codices habent neget ullam et Phil. VI, 7 Vat. horam eximere, omisso ullam. Sublato non hic locus eandem habet orationis formam, quæ est XXIV, 40, 12: ut non modo alius quisquam arma caperet ..., sed etiam ipse rex ... perfugerit.]

Cap. 24, 5 (ubi exponitur Mam. Æmilii de censuræ diuturnitate minuenda oratio): grave esse iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere. Non

(98) quæritur, quanta actionum consiliorumque civium Romanorum pars censorum potestati subiecta sit (nec quisquam Latinus magnam vitæ partem sic dixit, ut esset: viele Seiten des Lebens); de tempore agitur longo, si cum vitæ humanæ spatio comparetur. Itaque lineola addita scribendum est: per tot annos, magnam partem vitæ. Ac sententiam verborum Weissenbornius vidit; quæ ad eam sententiam requireretur scriptura, magis, opinor, non ausus est dicere quam non vidit, admonitus præsertim Taciti loco, quem adscripsit, ex Agric. 3: per XV annos, grande mortalis ævi spatium. Nam ut potuerit Livius de tempore dicere: magna parte vitæ obnoxium esse censori (quod vix potuit ob suam consuetudinem, etsi omni vita foro carere dixit XXII, 61, 9), certe non potuit hunc ablativum subiicere illis: per tot annos.[1])

Cap. 25, 7: Consilia ad movenda bella in Volscorum Æquorumque conciliis et in Etruria ad fanum Voltumnæ agitata. De bello contra Romanos suscipiendo universe agebatur, non de pluribus bellis. Sed longe vitiosissimum est consilia ad movenda bella agitare, quod neque dixit quisquam neque dicere poterat (pro belli movendi aut de bello mov.). Scripserat Livius Latine et aperte: consilia de bello movendo; geminata (in continua scriptura consiliade) littera a, omissa e, natum consilia ad et ad id accommodatum est bella movenda.

Cap. 34, 4: Postero die (post Fidenas captas) singulis captivis ab equite ad centurionem sorte ductis et, quorum eximia virtus fuerat, binis, aliis sub corona venumdatis, exercitum victorem opu-

[1]) [Eodem cap. § 7 vitiosam verborum copiam et confusam a. 1861 notaveram tollendaque significaram verba fine alteri; post Veronensis cod. docuit tollenda fuisse modo aliorum magistratui. In § 2 præclaram Iac. Gronovii emendationem manifestissimi vitii me a. 1861 fugisse doleo, etsi ipse vitium notavi.]

lentumque præda triumphans dictator (Mam. Æmilius) Romam reduxit. Illa ab equite ad centurionem Weissenbornius (— nam ceteri editores tacent —) verti iubet: vom Ritter bis zum Centurion. Ita tum dicitur, quum, significato genere aliquo, omnes omnino, qui illo contineantur, intellegendos esse declaratur; itaque primum duorum proximorum graduum, inter quos nullus interiectus est, nomina sic coniungi omnino non possunt; (99)
recte enim dicas: vom Obersten bis zum Lieutenant; recte etiam: vom ersten Hauptmann bis zum letzten Lieutenant, inepte: vom Hauptmann bis zum Lieutenant. Deinde illa significatione necessario hæc verba cum subiecto sententiæ (captivis) coniungerentur, Atqui nihil est certius, quam significari, ad quos sorte captivi pervenerint; alioquin enim intellegi omnino nequit sortis commemoratio, idemque apertissime etiam proxima illa demonstrant: et quorum eximia virtus fuerat, binis. Itaque ab equite necessario simpliciter coniungitur cum sorte ductis; adiuncto simul illo ad centurionem nulla alia efficitur sententia nisi prorsus ridicula, singulos captivos ab aliquo equite ad aliquem centurionem sorte traductos esse; etsi traductis dici debebat, non ductis. Quid Livius factum esse significet, obscurum non est; hoc enim dicit, equitibus et centurionibus hoc præcipui datum esse, ut singuli singulos captivos sorte ducerent, quum gregariis militibus tantum pecunia ex præda venumdata solveretur. Scripserat igitur, quod unum illam sententiam habet: singulis captivis ab equite **ac centurione** sorte ductis, singulari numero (equite — centurione) in distributione eodem modo posito, quo IX, 43 bis (§ 6 et 21) singulæ in militem tunicæ dicuntur et XXII, 23, 6 argenti pondo bina et selibræ in militem (et apud Ciceronem: tritici modius erat HS ternis). Semel scripto **c** (acenturione) factum deinde est (propter ab equite) ad centurionem, qui error (ad colloquia pro

ac colloquia) VII, 40, 2 corrigendus erit. Vera scriptura in codice Loveliano 5 exstat coniectura reperta.

Cap. 35, 6. Obiurgabant tribuni multitudinem, quod — non modo ad spem consulatus in partem revocandam adspirare non auderet, sed ne in tribunis quidem militum creandis — aut sui aut suorum meminisset. Ridiculum est et sine sensu dicitur spem revocare in partem et adspirare ad spem in partem
(100) revocandam; nam adspiratur ad spem alicuius rei consequendæ; ea res erat consulatus inter utrumque ordinem partitio sive in partem revocatio; cfr. VI, 40, 18: in commune honores vocare, VII, 22, 9: censuram in partem vocari. Senserat pravitatem homo Latine parum doctus et qui sæpe turpiter erret, sed sensu communi non carens, Douiatius, cui, ut opinor, non nominato Weissenbornius post Drakenborchium respondens hæc adscripsit: „Nur von der Hoffnung konnte revocare gesagt werden, da das Consulat immer noch allein den Patriciern gehörte." Quasi vero adspiremus ad spem eorum, quæ iam sint, ac non ad eorum, quæ nondum sint. Itaque, opinor, posthac non dicemus: Ich wage mich zu der Hoffnung zu erheben ein Amt zu erhalten, sed: ich wage mich zum Erhalten der Hoffnung eines Amtes zu erheben (ad spem muneris consequendam adspirare, non ad spem muneris consequendi). Miseret me inanium argutiarum.[1]) Apparet, Livium scripsisse: ad spem consulatus in partem **revocandi**, gerundivum autem prave accommodatum esse ad proximum substantivum (partem; cfr. prooem. p. 10 sq.). Prorsus eodem modo lib. XXVIII, 33, 16 librarius

[1]) [In tertia editione his deletis negat potuisse dici consulatum in partem revocare, nisi plebs ante iam consulatus particeps fuisset. Itane vero? Nihilne ex iis in mentem Weissenbornio venit, quæ apud Schellerum p. 9460 posita sunt? Nunquamne ipse rem ad coniecturam, in dubitationem, ad sortem revocare similiave dixit? Et mirantur homines me queri et indignari.]

codicis Puteanei, quum scribendûm esset: ad partem pugnæ capessendam, scripsit: ad partem pugnæ capessendæ.[1]) Paulo post in hoc capite (§ 8), ubi sic (101)
scribitur: ut quidem aliquis tr. pl. ruat caecus in certamina —, ex quibus pro certo habeat, patres, adversus quos tenderet, bello inexpiabili se persecuturos, apud plebem, pro qua dimicaverit, nihilo se honoratiorem fore, neque sperandum neque postulandum esse, nihil esse loci imperfecto tenderet inter præsentia, apparet; et sensit, ut alia, Weissenbornius, sed, ut sæpe, inanem defensionis speciem quæsivit, adscripto: „wenn er streiten würde; daher nicht tendat.“ Quæ est tandem hæc perversitas et pertinacia? Nam in deliberando de futuro Latine non dici: certum habeo, patres, adversus quos tenderem, me persecuturos, sed aut tendam aut tetendero (quod multum distat ab ea forma, qua negamus nos nunc quidpiam facere: certum habeo, si tenderem, non passuros), et ex eo fieri in obliqua oratione tetenderim, sciebat profecto ipse, si libere verum sequeretur; nunc ad id etiam, quod uno post versu huic ex omni parte respondet: plebem, pro qua dimicaverit, conivere maluit. Potius igitur, quum hoc loco pro tetenderit substitutum tenderet manifesto teneamus, admoneri nos patiamur, ut

[1]) Apud Ciceronem pro domo 32, 87 editur: ad sempiternam memoriam temporis; inepte abundat temporis; sed Cicero scripserat: ad sempiterni memoriam temporis. Apud Platonem (ut etiam Græcum exemplum ponam) de Legibus I, 633 B scribitur: *ἔτι τοίνυν καὶ τὸ τέταρτον ἔγωγε πειρῴμην ἂν λέγειν, τὸ περὶ τὰς καρτερήσεις τῶν ἀλγηδόνων πολὺ παρ᾽ ἡμῖν γιγνόμενον ἔν τε ταῖς πρὸς ἀλλήλους ταῖς χερσὶ μάχαις καὶ ἐν ἁρπαγαῖς τισὶ διὰ πολλῶν πληγῶν ἑκάστοτε γιγνομένων.* Nihil apertius quam scriptum olim fuisse: *ἐν ἁρπαγαῖς τισὶ διὰ πολλῶν πληγῶν ἑκάστοτε γιγνομέναις.* Non minus apertum, eiusdem operis libro II p. 657 B scribendum esse: *ὡς ἡ τῆς ἡδονῆς καὶ λύπης ζήτησις τοῦ καινῇ ζητεῖν ἀεὶ μουσικῇ χρῆσθαι σχεδὸν οὐ μεγάλην τινὰ δύναμιν ἔχει πρὸς τὸ διαφθεῖραι τὴν καθιερωθεῖσαν χορείαν ἐπικαλοῦσα ἀρχαιότητα* (antiquitatem obiiciendo). Sed tamen propter *χορείαν* et *ἀρχαιότητα* factum est *ἐπικαλοῦσαν.*

de iis locis, in quibus possit, posset similiaque, quæ una littera distant, permutantur, liberius iudicemus. (Offenderit pro offenderet scriptum hactenus fuit II, 2, 3.)[1]) [Prorsus eiusdem generis est, quod c. 20, 9 ad hæc: nam etiam illud accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri posset adscribitur: „conditional: wenn man sonst dürfte oder wollte." Cur non Germanice vertitur: „Es kommt ein anderer Grund, warum man nicht könnte?" Pudor obstat, ne talia refutari possent. Itaque (cum Lov. 2) scripsi possit.]

(102) Cap. 41, 3 (in S. Tempanii, decurionis equitum, oratione, quum adversus C. Sempronium tetis citatus esset): Itaque ne ab se imperatoria consilia neu consulares artes exquirerent, quæ pensitanda quoque magnis animis atque ingeniis essent. Particulam quoque non recte positam esse, F. W. Reizius (cuius notulæ aliquot Livianæ ante aliquot annos ab Hauptio vulgatæ sunt) vidit, neque Weissenbornius contra dicere sustinuit. Sed totus verborum ordo mutandus erat, si nihil aliud vitii esset: quæ magnis quoque animis atque ingeniis pensitanda essent (non: quæ pensitanda magnis quoque). Sed neque pensitare per se est, quomodo enarrant, diligenter sumpto tempore considerare,

---

[1]) Cap. 37, 9 frustra artificia adhibentur, ut occultetur et colorem aliquem accipiat non inelegans vocabuli repetitio, sed foeda sententiæ et orationis perversitas: clamor — dissonus, impar, segnius sæpe iteratus incerto clamore prodidit pavorem animorum; (velut Weissenbornius obscuratam subiecti memoriam fingit, quam in brevi alioquin et facili orationis cursu ipsa adiectiva renovant;) neque exigua offensio est in impar — incerto, (X, 36, 3 impar et incertus clamor coniungitur), sed gravior in clamore segnius sæpe iterato, quoniam segnitiei contraria est frequens renovatio; (debebat saltem dici: sæpe, sed segniter;) itaque vitium subesse certum est, emendatio incerta, nisi quod scio nihil profici alio soni nomine (velut clangore) pro clamore altero loco substituto.

neque hoc Tempanius negat, subito se et ex tempore de imperatoriis consiliis iudicare posse, tempusque ut sibi detur, postulat, sed totum hoc iudicium a se, milite uno de multis, longe reiicit. Itaque multo plus quam Reizius iam Gronovius viderat, hanc esse sententiam, ad imperatoria consilia vel pensitanda et iudicanda (de quo nunc agatur, imperatore accusato, nedum ad ea invenienda et exsequenda) magno opus esse animo et ingenio, quod Tempanius in se non esse sciat; itaque tantum, quid viderit ipse, dicturum esse. Ipsius quoque verborum emendationis partem Gronovius invenit, sed plura, quam opus erat, mu- (103)
tavit. Sic enim Livium scripsisse vir egregius, si nunc viveret, facile confiteretur: *quæ, pensitanda quoque, magni animi atque ingenii essent* (welche, auch wenn sie nur beurtheilt werden sollten, hoc est: auch nur zu ihrer Beurtheilung, einen grossen Geist erforderten). Librarius ad gerundivum dativos requisivit. Similiter gerundivum Livius posuit VI, 37, 11: *imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, maiora liberis relinquenda* (grösser, wenn man an die Uebertragung auf die Kinder denke) et, ut opinor, VII, 32, 11: *utrum qui, audiendus dumtaxat, magnificus adhortator sit* (wenn es nur gilt ihn zu hören). Weissenbornius, sublato *qui*, sententiam ipsam sustulit.

Cap. 43, 5 obsidet codices nostros ex archetypo tradita interpolatio, quam perdifficile est certo remedio tollere, convincere difficile non est. Scribitur enim ita: *Adversus quam actionem* (tribunorum de parte quæstorum ex plebe creanda) *primo et consules et patres summa ope adnisi sunt; concedendo deinde, ut, quemadmodum in tribunis consulari potestate creandis usi sunt, adæque in quæstoribus liberum esset arbitrium populi, quum parum proficerent, totam rem de augendo quæstorum numero omittunt.* Pri-

mum tempus verbi usi sunt prorsus pravum est; nam quod Weissenbornius e Livii ipsius persona hoc dici vult, qui potest hæc concessionis pars e Livii persona dici? Et, si posset, qui poterat Livius de illius temporis, de quo narrabat, instituto ac more perfecto uti, non imperfecto? Quæ hinc nascitur suspicio, eam confirmat et invictam facit ipsius verbi et constructionis pravitas; quis enim unquam fando audivit, Latine dici: in hac re ita utimur, ut esset: hac utimur consuetudine aut: ita facimus? Tertium denique accedit mendi non minus manifestum indicium, vox Plautina adæque, qua nemo post illum ex iis, quorum scripta exstant, neque in poesi neque
(104) in prosa oratione usus est.[1]) Ac ne Plautus quidem eo significatu id adverbium dixit, qui hic requiritur; de gradu enim posuit (quo ducit etiam origo), non de modo (quemadmodum — adæque). Sed ut vitia exstant, ita veri inventio difficilis est. [Invenit maiore ex parte M. Seyffertus (ann. philol. vol. LXXXIII p. 68) sissent æquari, addidi ego 1861, quod desiderari non poterat, subiectum infinitivi in primis litteris eius, quod usi scribitur, latens, ut fieret: creandis **ius sissent adæquari**. Comparari velim sirint c. 24, 2 corruptum.][2])

Cap. 48, 1: Turbatores vulgi erant Sp. Mæcilius quartum et Metilius (?) tertium tribuni plebis, ambo absentes creati. Et quum rogationem promulgassent, ut ager ex hostibus captus viritim

---

[1]) „Adæque gehört zu den Ausdrücken, welche Livius nach den Komikern zuerst gebraucht". Usos eo vocabulo antiquarios, Frontonem et Apuleium, ostendit Hauptius (ind. lect. Berol. æst. a. 1867 p. 10); nihil id ad Livium.

[2]) Cap. 44, 4 quod post: Quidnam id rei esse? (non esset) additum puto ad id (ut qui VII, 41, 6); anacoluthon, quod fingunt, neque Livii neque cuiusquam consuetudine excusatur in oratione recte et ordine, si unam illam voculam sustuleris, decurrenti et singularem figuram habenti (interrogationem cum admiratione et indignatione infinitivo elatam). [Sic iam veteres editiones.]

divideretur, — — atrox plebi patribusque propositum videbatur certamen. Nihil agit et particula inter hominum notationem et rei ab iis actæ narrationem interposita. Constans consuetudo et natura sermonis postulat, ut scribatur: — creati. Ei quum rogationem promulgassent, cet. Mendum notum est iis, qui codicum scripturas tractarunt (Drak. ad XLI, 15, 6). Lib. V, 33, 9 quum recte ederetur: Ei (Tusci, de quorum antiqua potentia maris Tusci nomine testata Livius dixit) in utrumque mare vergentes cet., nuper prave e parte codicum (105) (contra PH1) revocatum est et. [Cfr. ad lib. I, 1, 3.] Eandem orationis formam alio modo corruptam restitui III, 28, 9 (iussi; is).

Cap. 49, 6 (in narratione de coloniæ Bolas mittendæ conatu), ubi L. Sestio editur, e bonorum codicum scriptura, L. Dexio, recte iam in uno et altero recentiore factum est L. Decio. Eundem fuisse tribunum, qui proximo anno (§ 11), quum legem agrariam ferret, etiam ut Bolas coloni mitterentur, laturum se dixerit, et qui ibi Sextius appelletur (M. Sextius ML1, al., hac scriptura: quam Sextio pro qua M. Sextio), Livius neque dicit neque significat contraque tanquam de alio homine Decii consilium cum suo coniungenti (aut coniuncturum tantum se minitanti) narrat.[1])

---

[1]) Eodem loco (§ 11) velim attendi, quemadmodum a Drakenborchio et Weissenbornio (nam Alschefskii rationem non habeo) redarguatur T. Faber, cui displicuerat hæc barbaries: dignos esse, eorum urbem esse, cuius nihil quisquam simile aut protulit aut proferet. (Est etiam alterum vitium in eorum, quod, si dici ullo modo ita posset, debebat esse suam.) Hic quoque, quum Livius scripsisset, ut Faber vidit: dignum enim esse, qui armis cepissent, eorum urbem agrumque Bolanum esse, librarius, non intellecta constructione (eorum, qui cepissent), dignos scripsit, numero et genere accommodato ad qui, quod proxime sequebatur. A consilio meo discederem, si in c. 48, 9 non minus bonam eiusdem Fabri coniecturam commemorarem (quum universo ordini tum primoribus patrum).

Cap. 51, 3: A plebe consensu populi consulibus negotium mandatur. Quæ Niebuhrius de populi nomine dixit a Livio interdum de patriciis ita posito, ut plebs ab iis seiuncta cogitaretur, nunc, opinor, omittere sine refutatione licet; prorsus enim sine ullo argumento finguntur. Eius autem populi, qui e patriciis et plebe constat, consensu nullo modo plebs dici potest quidquam in suis ipsa comitiis facere, frustraque Weissenbornius locos ad hanc rem nihil omnino pertinentes collegit, in quibus con-
(106) sensus populi aut civitatis nominatur aut plebem partem esse populi significatur (ut quum c. 56, 3 populi in comitiis animi a plebeiis candidatis ad patricios aversi dicuntur). Hoc quidem loco eo minus consensus cuiusquam extra plebem commemorari potest, quo apertius Livius ipse paulo ante totam rem a patribus ad tribunos et ad plebem reiectam esse narravit. Quid, quod ne Latine quidem dici puto: facere aliquid consensu (assensu) alicuius pro eo, quod est: consentiente (assentiente) aliquo, ut dicitur permissu, iussu cet. alicuius facere? Livius quidem aut multitudinem aliquam consensu aliquid facere dicit (hoc est, communi consensu, ut III, 35, 7, al.) aut aliquid fieri consensu aliquorum, qui ipsi faciant. Quum hoc modo hic quoque scripsisset: A plebe consensu consulibus negotium mandatur, non intellecto ablativi illius pro adverbio usu genetivus additus est, aut fortasse hoc ipsum, qui genetivum addidit, declarare voluit, a plebe consensu esse consensu plebis, neglegenter populi pro plebis posito. [Eadem Creverii sententia fuit.] Paulo post (§ 5) quod scribitur: Aptissimum tempus fuerat, vindicatis seditionibus, delenimentum animis Bolani agri divisionem obiici, dubito nonnihil, rectene dicatur, addito adiectivo, aptum est tempus hoc fieri pro eo, quod est: tempus est h. f., neque ullum eius usus exemplum apud bonum scriptorem reperiri puto; sed ut dicatur, non hæc Livii

sententia est, aptissimum illud fuisse tempus divisionis agri plebi obiiciendæ (quasi ea res per se expetenda tempusque eius quærendum fuerit), sed aptissimam eam fuisse motus civilis sedandi viam et tempori convenientem. Itaque videtur mihi Livius duabus litteris plus scripsisse: Aptissimum **ad** tempus fuerat (es wäre sehr zeitgemäss gewesen). [Aptus in tempus vix recte dicitur, etsi Livius XXXVIII, 21, 7 dixit aptum in aliquod genus pugnæ.]

Cap. 56, 13[1]) (ubi agitur de tribunis suum auxilium negantibus ad coercendos tribunos militum senatui non (107) obedientes): Interim patricii, soluti legum magistratuumque verecundia, per se quoque tribuniciam potestatem agerent. Valde suspectum est potestatem trib. agere pro eo, quod est exercere, suspecta etiam ipsa hæc parum apta cum irrisione exhortatio, ut ipsi patricii tribuniciam potestatem exerceant (quod interpretantur, ut ipsi sibi auxilio sint et non obedientes coerceant); nam neque coercitio ita erat propria tribunorum, ut patricii suos coercentes tribunorum speciem acciperent, et, quod manifestius est, quæ adiunguntur (soluti — verecundia), longe alio spectant, non ad tribunatus similitudinem nec ad coercitionem, sed ad libertatis licentiæque fructum. Postremo mendi indicium absolvit quoque particula non recte posita; debebat enim dici: tribuniciam quoque potestatem per se agerent.[2]) Hæc omnia incommoda tollent et aptissimam sententiam et orationem efficient duæ litteræ, quæ semel scriptæ sunt, geminatæ:

---

[1]) § 11 omitto, quoniam Gronovianæ emendationis (nihil esse in se iis auxilii —, quibus) necessitatem Weissenbornius (in edit. Weidmanniana) intellexit et secutus est.

[2]) VI, 20, 7 prave citatur; nam ibi quoque ponitur post primam vocem novæ notionis decora belli, ut II, 45, 1, XXII, 14, 15, XXIII, 41, 4, XXVIII, 24, 8 et 35, 5, al. Relinquuntur tria cod. arch. menda: X, 14, 9 (quoque aperta pugna), recte apud Frobenium tacite correctum, XXII, 27, 11, item tacite ab ipso Weissenbornio emendatum, XXIII, 43, 4, a Siesbyeo.

interim patricii soluti legum magistratuumque verecundia per se quoque et tribuniciam potestatem agerent, hoc est, interim patricii, se quoque (tribunis pl., quorum oratio est) et tribunicia potestate sinentibus nec quicquam interponentibus impedimenti (αὐτῶν ἕνεκα καὶ τῆς δημαρχικῆς ἐξουσίας, ut dicitur per me, per ætatem licet, potes; per me ista pedibus trahantur apud Ciceronem) viverent agerentque soluti legum magistratuumque verecundia. Agere sic absolute de vitæ rerumque statu, quod apud Sallustium et Tacitum frequentissimum est, Livius quoque non raro posuit, velut his locis, quos forte adnotavi: IX, 20, 10 (sine legibus certis, sine magistra-
(108) tibus agere), ibd. 22, 3 (securior ab Samnitibus agere, addito adiectivo, ut hic soluti), ibd. 25, 6 et 43, 4 (incerti — suspensique de statu alterius uterque consul ageret), XXIX, 3, 8, XXX, 9, 6.[1]) [Quod volui, paulo aliter efficitur e V, in quo est: verecundia..... potestatemquæ tribuniciam agerent, h. e., per se potestatemque tr. ag.]

Cap. 58. In hoc capite quum de tribus locis dicere constituissem, primi emendationem a Weissenbornio occupatam video, ad quam tamen confirmandam pauca addam. Nam § 4 sic scribitur: Tarditatis causa in senatu magis fuit quam in tribunis, qui, quia summa vi restare nuntiabantur (qui Verrugine obsidebantur Romani milites), parum cogitaverunt, nulla virtute superari humanarum virium modum. Qui pronomen ad senatum referri posse Drakenborchius docere conatus est, pingui Minerva, ut solet ille de rebus grammaticis

---

[1]) Ut hic potestatem tribuniciam agere, sic II, 48, 1 omnes tenent bella agere (vitiosissimo etiam plurali numero), ortum ex communi illo casus accommodandi errore; nam quum dilectus propter sequens neque aliam ullam (id est, ullius rei) curam accusativus putaretur, factum est neque bella neque dilectus. Scribendum esse belli, Dukerus vidit.

disputare. Nam neque pluralis numeri pronomen relativum senatus nomini subiectum usquam est (senatus, qui — sunt), quia ex eo hoc est genere, quod collectivorum constructionem non recipere significavi in Grammatica Latina § 215 a not.[1]), neque, si id fieri posset, hoc loco pronomen, interpositis illis: magis fuit quam in tribunis, ullo modo ad nomen remotius referre liceret, nedum plurale (cum tribunis conveniens numero) ad singulare (senatus). Neque minus vehementer ipsa repugnat sententia. Nam si in senatu solo tarditatis causa fuisset, nihil omnino erat, cur Livius tribunos in hac re commemoraret; nunc hoc ipsum ostendit, non in senatu potissimum, de quo primum cogitari possit, quod eius fuerit rerum gubernatio et negotiis prospiciendi agendique cura, tarditatem fuisse, sed non minus in tribunatu. Itaque Livius scripsit: **non** in senatu magis fuit quam in tribunis; negatio ob (109)
similitudinem præpositionis in facilius intercepta est.[2]) Eadem excidit sine tali causa V, 15, 11 in MPLl, aliis, id est, in codice archetypo; in tertiæ decadis archetypo libr. XXIII, 23, 6 ante cepissent (Put., cett.). Hoc igitur sublato mendo occurrunt paulo post (§ 9) hæc: Fremere iuventus, nondum debellatum cum Volscis esse; modo duo præsidia occidione occisa et cum periculo retineri. Quomodo præsidia occisa retineri cum periculo possint, prorsus non intellego. Sed præsto sunt, qui doceant præsidia primum homines in præsidio positos, deinde ipsa castella intellegi. Itane, quæso, ut una sententia brevissima ad duplicem significationem adiungantur de eodem præsidio duo verba prorsus contraria: hoc

[1]) IX, 37, 11 prave codd. et Alschefskius: interclusus exercitus ... opprimerentur.

[2]) [Sed vitiosam ambiguitatem in restare nuntiabantur inter qui, quia ..., parum cogitaverunt ad aliud subiectum relato codicis Veronensis indicium (restari nuntiabantur) secutus Mommsenius sustulit, sustuleratque eius ignarus Wesenbergius.]

præsidium occiditur et (postea receptum) retinetur? Nugas! Ac ne retinebantur quidem duo illa castella; nam neque arcem Carventanam neque Verruginem, postquam a Volscis captæ essent, Livius receptas a Romanis significavit; Volscos, qui post Verruginem captam palati ad prædandum essent, oppressos (in agris) dixit. Postremo et in MR[V] est,· a PL1 (deterioribusque) abest, ut, fueritne in archetypo an additum postea sit ad duo verba utcunque copulanda, dubium sit. Livius scripserat: modo duo præsidia occidione occisa; alia cum periculo retineri. In hac forma variari significatio poterat.[1]) Venio ad tertium locum, cuius emendationem, a veteribus editoribus præceptam, ante multos annos breviter significavi in Opusc. Acad. I p. 246. Nam § 12 sic scriptum est: eam (plebem) procul urbe haberi atque ablegari, ne domi per otium memor libertatis coloniarumque aut agri publici aut suffragii libere ferendi consilia agitet. Prorsus perverse libertas et coloniæ copulantur, quæ nullo modo eodem loco et ordine sunt, deinde duo nominantur, quæ legibus tribuniciis tum agitabantur, ager publicus et suffragia (in creandis magistratibus, quos et ex utro ordine vellent), a quibus coloniarum deductio separari non poterat. Manifestum est, primum
(110) universe libertatis memoriam per otium renascentem nominandam fuisse, deinde ea rerum genera et legum argumenta, in quibus postulandis et adiuvandis illa libertatis memoria appareret. Itaque Livius scripsit: ne domi per otium memor libertatis coloniarum aut agri publici aut suffragii l. f. consilia agitet. Recte libro VI, 27, 7 genus ponitur, omissis singulis: per otium libertatis meminisse. Quum aliquis aut — aut particulas

[1]) [M. Seyffertus: occisa, II cum cet. Eorum, quæ cum periculo retinerentur, certus numerus neque poni poterat neque supra a Livio significatus est.]

tantum ad duos genetivos iis subiectos rettulisset, coloniarum sine copula vagari noluit. (Weissenbornius, quæ sententia subesse deberet, sensit, sed retento coloniarumque expedire non potuit.)[1])

Cap. 60, 3 (ubi Livius commemoravit gaudium plebis ob stipendium de publico promissum): Tribuni plebis, communis ordinum lætitiæ concordiæque soli expertes, negare, tam id lætum patribus universis nec prosperum fore, quam ipsi crederent. Tribuni parum curabant, quid patribus, universis præsertim, lætum futurum esset; plebeiis (qui, ut nunc scribitur, prorsus omittuntur) consulebant aut consulere se simulantes donum patrum suspectum reddebant; itaque (proximis verbis) plebeios ipsos tributo conferendo pecuniam stipendio necessariam conficere coactum iri dicunt. Sublato patribus omnia recta sunt nec quidquam minimum desideratur. Qui id nomen addidit, videtur universis nudum ac sine substantivo non tulisse et in tribunorum oratione patribus potissimum lætitiam demptum iri significari voluisse. (Negationem ex verbo repetitam, ut nec prosperum pro aut dicatur, non commemorarem, nisi Dobreum, acuti hominem iudicii, sed Græce quam Latine doctiorem, in ea hæsisse viderem; satisfacient ei dubitationi, quæ ad Cic. de Fin. I, 9 p. 65 disputavi; cfr. Liv. II, 45, 5. Weissenbornius

[1]) [Postea alia mire cavillatus est. Plebs libertatis memor consilia earum rerum agitatura erat, in quibus eam maxime spectari et usurpari putabat.] (Initio capitis quod vitiose edebatur: legatio ... obviam fuit, a. 1861 sustuli restituto e codicibus recentioribus tribus obvia. Nam obviam sum in prosa oratione bona ætate nemo dixisse reperitur; Livius ne obviam fio quidem, quod Cicero Verr. Act. I, 18, pro Mil. 28 posuit. Livii usus constantia perspicitur in his quinque primorum librorum locis: I, 10, 4; 26, 2 (mali aliquot codd. obviam); 32, 8; 60, 1; II, 38, 4; III, 6, 7 et 7, 5 et 11, 8; V, 28, 10. In XXIV, 35, 9 recte Puteaneus. In obvia lineola addi potuit, in obvius, obvium, obvii, obvios nulla est varietas.)

vitium sententiæ vidit; in corrigendo aberravit.)[1]) Eodem capite § 8 mendum arguit apertissimus soloecismus: quos quum et a patribus collaudari et a militari ætate tanquam bonos cives conspici vulgus hominum vidit, repente, spreto tribunicio auxilio, certamen
(111) conferendi ortum est; nam aut ut — vidit aut quum — videret scribi debuisse in hac rerum consecutionis et causæ significatione apparet, praveque Weissenbornius legentes ablegat ad locos genere contrarios, ubi quum est quo tempore (II, 51, 1, VI, 20, 4), coniunctivi autem imperfectum soloecum foret. Correctio simplex est; nam quum videret repente scriptum esset, syllaba re nocuit præcedenti ret. [Sic etiam Bauer.] Capite proximo (61, 2) non sine causa Ant. Perizonius dubitavit, rectene diceretur concilium ad fanum Voltumnæ frequenter habitum, cui frustra Drakenborchius obiicit frequenter adverbium de multitudine accommodatum ad verbum impersonale ex libro I, 11, 4: frequenter migratum est, cuiusmodi alia e lexicis sumi possunt; neque, si plura concilia habita Livius significaret (ut V, 5, 8 crebra Etruriæ concilia commemorat et V, 17, 6), tam infinite positurus fuisse videtur frequenter neque singulari numero usurus. Sed ex frequenter facere frequens temerarium est; videndum, ne Livius scripserit: concilium — frequens ter habitum esset.

Lib. V.

Cap. 2, 8 (in tribunorum conquestione de consilio ad Veios hiemandi): Hoc neque reges neque — superbos illos consules neque triste dictatoris imperium neque importunos decemviros iniunxisse servitutis, ut perennem militiam facerent, quod tribuni militum in plebe Romana regnum exercerent. Extrema hæc ignave adhærere Weissenbornius sensit; neque

[1]) [Partium mentioni, quæ nuper etiam placuit, nullus est locus.]

recte hæc componuntur: hoc iniunxisse **servitutis**, quod tribuni **regnum** exercerent. Scilicet hic quoque interpungendo peccatum. Oratio in facerent subsistere debet, deinde de integro sic pergere: Quod tribuni militum in plebe Romana regnum exercerent? Quidnam illi consules dictatoresve facturi essent, qui proconsularem imaginem tam sævam — fecerint? (112)
In utraque interrogatione oblique efferenda Livius coniunctivo pro infinitivo usus est. (Opusc. Ac. II p. 216.)

Cap. 3, 8, quoniam in codice archetypo sic fuit: et quemadmodum cum servis suis vetant domini quicquam rei cum alienis hominibus esse pariterque in iis (servis) beneficio ac maleficio abstineri æquum censent, præpositio (cum) altero loco, non priore tollenda est; magis enim sic significatur, alios arceri aditu ad servos (sich mit ihren Sclaven befassen). Paulo post initium capitis (§ 4) puto Livium scripsisse iniuriis nostris (patriciorum), quia tum demum apte ad Claudii personam, vix concedentis ullas esse, additur: si quæ forte aliquando inciderunt. Ullæne unquam a quoquam plebeiis iniuriæ factæ essent, non dubitabat.

Cap. 4, 7: An, si ad calculos eum res publica vocet, non merito dicat cet. Cod. Veron. ad calculos etiam res p. vocet. Videndum, ne scribi debeat etiam rem p. vocet. Nam militi querulo magis convenit ad calculos vocare. (1873.)

Cap. 5, 4. Olim edebatur: milites —, quibus boni tribuni plebis quum stipendium extorquere voluerint, nunc consultum repente volunt; nunc post Alschefskium e codicibus scribi video: quum — voluerunt, soloece; neque enim unquam in huiusmodi varietatis et contrariorum significatione quum particula indicativum habet; debebat præterea addi temporis significatio contraria ei, quæ est in nunc (quum antea — nunc). Scribendum est: quibus boni tribuni plebis **tum** (eo, de quo antea

Claudius dixit, tempore) stipendium extorquere voluerunt, **nunc** consultum repente volunt. (Sic cod. Lov. 1.) In proximis verbis valde dubito, scripseritne Livius, quod nunc e codicibus editur: vallum fossamque, ingentis utrumque rem operis pro utramque, potiusque arbitror, ab eius manu esse ingentis utrumque operis, additum rem ab aliquo, qui utrumque pro substantivo poni non meminisset.[1]) (§ 8, ubi editur: Loquor de opere et de temporis iactura, Ver.: de opera et. Recte Ussingius: de operæ et de t. i. 1873.)

Cap. 6, 15: quidquid tribunus plebi loquitur, etsi prodendæ patriæ dissolvendæque rei publicæ est, adsuestis æqui audire. Inusitatum æquus audio pro æquo animo. Codd. qui. Fuitne quieti? [Sic Welzius.]

(113) Cap. 10, 5: quantum autem augebatur militum numerus, tanto maiore pecunia in stipendium opus erat, eaque tributo conferebatur, invitis conferentibus, qui domi remanebant, quia cet. Non elegans profecto hæc oratio: conferebatur, invitis conferentibus, qui —, quum præsertim facillimum esset offensionem vitare (invitis solventibus, querentibus iis, similiter); sed ne rectum quidem aut Latinum est pecuniam conferre tributo; nam aut pecunia confertur, omissa tributi mentione, aut tributum. Opinor Livium scripsisse: eaque tributo conf**ic**iebatur, invitis conferentibus, qui cet. Commemorata pecuniæ necessitate, deinde Livius significat, quæ eius parandæ conficiendæque via a re publica inita sit; tum ad privatorum solvendi (conferendi) voluntatem venit. Reficere et referre commutata vidimus libro II, 65, 5. (Extremo capite, § 11, quamquam certum videtur, legem de tribunis non cooptandis non potuisse legis tribuniciæ appellatione significari, quæ ad communem multarum legum originem

[1]) [V plane omittit quum, et potest abesse. Idem utramque rem, quod 1873 secutus sum.

pertinet, nimis tamen audacter Treboniæ in editionibus substituitur, quod nomen eo minus probabile est ita depravatum esse, quod paucis post versibus (c. 11, 1) recte scribitur. Itaque Livius tantum scripsisse videtur: labefactandæ legis causa, universe legem, quæ ea de re esset, significans, mox ipsum nomen positurus. 1861.)

[Cap. 11, 2, ubi Trebonius conqueritur de duobus tribunis plebis contra legem Treboniam cooptatis, in his verbis: Is, quod petissent patres quidam primo incepto repulsi, tamen tribunos militum expugnasse, vociferans cet., unum vereor, ne et olim et nuper (1873) non recte aliis concesserim, tribunos militum hinc removendos esse. Nam etsi eos in hac re Livius ante non commemoravit, tamen probabiliter in exsequendis patrum consiliis summi magistratus, qui hoc anno omnes patricii erant, intervenisse significantur, nec raro Livius in orationibus aliquid interponit, quod in ipsis rebus narrandis non posuit. Duo recte reprehendi, alterum, quod patres quidam appellarentur, quum aperte et supra (c. 10, 11) et postea (§ 3 et 4) omnes significarentur et, quod certius est, (114)
patrum nomen, quod ordinis est, nunquam ita de singulis poneretur, ut multi patres, pauci, aliquot dicerentur (sed partitive multi patrum, iuniores patrum)[1]), alterum, quod non recte diceretur petissent . . . repulsi, quum hoc intellegi deberet, petisse, sed repulsos esse (non, post repulsam petisse); diversum enim esse usum participii perfecti temporis in ablativis absolutis de re, quæ primariam actionem comitaretur (Gr. Lat. § 431 b not. 2 ed. tertiæ Germ.).[2]) (Magis etiam diversum esse apparet usum participii

[1]) Cicero semel ludens dixit: mutavit calceos; pater conscriptus factus est.

[2]) Ne Tacitus quidem et Suetonius, qui ita perfectum participii ponunt in ablativis absolutis adiungendis de eventu consecuto aut non consecuto (velut Suet. Claud. 26: non repertis, qui exemplum sequerentur), sic simplici participio utuntur.

præteriti verborum deponentium de actione primariæ eodem tempore adiuncta; ibd. § 431 b —.) Ac priorem difficultatem tollit coniectura Hauptii quondam pro quidam scribentis, ut intellegantur, quæ III, 64 extr. et 65 init. narrantur. Sed et obscura est ipsa brevitate hæc illius temporis significatio et parum apta, quia, quæ illic narrantur, ante latam legem Treboniam acciderunt, multoque aptius huius ipsius anni conatus commemorari videtur; orationis vitium in repulsi illa coniectura non tollitur. Redeo igitur eo, sæpius sententia mutata, ut scribendum putem: Is, quod petissent patres, **quia in** primo incepto repulsi **sint**, **tandem** tribunos militum expugnasse, vociferans cet. Quam facile inter **si** et **t** excidere potuerit sint, apparet; et fortasse ea fuit causa, cur quidam pro quia in scriberetur. Tandem Weissenbornio debetur.] Infra hoc capite (§ 14) frustra defenditur hæc coniunctio: plenus vulnerum ac pavore exemplis dissimilibus; nam ne Sallustianum quidem e Catil. 33, 1 simile est, etiamsi certum
(115) esset, quod contra est. Itaque ipsi, qui defendere conantur, simul alia ratione locum expediri posse significant, ut pavore cum incidentem portis coniungatur. Sed ut omittam vitiosissimam copulationem, qua pavore tanquam tertium adiungitur duobus his: fuga trepidum, plenum vulnerum (nam hæc quoque ad incidentem portis pertinent), dicitur Latine magno pavore incidere portis (de modo et forma rei), pavore incidere portis nihil est. Ni fallor, Livius scripserat: fuga trepidum, plenum vulnerum, **cum** pavore incidentem portis. (Medio capite, § 6, ubi editur: nec id accusatorem magis arguere quam fateri reos, nisi Livius dormitavit, scribi debet accusatores; tres enim erant. 1873.)

Cap. 12, 5: A M. Furio in Faliscis et Cn. Cornelio in Capenate agro hostes nulli extra moenia inventi; prædæ actæ, incendiisque villarum ac frugum vastati fines; oppida oppugnata nec obsessa

sunt. Valde vereor, ne turbatum aliquid hic sit. Nam neque in affirmando oppida sic universe Livius dicturus fuisse videtur, sed oppida aliquot, nec omissurus infelicem oppugnationis eventum (nec, quum parum oppugnatio processisset, aut similiter). Contrariumque his subiicitur: At in Volscis — Anxur nequicquam oppugnatum — et, postquam vis irrita erat, — — obsideri coeptum. Itaque in Faliscis et Capenati agri vastatione contenti Romani oppidis abstinuisse videntur Liviusque scripsisse: oppida nec oppugnata nec obsessa sunt, quemadmodum c. 24, 2 de tribunis militum contra eosdem Faliscos Capenatesque bellum gerentibus scribit: ab iis non urbes vi (oppugnando) aut operibus (obsidendo) tentatæ, sed ager est depopulatus, prædæque — actæ. (Cfr. IV, 21, 2: urbes tamen non oppugnatæ.) [Sic ab Aldo editum est et insecutis ante Drakenborchium.]

Cap. 13, 11. Capenates et Falisci, quum exercitum Romanum, qui Veios obsidebat, aggressi essent, a Romanis repulsi et victi erant: Repulsos deinde insecuti victores ingentem ediderunt cædem; nec ita multo post iam palantes veluti forte oblati populatores Capenatis agri reliquias pugnæ absumpsere. Haeserunt Dukerus et Weissenbornius in veluti; neque enim (116)
apparere, cur veluti forte illi populatores oblati dicantur (quasi simulatio casus fuerit) ac non forte. Sed præter hoc, quod verissime reprehenditur, alia est in ipsa narratione difficultas. Nam palantes illos populatores video intellegi (a Weissenbornio) victores (Romanos) a Veiis, qui primum composite victos persecuti, postea palati et effusi in victos inciderint; quæ enarratio neque cum re neque cum verbis convenit. Nam ut omittam, palari non dici de effuse persequentibus, primum illa nec ita multo post ostendunt novi aliquid et a persecutione eorum, qui castra ad Veios tutati erant, diversi subiungi; deinde ipsum sub-

stantivum *populatores*, adiuncto præsertim genetivo: *Capenatis agri*, quo definitur genus, alios homines obiici declarat, non eosdem ad populandum conversos; et qui poterant, qui ægre castra et ab urbe et extrinsecus oppugnata defenderant, libere effundi ad Capenatem agrum populandum? Tum vero, qui ex ipsa pugna victos persecuti erant tergis inhærentes, profecto non forte offerri fugientibus poterant, ne offerri quidem, nisi admodum lente et sedato gradu victos fugisse putamus, ut victores etiam inter populandum eos prætergredi possent; nam *oblati* significat ex adverso occurrisse; postremo prorsus prave inter *palantes* et *pabulatores* interponitur *forte oblati*. Rem ipsam quemadmodum Livius animo comprehenderit, manifestum est. Victores a Veiis aliquantum spatii victos persecuti in castra, quæ ipsi Veientes eruptione oppugnarant (§ 9 *tres exercitus* et § 13), redierunt; deinde Capenatibus et Faliscis fuga abeuntibus alii Romani ex adverso occurrerunt, qui hactenus agrum Capenatem populati erant, (cfr. c. 12, 5 de simili, dum Veii obsidentur, agri Capenatis populatione,) reliquiasque pugnæ absumpserunt. Iam illud quoque apparet, opinor, *palantium* appellationem, quod ipse vocabuli *palantes* locus ante occursus mentionem et particula *iam* ostendit, pertinere ad Capenates et Faliscos, qui eo facilius deleti sint. Non igitur *iam palantes oblati sunt*, sed *iam palantibus* aut, quod Livius sæpius
(117) dicit, *palatis*.[1]) Sæpissime Livius in palatos (palantes)

[1]) *Palans* octies, si recte notavi, apud Livium legitur (II, 26, IV, 55, VII, 17, X, 20, XXI, 61 bis, XXII, 31, XXIV, 41), *palatus* tricies bis (I, 11, 1, ubi non recte Hertzius e cod. Florentino S. Marci *palantes* posuit, II, 50, III, 5, IV, 46 et 58, V, 28 et 45, 3, ubi recentiores codices *palantes* habent, VI, 42, VII, 1 et 11 et 36 et 37; ceteros locos notare omitto). Significationis discrimen nullum est; quos VII, 17, 8 et X, 20, 5 *vagos palantes* Livius dicit, eosdem XXIII, 42, 12 *vagos sine signis palatos* Apud Sallustium (quattuor locis, Iug. 18, 44, 54, 66) et Vergilium tantum *palans* reperitur.

impetum factum, palatos cæsos commemorat, nusquam palatos impetum fecisse aut cædem edidisse. His expositis, redimus ad illud veluti forte. Aut fallor aut Livius scripsit: nec ita multo post iam **palatis, velut tuti forent**, oblati populatores Capenatis agri reliquias pugnæ absumpsere. [Olim velut in tuto scripseram.] Quamdiu in tergo hærebant persequentes victores, Capenates et Falisci conferti abire studuerant; deinde, illis regressis, quum in suum agrum pervenissent, palati iam, veluti periculum evasissent, subito obvios populatores habuerunt. Mendum ortum est ex vicinitate earundem aut similium litterarum (lut tut). Participiorum eæ formæ, quæ sunt in palantes et palatis, non raro permutantur, quamquam id fere in contrariam partem fit, ut pro palantis (accusativo casu), interdum etiam pro palantes (nominativo) scribatur, omissa littera n, palatis, ut apud Livium XXV, 21, 2 vocatis pro vocantis in Put., XXXI, 14, 8 percontatis pro percontantis in Bamb., XXXVI, 43, 12 paratis instructisque pro parantis instruentisque in eodem, XLII, 13, 3 et 18, 6 et 26, 8 denudatis, fatigatis, fluctuatis in Vindob. pro denudantis, fatigantes, fluctuantis, apud Ciceronem in Philipp. XIV, 3, 6 dubitatis pro dubitantis, ex quo in Philipp. XII, 12, 29, quum Halmius in codice Tegernseensi repperisset cogitatis, scribendum ostendi: Nam Martiam et Quartam, nihil præter dignitatem et decus cogitantis, com- (118)
probaturas esse certo scio.[1])

Cap. 17, 7: Responsum est (Capenatibus ac Faliscis in conciliis ad Voltumnæ fanum petentibus, ut omnes Etruriæ

---

[1]) Video nunc apud Hertzium, etiam Weissenbornium in libello, quo usus non sum, palatis vel palantibus scribi voluisse. Quod Hertzius a Wexio sumpsit ablati, prorsus perversum est nec sententiam ullam habet. In transcursu dicam, in cap. 15, 11 ut certum est, Livium, scriptorem orationis ad legem structæ diligentissimum, non in simplici et brevi orationis circuitu incidisse

populi Veios ex obsidione eriperent), antea se id Veientibus negasse, quia, unde consilium non petissent super tanta re, auxilium petere non deberent; nunc iam pro se fortunam suam illis negare; maxime in ea parte Etruriæ gentem invisitatam novos accolas Gallos esse, cum quibus nec pax satis fida nec bellum pro certo sit. In his turbatum aliquid esse, sensit, qui alia similia non prætermisit, Dukerus. Nam nec maxime in aliqua parte Etruriæ accolæ erant Galli nec omnino in aliqua parte accolæ; nec melius res procedit his verbis: maxime in ea parte Etruriæ ad superiora adiunctis, quum propter alias causas (suam fortunam negare in ea parte Galliæ), tum quod nullius alterius partis auxilium petebatur. Deinde et alioquin vitiose hæc cumulantur: gens invisitata accolæ Galli et vitiosus est ordo verborum, interposito accolas, quod prædicati loco est, inter gentem invisitatam et Gallos. Hoc primum expediamus; apparebit enim attendenti, novam sententiam ab his verbis incipere: novos accolas (illos, qui significati superioribus verbis sunt) Gallos esse, cum quibus cet. Sequitur, ut ipse eorum adventus et pro-
(119) pinquitas significetur his verbis: maxime in ea p. Etr. invisitatam gentem; ex quo perspicuum est, desiderari infinitivum, qui aut exciderit aut in maxime lateat, etsi fieri potest, ut mendum non uno illo verbo contineatur. Ad sententiam aptum sit: Imminere [Imminere quum] maxime in eam partem Etruriæ gentem invisitatam; ita Livium scripsisse, multum abest, ut affirmem, ac potius probabilius aliquid requiro. [Summam probabilitatem habet: **Invasisse** in eam partem Etruriæ. 1873.]

---

in anacoluthon tale, ut diceret: traditum esse, ut — victoriam — dari, ita nihilo minus certum esse, ut quando eum pro si quando non dixisse. Tollendum est ut, interpositum post sic ab oscitanti scriba librario. [Sic Creverius.]

Cap. 18, 4, in oratione P. Licinii Calvi tribunatum militum deprecantis, olim edebatur: Si collegas eosdem reficitis, etiam usu meliores factos, me iam non eundem — videtis. Cod. M sit collegas, P si et collegas (H1 et sit collegas, L1 sic collegas), ex quo Weissenbornius fecit: Sed si collegas, retenta particula condicionali, quæ sententiam pessumdat, quasi dubitet Licinius, sintne collegæ iidem, qui fuerint, et quasi hoc quicquam valeat ad ipsius vires et vigorem. Neque enim si apud Latinos unquam in comparatione ita ponitur, quemadmodum Germanice dicas: Wenn ihr aber an meinen Collegen ganz dieselben Männer als früher findet, so bin ich dagegen cet. (Latine dicitur: Sed ut collegas...sic me cet.) Scribendum erat, apertissime viam monstrantibus MP: **Set** collegas eosdem reficitis — —; me iam non eundem — videtis.

Cap. 21, 9 pro eo, quod in codicibus bonis deteriorumque longe plurimis et editionibus est: quæ similia veri sint, scribendum puto cum tribus apud Drakenborchium codicibus nullius per se fidei (Voss. 2, Lov. 3, Gaertn.): quæ similia veris sint, quemadmodum scribitur X, 20, 5 (similia veris erant) et XXIX, 20, 1, quibus locis nulla est propter subiectam litteram s dubitatio; nam XXVI, 49, 6 ea subiecta minuit auctoritatem (Put. simillima ueneris sunt). Inverso ordine, ut pro uno vocabulo esse (120) utrumque non posset, pluralem (veris) plurali (similia) adiungi par erat; similia verorum molestiorem habebat sonum. (Singulari numero apud Livium similis veri, positivo gradu, reperitur ter, similius vero et simillimum vero ter.)[1])

[1]) Cap. 22, 3 vereor, ut a Livio opes egestæ a Veiis appellatæ sint, quæ ex urbe exportarentur, etsi constanter a Veiis Romam ire et similia dicit.

Cap. 25, 8: Cuius (auri, ex quo Delphos donum mitteretur) quum copia non esset, matronæ, coetibus ad eam rem consultandam habitis, communi decreto pollicitæ tribunis militum aurum et omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt. Neque ad pollicitæ sunt aptum est omnia ornamenta sua neque aurum ad detulerunt; nihil enim auri matronæ præter ornamenta sua habebant; neque omnino sic aurum universe cum specie aliqua (ornamentis) coniungi potest. Hoc Livius dicit, matronas pollicitas esse aurum, quo opus esset, tum, ut id aurum conficerent, ornamenta sua in ærarium detulisse (cfr. Plut. Camill. 8, Zon. VII, 21). Itaque tollendum est et, additum ab aliquo, qui accusativos iuxta positos ad idem verbum pertinere putavit. Simili genere peccatum puto in proximis verbis (§ 10): pondere ab singulis auri accepto æstimatoque, ut pecuniæ solverentur, crateram auream fieri placuit. Nihil opus erat dici, pondus (aliquod) auri acceptum esse ab singulis; id ad rem pertinebat, æstimatum esse auri pondus, quod a singulis acceptum esset, ut pecuniæ singulis recte solvi possent. Scripserat igitur Livius: Pondere ab singulis auri accepto æstimato, duriore paulo orationis forma, concurrentibus duobus participiis, quorum alterum (accepto) adiectivi locum tenet, alterum ablativorum absolutorum constructionem explet, quo genere Livius usus est I, 46, 1 (agro capto ex hostibus viritim diviso), III, 33, 9 (defosso cadavere domi apud Sestium —
(121) invento), XXIX, 6, 1 (militibus, prædam ex hostium terra cernentibus tota classe efferri, accensis ad traiiciendum), XXXIX, 14, 2 (scalis ferentibus in publicum obseratis), XL, 40, 15 (exauctoratis militibus in naves impositis).[1]) (Etiam c. 28, 10 non

---

[1]) Quam in cap. 26, 6 ante multos annos feceram coniecturam, eam ex Hertzii præfatione video a Kernio Virtembergensi occupatam.

recte inter superiorum clausulam: proeliumque . . . commissum est et eventus notationem: Haud incertius interponitur et, copulatis præsertim duabus sententiis, quarum utraque proelium subiectum habeat. 1873.)

Cap. 31, 4: quod perseverantior cædendis in fuga fuit. Ablativus sine præpositione, omisso præsertim substantivo, defendi posse non videtur recteque Forchhammer cædendi scripsisse. (1861.)

Cap. 32, 3. Vix credas, omnes editores tenuisse hanc orationis formam ac sine adnotatione prætermisisse: Fusa concursu primo acies in fugam; millia octo armatorum ab equitibus interclusa, positis armis, in deditionem venerunt; quasi Latine dicatur fundere in fugam. Latina et apta rei hæc erit oratio: Fusa concursu primo acies; in fuga millia octo cet. Nocuit littera m geminata. [Sed V: . . . . fugam versa milia cet.]

Cap. 34, 5 (ubi de Gallorum transitu in Italiam agitur): Is (Bellovesus), quod eius ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Æduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit. Primum hinc removendos esse Senones, multi viderunt, quoniam eos Livius paulo post (c. 35, 3) recentissimos advenarum multo post transisse significat. Nam quod Weissenbornius aliquot Bituriges, Senones, ceteros intellegi vult, Livius id, quod abundaret, migrasse dicit, ut nihil postea superesset multitudinis, nec aut ullum alium populum bis Alpes transisse significat aut in Senonibus quicquam a ceteris diversi fuisse. Videtur aliquis ab hac enumeratione abesse noluisse populum omnium Gallorum Roma capta clarissimum.

Indici nullus hic locus est, sed captivum indidem ex agris, hoc est, ex illis ipsis agris (ex illius urbis agris), ducem Camillus secutus est. Fidem manifestæ correctioni facient loci ab Handio Turs. III p. 371 indicati: XXIII, 46, 12, XXVII, 12, 5, XXVIII, 1, 6, XXXIX, 12 init., Corn. Nep. Epam. 5.

Deinde eius non potest nisi ad Bellovesum referri; atqui
(122) eius nulli erant populi, sed permissum ei ab Ambigato, ut ex imperio suo homines exciret. Opinor Livium scripsisse: Is, quod **in sex** populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Æduos, A., C., Aul. excivit (aut potius: quod **e sex**. 1861.). Recte autem prorsus accusativus ponitur; excivit enim Bituriges ceterosque, quod eorum abundabat.

Sequitur eodem capite § 8 et 9: Id Galli fortunæ suæ omen rati, adiuvere, ut, quem primum in terram egressi occupaverant locum, patentibus silvis communirent. Ipsi per Taurinos saltusque Iuliæ Alpis transcenderunt cet. Quid sit locum munire patentibus silvis, prorsus ignoro, etiamsi addatur, quod abesse non potest, in; nam campi patere dicuntur, quos non montes nec silvæ interrumpunt; silvæ, ut rupes, claudunt; quod Weissenbornius interpretatur: „in offenen, keinen Schutz gewährenden Wäldern“, nec sic patere silvæ dici poterant, et quid opus erat dici aut omnino silvas commemorari? Nam Græcos, muniendarum urbium peritissimos, pro munimento silvas habituros fuisse, nemini in mentem venire poterat. Certissima emendatione veram scripturam in nomine proprio corruptam restituit ante duo sæcula Hadrianus Valesius: patientibus Salyis (Saluis). Hoc Livius dicit, Salyos, qui initio Græcos egressos oppugnassent, quum Galli hos adiuvarent, locum communiri et Massiliam condi passos esse. (Salyos eadem declinatione Plinius dicit; apud Livium eodem pertinent Salluvii.) Sed restat dubitatio in nomine loci, quo Alpes Galli transierunt. Nam neque Alpem singulari numero Livius aut quisquam prosæ orationis scriptor dixit, ex quo sequitur Alpis accusativum esse, et Iuliæ Alpes longissime ab iis locis, de quibus agitur, distant. Itaque multa excogitata sunt, quæ substituerentur; sed ea omnia aut alia habent incommoda (— velut inviæ regionis significatio et prorsus post ea, quæ

paulo ante dicta sunt, supervacanea est et nihil ad locum definiendum pertinet —) aut a codicum vestigiis longe discedunt, pleraque utroque in genere reprehenduntur. Quoniam nemo per populum aliquem Alpes transcendere recte dicitur, nedum, qui e Gallia veniat, per Taurinos, qui ab (123)
oriente Alpium habitant, necessario per Taurinos saltus coniungenda sunt. Itaque excidisse videtur nomen alterum ante que. In codicibus, qui momentum faciunt, (et fere ceteris quoque) id est, quod præscripsi, nisi quod P habet Iuliæ alte Alpis, litterarum geminatione ortum, H1 autem iuriæ Alpis, in quo veri vestigium servatum esse puto; Livium enim scripsisse suspicor: per Taurinos saltus vallemque Duriæ Alpes transcenderunt. Vallem significat Duriæ fluminis, per quam ab Alpibus Centronicis (le mont Cenis) ad Padum descenditur. Strabo IV p. 203 Duriam septentrionalem significare videtur, quoniam cum Salassis coniungit, sed quod Centrones commemorat et Druentiam e Gallica parte adversam e regione esse scribit, aperte ad meridianum amnem pertinet. Ea autem via Gallos transgressos esse, omnes consentiunt.

Cap. 35, 1 et 2: Alia subinde manus Cenomanorum —, quum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, (locos tenuere Libui) considunt. Post hos Salluvii prope antiquam gentem Lævos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem. Sic apud Drakenborchium post alios scribitur nec discedit Weissenbornius, nisi quod Salluvii [qui] prope scribit; nam codices post Salluvii habent: M qui prote antiquam (m. 2 qui protẽ), cod. Rh. qui præter ant., PL1H1(?) qui prope ant. Pravum est tenuere de antiquis ante Gallos incolis (hos enim Libuos intellegi volunt) pro tenebant. Et Libui ipsi inter Gallos Cisalpinos commemorantur XXI, 38 et XXXIII, 37, hoc quidem loco una cum Lævis. Iidem apud Polybium II, 17 cum Lævis item coniuncti et Padi fontibus Liguriæque admoti Λεβέκιοι appel-

lantur (*Λάοι καὶ Λεβέκιοι*). Libicorum autem apud Plinium H. N. III, 124 sunt Vercellæ ex Salyis ortæ. Itaque apud Livium h. l. recte cum Salyis coniunguntur. Scribendum igitur aut potius oratio sic distinguenda: Alia subinde manus Cenomanorum —, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, locos tenuere (ut § 3 de Senonibus: fines habuere). Libui considunt post hos Salluviique **propter** antiquam gentem Lævos Ligures, incolentes cet. Propter significant M Rh. Nomen in M Salluii est, in PH Salluuii. (1861.)

Cap. 36, 10: ne penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptæ, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum reiiciunt. Tanaquillo Fabro dubitanti, rectene accepta clades de futura diceretur, exempla participii simili brevitate de condicione positi opposuit Drakenborchius, præeunte I. F. Gronovio, ad IX, 18, 4. Sed alia est orationis insolentia a Fabro non animadversa, forte pro fortasse positum; nam clades forte accepta quid Latino et antiquo dicendi usu, a quo Livius nusquam discessit, significet, dubium non est. Itaque si quis excusare volet, forte hic dici potuisse defendet, quod plene dicendum fuerit: si forte acciperetur. Atqui hinc alibi fit non forte accepta, sed clades, si forte, accepta (id est, accepta, si forte acciperetur), noto loquendi genere, de quo exposuerunt Garatonius ad Cic. pro Mil. 38, 104 (p. 329 ed. Or.) et Handius Tursell. II p. 736, qui iniuria in lib. II de Off. 20, 70 oblatam a codice c veram scripturam sprevit. Exemplis ab illis collectis addi potest Lucretii in libro V, 720, quem locum Lachmannus sine ulla causa et cum orationis sententiæque detrimento mutavit. Quam facile si post cladis excidere potuerit, patet.

Cap. 39, 11. Parvum est, quod adnotabo, nec ab omni parte certum. Quæro enim, cur Livius flaminem

sacerdotesque Vestales sacra publica a cæde — procul auferre iussos dicat, unum flaminem e tribus, (124) incertum etiam relinquens, quem significet. Et VII, 20, 4 Cærites hospitium flaminum Vestaliumque ab se caste cultum invocant. Videndum igitur, ne hic quoque flamines Livius scripserit, deinde, omisso s, a quo proxima vox incipit, flàminem factum sit, quomodo II, 58, 7 ex omnes sua ortum est omne sua (M m. 1 P), deinde omnem sua (M. m. 3 L1H1). At proximo capite (40, 7) unius flaminis Quirinalis virginumque Vestalium ministerium commemoratur. Video; sed et nomen additur et intellegitur, cur ibi unus ille flamen commemoretur, quod in sacello eius ædibus proximo sacra defossa fuisse memoria postea exstabat. [Sed V flaminem sacerdotesque et Vestales, ex quo recte Mommsenius tenuit sacerdotesque (h. e. flamines) et Vestales, sublato flaminem, quod nomen e cap. 40, 7 huc illatum est.] Illud non dubito, quin capite 40, 6 Livius scripserit: suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, sequentes, non, ut est in codd., exsequentes, quod verbum et a spe et (h. l.) a consiliis alienum est; neque enim de exsequendis aliarum rerum consiliis, sed de certo fugæ consilio capiendo agebatur. Error idem est, quo sæpissime pro spectare scriptum est exspectare, quod mendum in Livii libris Alschefskius aliquoties tenuit, in Senecæ Fickertus. Quod in lexicis ponitur ex Cic. Phil. II, 22, 54 exsequi fugam, apud Ciceronem est exsequi cladem illam fugamque, imagine ab exsequiis (exsequi funus) ducta, ut in ep. ad Att. IX, 12 init., ubi est exsequi fatum (Pompeii). Catullus 63, 15 scripseritne sectam meam exsecutæ an potius secutæ, quærere supersedeo; neque enim ad Livium id pertinet.[1])

---

[1]) [Cap. 40, 9 codices, etiam V plaustro coniugem — habens inter ceteram turbam cet., ex quo faciendum videtur avehens. 1873.]

Cap. 43, 3: strage ac ruina fudere Gallos, ut nunquam postea — tentaverint cet. Geminatis duabus litteris pronomen necessarium nascetur: strage **ea** ac ruina. (1861.)

Cap. 44, 1 (ubi Camillus Ardeates, apud quos exsulabat, alloquitur civesque suos appellat): quando et vestrum beneficium ita tulit et fortuna hoc egit
(125) mea. Inepto lusu fortunam suam hoc egisse dicit, hoc est, id propositum habuisse et ad id consilia comparasse, ut civis Ardeas fieret. (Et dici solet id ago; diversum est hoc ago, id est, attendo et adsum animo.) Veram scripturam aperit, ni fallor, codicis P prima manus: hoc ego ita; nam a Livio fuisse videtur: fortuna coegit mea. [Dubitationis tamen aliquid affert, quod brevi intervallo sequitur cogit.] Paulo post (§ 3 et 4) ex codicibus omnibus restituendum est: qui — adventat, oratione sic distincta: et huic urbi decus ingens ex hoste communi pariendi, qui effuso agmine adventat (ut facile vinci possit). Gens est, cui cet.

Cap. 45, 7: Vix temperavere animis, quin extemplo impetum facerent, compressique a Cædicio centurione — rem in noctem sustinuere. Pravum est que; neque enim sententia aiens subiecta eodem spectat, quo negans, quæ præcedit. Verum ostendit cod. P, in quo est: conpresi a q̄ cædidi † centurione († rasuram significat), unde in L1H1 compressique Cædiditio centurione; (in M primæ manus scriptura obscura est, alterius huiusmodi: conpressiq̄ † sedicio a centurione;) scribendum est enim: facerent; compressi a Q. Cædicio — sustinuere. Et ab Q. Cædicio restitutum est in codicibus recentioribus multis, sed que, quod ex Q. ortum erat, retentum. [Sic Crev. Confirmat V.]

Cap. 46, 9: per — neglectum hostium custodiæ saxum. P custodiam, quod ortum est e vera scriptura neglectum — custodia saxum, h. e., non custodia

occupatum, non custoditum, ut XXIV, 46, 1: quia (partem urbis) maxime neglectam custodia vidit. Eodem modo dicuntur intermissa custodiis loca VII, 36, 1, XXIV, 35, 8. (1862.)

Cap. 47, 6: reliquum noctis, quantum in turbatis mentibus poterat, quum præteritum quoque periculum sollicitaret, quieti datum est. Recte diceretur: quantum in tanta perturbatione animorum poterat; nunc quoniam participium ponitur (turbatis mentibus), tollenda est in præpositio, orta ex præcedenti m. Neque abest suspicio, quin etiam XXI, 55, 10 scribi debeat: Tamen tot (codd. et edd. in tot) circumstantibus malis mansit aliquamdiu immota acies; quamquam minus vitiose in malis circumstantibus quam in mentibus turbatis aliquid fieri dicitur. Idem mendum (in ex præcedenti m ortum) corrigam in libro VII, 23, 6; in eodem libro c. 36, 7 (consulem in castra) cor- (126)
rexit iam Gronovius.[1])

Cap. 52, 1 (in Camilli oratione contra consilium Veios migrandi): Hæc culti neglectique numinis tanta monumenta in rebus humanis cernentes ecquid sentitis, Quirites, quantum — paremus nefas? Rerum eventa documenta divinæ voluntatis esse possunt, monumenta nunquam aut sunt aut appellantur, quoniam nullius rei memoriam conservant, sed ipsa monumentis traduntur posteris. Deinde nihil sane ad id, de quo Camillus dicit, pertinebat, monumenta exstare numinis et culti et neglecti; quis enim id admonendus erat, deos et coli et neglegi posse? Id Romanos Camillus putabat et discere potuisse et meminisse debere, quantam vim in rebus hu-

---

[1]) C. 48, 5 recte Drakenborchio in mentem venit, scribendum esse a Veiis adducere exercitum, non abducere. Non agitur de removendo a Veiis exercitu, sed de arcessendo et propius ad eum locum admovendo, ubi Camillus erat.

manis haberet numen cultum neglectumve et ob eam rem propitium iratumve, hoc est, magna esse in utramque partem **momenta** numinis culti neglectique. Sic igitur scribendum est, sublata permutatione non infrequenti. (Monumentum pro momentum in codice archetypo fuisse in libro I, 47, 6, ostendunt MPL1H1; idem in XXI, 4, 2 declarat consensus codicis Colbertini et Medicei aliorumque. Etiam II, 7, 10 P Bamb., alii monumento pro momento.) Et video nunc, id etiam Iac. Perizonium intellexisse; neque tamen emendationis iniuria neglectæ commendationem delere volui.

Cap. 53, 5 (in eadem oratione): Et Galli evertere potuerunt Romam, quam Romani restituere non videbuntur potuisse? Nihil potuit perversius interrogari.
(127) Quæri enim debebat, committendumne esset, ut, quam Galli urbem evertere potuissent, eandem Romani posteris viderentur restituere non potuisse (hac forma: Et Romani videbuntur Romam restituere non potuisse, quam Galli everterunt?, ut iudicium posteritatis de Romanorum impotentia cum Gallorum facto comparata ante oculos poneretur); nunc Camillus interrogat, credibilisne sit res certa et facta, quum alteram fieri non potuisse aliquando posteri iudicaturi sint. Sed salva res est emendatioque tam manifesta, ut nullum sit certius documentum codicis archetypi ab aliquo homine, qui oscitans verba sententiasque male copulasset, interpolati. Nam quum Livius scripsisset notissima interrogandi et argumenti concludendi forma: Et Galli Romam evertere potuerunt, Romani restituere non videbuntur potuisse? ille homo, interrogationis duplicis connexæ immemor, quam addidit. (Gramm. Lat. § 458; Emendd. Cic. libror. philos. p. 39 sqq.)[1])

---

[1]) [Initio huius capitis debuerat animum pungere non recte in obiiciendo argumento sed pro at positum. Nunc cod. V lacunam, cuius nullum alioquin indicium erat, ostendit et explet,

Cap. 54, 3 (in eadem oratione): Equidem fatebor vobis, etsi minus iniuriæ vestræ quam meæ calamitatis meminisse iuvat: quum abessem, quotiescunque patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant cet. Vitiose comparari iniuriæ populi et Camilli calamitatis memoriam, quum ita hæc duo coniuncta essent unaque re, exsilio, continerentur, ut calamitatis memoriam necessario iniuriæ comitaretur, Gronovius perspexit; neque Dukeri defensio, a qua Weissenbornius non discedit, sufficit. Nam præterquam quod ea, quam inesse vult, sententia, ut Camillus a calamitatis memoria, quam tollere nequeat, iniuriæ, quantum possit, seiungere conari dicatur, his verbis (meæ calamitatis meminisse iuvat) comprehendi non potest, non recte totum hoc per etsi adnectitur; ea enim particula significat, Camillum omnino exsilii memoriam non libenter repetere. Iam quum in MRP sit meæ calamitatis, in L1H1, ceteris calamitatis meæ, valde suspicor, pronomen mala manu adiectum esse, quum Livius sic scripsisset: etsi minus iniuriæ vestræ (128) (quam mihi fecistis) quam calamitatis (quam perpessi estis) meminisse iuvat. Calamitatis civium suorum Camillus non cum superba insultatione quasi ultione expletus meminerat; sed ita ab iniuria sibi illata ad patriæ calamitatem memoriam convertebat, ut, illius cogitatione prorsus oblitterata, toto animo ad patriam iuvandam restituendamque et ulciscendam ferretur. Sequuntur § 3 hæc: quæ vos, Quirites, nunc moveant potius caritate sua, ut maneatis in sede vestra, quam postea, quum reliqueritis, ea macerent desiderio. Pronomen ea pravissime additur (quæ vos — moveant potius — quam — ea macerent), eo præsertim loco, ut pondus orationis

---

nisi quod paucæ litteræ, quæ in fine versus legi non potuerunt, coniectura mihi addendæ fuerunt: At enim apparet quidem pollui omnia nec ullis piaculis expiari posse; sed cet.]

in id inclinetur, quod in re comparata (potius quam — macerent) esse debebat. Itaque hactenus rectius olim interpungebatur: quum reliqueritis ea; sed quum hoc manifesto contrarium referatur superiori illi: maneatis in sede vestra, apparet, semel scriptam esse litteram, quæ bis scribenda erat: quum reliqueritis **eam**, macerent desiderio. In codice archetypo fuit eam agerent (MP). Sed nondum hoc caput absolvimus. Nam continuo (§ 4) hæc excipiunt: Non sine causa dii hominesque hunc urbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, —, mare vicinum ad commoditates nec expositum—ad pericula classium externarum, regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unice locum. Argumento est ipsa magnitudo tam novæ urbis. Loci, ubi urbs condita est, commoda singulatim substantivis notantur (colles — flumen — mare). His subiicitur illud regionum Italiæ medium, quod pro substantivo accipi usus loquendi vetat (etsi medio urbis et similia ablativo casu dicuntur); sin autem cum eo, quod sequitur, locum coniungitur, mirus verborum ordo efficitur, substantivo in extremam sedem reiecto, interposito sine copula participio (natum); sed sive hæc coniunguntur sive separantur, prave
(129) repetitur extremo loco id ipsum substantivum, cui initio posito reliqua appositione adiunguntur, et repetitur iis additis, quæ non unius generis opportunitatem ostendant, sed omnia universe comprehendant (locum elegerunt, — colles — flumen — mare —, medium — ad incr. urb. nat. un. locum). Verum hoc vitiosæ repetitionis incommodo liberabit nos rectior orationis interpunctio. Nam ab enumeratione singulorum commodorum loci transit Camillus ad confirmationem universæ rei ex eventu hoc modo: Ad incrementum urbis natum unice locum, argumento est ipsa magnitudo tam novæ urbis. [Sed vix abesse potest esse post unice aut locum. 1873.] Hoc reperto,

relinquitur illud regionum Italiæ medium, in quo ipso displicent regiones Italiæ sic infinite dictæ pro Italia (Italiæ medium). Vereor, ne genetivus regionum ortus sit ex præcedenti classium externarum scripseritque Livius: **regionem** Italiæ **mediam**. Recte, enumeratis commodis, quæ in loci ipsius natura et ingenio posita erant, adiungitur regio, hoc est, situs in certa totius Italiæ parte.[1])

Cap. 55, 1 adnotaveram (1861) in his: Movisse eos Camillus ... dicitur admodum dure eos referri ad cives c. 50, 8 universe significatos, velleque me liceret scribere animos aut homines. Ecce V omittit pronomen, ut movere absolute dicatur (Eindruck machen), ut III, 47, 3, XXVI, 24, 8, XXXVII, 15, 9, XXXIX, 5, 2, al. (1873.)

Lib. VI.

Cap. 3, 7 vix dubito quin in his: Quum pro se quisque tenderent ad portas —, clausas (id enim primum dictator imperaverat) portas inveniunt alterum portas invenuste repetitum recte omiserit cod. Lov. 2 scriba, probatus a solo Douiatio. (1861.)[2])

[1]) Paulo post (§ 6) satis certum est, corrupta esse hæc: quæ, malum, ratio est expertis alia experiri? Nam nec dativus recte ponitur aut experti absolute dicuntur nec alia expertis pro aliis, atque experti estis Livius dixit. Sed emendationem non reperio. Nam his desertis violentum est, desertis expertis (desertis iis, quæ experta sunt) orationem habet nimis duram et insolitam. [Et tamen sic dicitur c. 21, 12 deiectis — armatis; itaque Ussingius spretis expertis. Ego ex eo, quod in P, Klock., Helmstad., Rottend. est (expertis latos alia), tentabam expertis iratos alia exp. (1861) aut expertis lassos.]

[2]) [Cap. 2, 11 in pleniore cod. Ver. scriptura: ut minor moles superantibus vallum militibus munitum in castra Volscorum Romanis fuerit, quam transcendentibus sæpem incendio absumptam fuerat aptissime inter se referri vallum militibus munitum (mit Soldaten besetzt und garnirt) et sæpem incendio absumptam apparet. Nam per se (sine militibus) vallum non multum molestiæ habebat.]

Cap. 5, 5 (ubi lex agraria a tribunis plebis agitata commemoratur): Haud magno opere plebem moverant. Plusquamperfectum post imperfecta (conabantur — ostentabatur — criminabantur) recte haberet, si
(130) significaretur, quo usque res processisset, quum aliquid incideret; nunc in hac ipsa sententia finitur huius rei commemoratio; itaque in significando rei effectu (qui nullus aut exiguus fuit) plusquamperfectum ferri nequit, quoniamque incerta est codicis archetypi scriptura (M man. 1 moveunt, P moverat), eo magis scribendum moverunt. Notavi aliquot et huius generis et contrarii, quo perfectum pro plusquamperfecto positum est, exempla supra (p. 38). Paulo ante (§ 3) non dubito quin Livius, ut fuerit, ita habuerint (non habuerunt) posuerit; illud mansit, in hoc una littera aberratum est. (X, 11, 11 meliores codd. nequiverunt, deteriores recte nequiverint.)

Cap. 6, 4 allatum narratur a fugientibus ex agro Pomptino, Antiates in armis esse Latinorumque populos iuventutem suam misisse ad id bellum, eo abnuentes, publicum fuisse consilium, quod non prohibitos tantummodo voluntarios dicerent militare, ubi vellent. Quæ notio pluribus verbis significatur, eadem valde incommode uno et proprio nomine illis ipsis verbis interposito declaratur, ne occultata quidem tautologia (voluntarios — ubi vellent); Latini enim negabant quicquam ultra se fecisse, quam quod (eos, qui iuventutis nomine comprehenduntur) non prohibuissent militare, ubi vellent, hoc est, voluntarios illos esse dicebant, non publice missos. Itaque vereor, ne aliena manu illud voluntarios additum sit. Paulo quidem post (§ 8) nulla dubitatio est quin hoc modo obscurata sit Livii oratio. Omnes enim, nisi qui tacendi beneficio utuntur, hærent in eo, quod Camillus ingens ait onus a populo Romano sibi, qui se dictatorem iam quartum creasset, magnum a senatu talibus de se iudiciis eius ordinis, maxi-

mum tam honoratorum[1]) collegarum obsequio iniungi, quoniam neque quicquam de populi consilio Camillum dictatorem creandi dictum est, nec, si dictum esset, creasset pro creaturus fuerit ullo modo poni potuit, nec omnino populus quemquam unquam dictatorem creavit. Quæ ad hæc excusanda, quæ excusari nequeunt, excogitata sunt, eiusmodi sunt, ut refelli non debeant. Quam habet (131)
enim vel minimam speciem, Camillum, quum præsertim accurate dispertiat, quid populo, quid senatui, quid collegis debeat, se quartum a populo dictatorem creatum dicere, ut significet (at quam modeste!) se, si non nomine, at re dictatorem esse? (Niebuhrius Hist. Rom. II p. 684 quid senserit, intellegere nequeo.) Ceterum nullam omnino Livius significat mentionem factam illo tempore dictatoris creandi; hoc narrat, ad Camillum, qui, si privatus fuisset (ut alio modo res publica opera eius uti non posset), dictator dicendus fuisset, collegas, quoniam ita commode acciderit, ut in summo magistratu (tribunatu militum) esset, bello imminente summam consilii detulisse. Manifestum est igitur, Livium scripsisse: qui se iam quartum creasset (tribunum nimirum), dictatorem additum esse ab aliquo, qui magistratus nomen desideraret, in eo autem ipso aberraret. Et erat Camillus eo anno quartum tribunus ex Livii rationibus, qui eum VI, 18, 1 quintum, VI, 22, 5 sextum creatum scribit, non numerato illo tribunatu, quem errore ei pro censura assignavit V, 1, 2.

Cap. 11, 3 (M. Manlius Capitolinus) ægre ferebat, solum eum (Camillum) in magistratibus, solum apud exercitus esse, tantum iam eminere, ut iisdem auspiciis creatos non pro collegis, sed pro ministris

---

[1]) [Ver. cum parte recc. honorato, quod Iac. Perizonio olim probatum teneri debet; cfr. III, 58, 2, XXVII, 10, 6, Ascon. p. 121 Hot.; MPL1H1 cum reliquis recc. honoratum; ipsum honoratorum nulli codd. habent, nec sensu Romano collegæ singulariter honorati erant.]

habeat. Quid hoc est, quæso, solum Camillum in magistratibus esse, quum tres collegas habeat, solum apud exercitus? Exaggerationem aliquis hanc esse forsitan dicat. Atqui exaggeratio iis, quæ sunt, adiicit ea, quæ fingi et ab audientibus accipi possint; itaque is, qui sæpe, ceteris deiectis, unus aliquem magistratum capit, solus eum capere dici potest; qui semper ternos collegas habet, solus dici nequit; nam solum vere magistratum esse aliud est nec omisso illo vocabulo intellegi potest; neque magis, solum apud exercitus esse. Aut fallor aut Livius uno verbo minus scripsit: solum eum in magistratibus, solum apud exercitus tantum iam eminere, ut cet.

(132) Cap. 15, 10 (in oratione M. Manlii Capitolini, ubi creditores alloquitur): Sortem aliquam ferte; de capite deducite, quod usuris pernumeratum est. Hoc verum esse non posse, multi senserunt; neque enim incertam aliquam sortem ferre Manlius divites creditores iubebat, hoc est, accipere et ea contentos esse (nihil enim aliud sortem ferre de creditore dictum significare potest), sed eam ipsam, quæ cuiusque esset. Non enim postulat, ut quicquam de ea pecunia, quam reapse mutuam dederint, amittant (sed quid ego vos, de vestro impendatis, hortor?), sed ut ne cum usuris solvi eam sibi velint; itaque usuras, si quæ solutæ sint, de capite, hoc est, de summa, quæ initio fuerit, deduci iubet, ut id tantum, quod iis deductis restet mutui, solvatur. Hinc nascitur ipsa vera scriptura: Sortem **reliquam** ferte; de capite cet. (Empfanget das noch rückständige Capital, was wirklich von eurem Capital noch aussteht; ziehet vom Hauptposten die bezahlten Renten ab.) [Cfr. locus a Wesenbergio citatus c. 35, 4.]

Cap. 17, 3 exprobrant Manliani, saginare plebem populares suos, ut iugulentur. Vitiose hoc dici, Dukerus intellexit; nihil enim aliud a Latine scientibus accipietur nisi: seine Landsleute; nam qui in re publica pro

plebe stabant, eos plebs populares appellabat, non populares suos. Non recte tamen Dukerus suos tolli volebat, quod nemo additurus erat, qui populares scriptum legeret; neque satis in hac exprobratione impietas plebis et ingratus animus notatur illo partium nomine; sed quum Livius scripsisset: saginare plebem suos (hoc est, qui suarum partium essent sibique faverent), idem, qui alia multa, communem popularium appellationem addidit.[1]) [Ruhnkenii coniecturæ, quæ in Mnemosyn. III p. 58 edita est, obstat, quod de popularium appellatione dixi, et ipsa rusticitas verbi.]

Cap. 18, 6 (in M. Manlii oratione, plebeios, quantas vires habeant, docentis): Si singuli singulos aggressuri essetis, tamen acrius crederem vos pro libertate quam illos pro dominatione certaturos; quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc adversus unum hostem eritis. Prorsus prave rei fictæ (si singuli singulos aggressuri essetis) causæ loco (enim) id subiicitur, quod maxime contrarium est et in quo ostenditur, quanto melior sit vera certaminis condicio, quoniam non singuli singulos, sed multi unum aggressuri plebeii sint. Itaque necessario hoc aut sic adiungendum erat: Nunc, quot clientes —, tot cet. aut cum pondere sine ulla particula contrarium ponendum, ut XXI, 43, 6, (133)

[1]) Eiusdem originis est in hoc ipso capite (§ 6) pronomen demonstrativum ante relativum pravo casu additum, quum Livius scripsisset: remisso, quod erepturi erant. Cum eo, quod codices habent (remisso id quod erepturi erant), comparari vel a Drakenborchio potuisse id quod pro solo quod ad prædicatum totamve sententiam relatum, miror; Weissenbornium eodem uti perfugio et tanquam similem adscribere locum, in quo non est id quod, indignor, præsertim post Kreyssigii admonitionem in Annott. ad Livii libros XLI—XLV p. 90. Dixi de tota re et hunc ipsum locum cum similibus comparavi supra p. 14 sq. Sed multo magis eadem interpolatio in c. 20, 8 eminet. (§ 8 pro illis: in quo ab sociis exspectes: a quo in sociis; neque enim abstinendi a sociis et iis parcendi notio apta est. 1861.)

XXX, 12, 15 et 16, al. Unde tamen enim ortum putabimus? Poterat suspecta esse prava librarii diligentia sententias nectere studentis et in eo aberrantis, nisi certam mendi originem ostenderet distributiva pronominis forma rarior, quam Cicero semel habet (ad Attic. XII, 33). Scripserat enim Livius: **Quoteni** clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc adversus unum hostem eritis. (Quoteni — singulos, tot — unum.) Ex eni litteris a quot distractis factum est enim. [Senserant vitium alii.]

Cap. 20, 6 de M. Manlio accusato sic scribitur: Homines prope quadringentos produxisse dicitur, quibus sine fenore expensas pecunias tulisset —; ad hæc decora quoque belli non commemorasse tantum, sed protulisse etiam conspicienda, spolia hostium cæsorum ad triginta, —; ad hoc servatos ex hostibus cives produxit, inter quos C. Servilium magistrum equitum absentem nominatum; et quum ea quoque, quæ bello gesta essent, — oratione etiam magnifica — memorasset, nudasse pectus — et Iovem — devocasse — precatusque esse cet. Orationis structuram et sententiarum cohærentiam planissimam perturbat et funditus evertit interiectus mediis infinitivis indicativus produxit, pro quo editores ante Alschefskium, Rhenani coniecturam secuti, prorsus violenter produxisse substituerant, neglecta vera eiusdem Rhenani suspicione, id verbum ab interpolatore additum; non attenderat enim, qui addidit, hunc quoque accusativum (servatos — cives) a commemorasse pendere, quod si confirmari opus esset, satis ostenderet mentio C. Servilii absentis. (Sed sublato manifestissimo additamento residet tamen mendum non minus manifestum; nam neque passivus infinitivus (esse enim necessario auditur, ne Manlius dicatur commemorasse Servilium nominatum) neque accusativus ullo modo in orationis structuram includi potest. Una littera mutata recta omnia fient:

ad hoc servatos ex hostibus cives (commemorasse), inter quos C. Servilium mag. equ. absentem **nominatim**. Hunc dignitate præstantem, ceteris universe commemoratis, nominatim suæ virtutis testem Manlius commemoravit. 1861.)

Cap. 24, 10. Romanis legionibus iam Volscorum impetu turbatis et prope in fugam versis, dum M. Furius pugnam et peditum aciem restituit, alter tribunus militum equites ex altera parte arcessit ad opem ferendam: Optimum visum est in fluctuantem aciem tradi equos et pedestri pugna invadere hostem. Non disputabo multis; senserunt enim iam alii, equos, quos equites relinquant, perinepte dici tradi, nisi addatur, quibus custodiendi tradantur, ineptius etiam tradi in aciem et tradi in fluctuantem aciem, quam vehementer perturbaturi erant; et nonnihil hactenus ab eo, ubi pugnabant pedites, loco equites afuisse Livius satis aperte significavit et nunc demum in eam partem et in primum locum progredi. Itaque equos, e quibus descendebant, necessario post aciem reliquerunt. Omnino, si nihil aliud narratur significaturve, nisi equos relictos, tota fluctuantis aciei mentio perversissima est. Sed ea non obscure ad aliam rem pertinet, cuius iam in verbis optimum visum est significatio est. Causa enim indicatur, cur equites pedestri pugna hostem invaserint, suo omisso pugnandi genere. Ut enim ad hostes, quibuscum adhuc soli pedites Romani pugnabant, pervenirent, inter peditum ordines et circa eos angustis spatiis penetrandum erat; id si equis insidentes facerent, periculum erat, ne acies nuper turbata necdum firmiter restituta (fluctuans) equorum ipsos ordines urgentium motibus rursus perturbaretur. Scripserat Livius: Optimum visum est, **non** in fluctuantem aciem **trudi** equos et (hoc est, post negationem: sed) pedestri pugna invadere hostem. Excidit non ob in; alterius mendi (tradi pro trudi) causa non quæritur. Apparet autem, cur oratio sic variata sit,

ut prius membrum passivam formam habeat (in causa significanda et eo, quod vitari optimum visum sit), alterum activam (de eo, quod facere visum sit). Trudi est in Lov. 4, codice non raro scite emendato. (1875.)

Cap. 27, 3 (ubi de æris alieni incerta fama agitur) non recte scribi: aggravantibus summam etiam in-
(134) vidiæ eius tribunis plebis, quum ab iis elevaretur, quibus fide magis quam fortuna debentium laborare creditum videri expediebat, Antonio Perizonio et Dukero assentior; neque enim invidiæ summa conficitur aggravaturve, sed æris alieni summa cum invidia aggravabatur. Neque, si summa invidiæ cohæret, recte interponitur etiam. Scribendum opinor: aggravantibus summam etiam **invidiosius** (quam pro rei veritate) tribunis plebis. Dukerus invidiose scribi voluerat, non tam prope ad traditæ scripturæ vestigia; nec etiam apte tum poneretur.

Cap. 29, 4 (de Prænestinis a T. Quinctio Cincinnato dictatore victis): Ibi (in conspectu Prænestinæ urbis) ex fuga dissipati locum, quem tumultuario opere communirent, capiunt. Video comparari, quod legitur VIII, 24, 10: contrahensque suos ex fuga palatos et quod Cæsar B. G. VI, 35 scripsit: multos ex fuga dispersos excipiunt; sed utroque loco ex fuga refertur ad colligendi et contrahendi notionem, quæ in verbo principali (etiam in excipiunt) inest[1]); ex fuga dissipari homines dici posse nego nisi ita, ut post ipsam primam fugam longius deinde dispersi significentur (ut XXII, 55, 4); itaque perversum est, eos aliquid ex fuga dissipatos facere ita dici, ut id post fugam a colligentibus sese factum intellegatur. Livium igitur hic scripsisse puto: Ibi ex fuga **dissipata** locum — capiunt, quemadmodum lib.

[1]) Aliter XLIII, 10, 8 dicitur: ut suos dissipatos fuga colligeret; nam fuga dissipari rectum est.

XXVIII, 20, 8 scripsit, Punici exercitus ex dissipata passim fuga reliquias Castulonem tutatas esse; nam ex fuga idem est ac post fugam, ex fuga se colligens. Fuga autem dissipata dicitur etiam XXIX, 33, 6 (loco —, in quem ex dissipata convenirent fuga) et XXXVIII, 27, 8; dissipatus cursus II, 59, 9; dispersa fuga XXXI, 42, 9; diversa fuga XLII, 8, 1.

Cap. 31, 5, ubi in codicibus est: Sp. Furius, M. Horatius dextrorsus maritimam oram atque Antium, (135)
Q. Servilius et L. Geganius læva ad montes Ecetram pergunt, quoniam neque dextrorsus magis quam læva accusativum adsciscit (quum præsertim ne versus quidem præpositionem esse homines scire nunc oporteat, nec dici oram versus, sed in aut ad oram versus,), neque zeugma ullum in membris tam perspicue æqualibus ferri potest, relinquitur, ut ante m exciderit in (in maritimam oram), quemadmodum alibi post m (vid. ad IX, 41, 8). Illa incerta suspicio est, scriptum olim fuisse ad montes et Ecetram. Quod § 4 emendaturus eram, occupavit Weissenbornius, qui pro eo, quod editur: ne quis, quoad bellatum esset, tributum daret, fortasse debellatum scribendum esse adnotavit, quo nihil potest esse certius in belli fine significando; alioquin enim scriberetur: donec bellum esset.[1]) (Sed permire scribitur: ne

---

[1]) Hoc ipso Livii loco Ernestius utitur ad simile mendum contra Grotium tuendum apud Tacitum Hist. II, 40; nam ibi quoque post d excidit de. In Livii libro XXII, 61, 10 in cod. Put. et in Med. a pr. manu scribitur quod speraverant pro: quod desperaverant. Cicero de leg. agr. II, 15, 40 scripserat: quid, de quo disputari contra nullo pacto potest; in codicibus inde factum, quod editur: quid, quod disputari contra, omisso de post quid, geminato altero d. In eadem oratione 29, 81, ubi contra omnium Latine loquentium usum scribitur: id, quod Campanis ceperant (nemo enim unquam aut agrum aut quicquam omnino alicui capere dixit pro eo, quod est adimere), recte Lauredanus fecerat aliique probaverant: quod de Campa-

quis — tributum daret aut ius de pecunia credita diceret, quasi utrumque eiusdem sit ac non alterum civis onus ferentis, alterum magistratus cogentis. Itaque in mentem venit (1861) tributum imperaret. Multo est facilius et verum: aut ius — diceretur. Alterum verbum prioris forma cepit. 1875.)

Cap. 32, 6, etsi mirum videtur, notissimam vocem altera non minus nota permutatam esse, tamen nemo fidem faciet, Livium pro certa victoria, de qua agitur, claram dixisse; hæc est enim, certissimo loquendi usu, quæ fama et sermonibus celebratur; neque, quod dies et clarus di-
(136) citur, sole lucente, et certus, quum lux dubia esse desiit, ideo in aliis rebus hæc adiectiva commutantur aut promiscue dicuntur.

Cap. 33, 8: exercitus Tusculum ductus; L. Quinctius et Ser. Sulpicius — duxere. Clausas portas Tusculi Latinosque (qui urbem ceperant oppidanosque in arcem compulerant) — hinc moenia Tusculi tueri vident, illinc arcem oppugnare. Vix fieri potest, ut non Tusculi post portas subditicium sit. (1861.)

Cap. 34, 1: Quanto magis — tranquilla omnia foris erant, tanto in urbe vis patrum in dies miseriæque plebis crescebant. Ablativus apud crescere rationem non habet, ortus ex superiore quanto, scribendumque tantum. Recta forma servatur c. 38, 5, ubi in uno et altero codice recentiore factum est tanto, et, inversa ratione, V, 10, 5: quantum augebatur —, tanto maiore cet., et XXXII, 5, 2. (1861.)

Cap. 36, 8 (de quinque tribunis plebis, qui, a patrum partibus stantes, legibus Liciniis intercedebant): ut ferme

---

nis ceperant; sic enim dicitur (Liv. I, 38, IV, 56, X, 39, XXVI, 34, XXXV, 40, XXXVII, 57, XL, 29, XLI, 13, XLV, 43 et 44, Cic. pro domo 49, 128); quamquam etiam ager ab Antiatibus captus et ex Tiburtibus reperitur.

solent, qui a suis desciscunt, capti et stupentes animi, vocibus alienis id modo, quod domi præceptum erat, intercessioni suæ prætendebant. Qui præcepta ab aliis tanquam dictata hæsitantes proferunt, non alienis vocibus loquuntur, sed suis vocibus, sententiis alienis. In codibus deinde (MP Klock.) non vocibus alienis scribitur, sed vocalienis (L1 voč alienis; de Harl. 1, tacetur; sed ne de archetypo dubitetur, accedunt etiam deteriorum indicia, vocum alienis Voss. 1, L2, Lov. 1, vocem alienis Voss. 2, Lov. 3, fr. Haverc. man. 1). Ne stupens animi quidem dubitatione caret; nam neque Cicero neque Livius neque quisquam eiusdem ætatis in prosa oratione (apud Lucretium est animi fallit) genetivum illum verbis adiunxit nisi iis, quæ dubitationem et sollicitudinem significant. Mendum igitur subest, quod sic mihi tollendum videtur, ut scribatur: capti et stupentes, **animis a voce alienis**, id modo cet. Ipsos animos a verbis, quæ præcepta domi erant, dissensisse Livius significat. [Video esse, qui coniungat vocibus animi alienis et enarret expertibus; ego, quid sit vox animi expers, nescio; ordinem verborum non minus obstare quam usum adiectivi alienus Livianum scio.][1])

Cap. 40, 12 et 13 (in oratione App. Claudii Crassi contra tribunos et rogationes Licinias) pronomen illud, ut nunc oratio interpungitur, et ipsum vitiosum (pro id) et (137) loco pravo positum (in fine interrogationis, ubi tum demum

[1]) Cap. 37, 6, ubi codices habent: qui crederent duobusne, editur autem a recentioribus (Bekkero, Kreyssigio, Weiss., Hertzio): qui crederent, duobus nunc, scribendum erat cum Douiatio: **Quid** crederent? duobusne — impertituros —?, hoc est: Quid creditis? duobusne — impertituros? Neque enim quisquam in huiusmodi interrogatione et rei incredibilis significatione qui adverbio, quod modum significat, usus est (Qui creditis, duobus nunc —). Duobus modis dicitur, aut: An creditis, duobus in locis —? (ut adiungatur interrogatio superioribus) aut: Quid creditis? duobusne in locis —?

recte poneretur, si id significaret, quod statim subiiceretur), rectum erit, interrogationibus sic descriptis et terminatis: Quid? si tu non tuleris, quod commodum est populo accipere, nemo erit, qui ferat? Illud si quis patricius, si quis — Claudius diceret: Aut omnia accipite aut nihil fero, quis vestrum, Quirites, ferret? Paulo ante (§ 11, ubi tribuni civi de plebe roganti, ut, quas probet, rogationes accipere, quas improbet, antiquare liceat, respondere finguntur) hæc interrogandi forma coniunctivi modi: tu de fenore — iubeas, et hoc portenti non fiat —, uti — videas? uno modo intellegi potest, ut cum admiratione et improbatione proferatur. Sed neque per se tribunis superbe negantibus convenire videtur hæc admiratio et indignatio neque in eam apte includuntur ea, quæ Appius ex suo iudicio intermiscet et adiungit (et hoc portenti non fiat cet.). Apta hæc erunt et commoda, si sedate sic proferentur, ut pæne ambigua inter tribunos et Appium oratio sit (et ita inducitur, posito inquit: nein, heisst es): Non, inquit, licebit, ut de fenore atque agris, quod ad vos — pertinet, iubeas, et hoc portenti non fiat in urbe Romana, uti — videas. (Non licebit hæc duo separare, alterum tibi plebeio commodum, alterum tibi, ut omnibus, intolerabile.) Duas litteras transposui. (§ 17 nota recte explenda, ut fiat: haud pro dubio consule esse, non consulem; neque enim dicitur absolute pro haud dubio, ut sit haud dubie; candidatus, cuius certa spes est, pro haud dubio consule est (habetur), non pro haud dubio consul est. 1861.)

Cap. 41, 4 (in eadem oratione): De indignitate satis dictum est; etenim dignitas ad homines pertinet; quid de religionibus atque auspiciis, quæ propria deorum immortalium contemptio atque iniuria est, loquar? Mire causa additur, cur satis dictum de indignitate sit, quæ neque addi unquam solet in

tali transitu ad maius et per se nulla est; quidni enim
liceat copiosissime de re ad homines pertinenti dicere? Et
dixit satis multa Appius. Apta erit orationis forma una
littera mutata: De indignitate satis dictum est. At
enim dignitas ad homines pertinet (ut ea fortasse (138)
neglegi posse cuipiam videatur); quid de religionibus
— loquar? Fingit a contraria parte elevari, quæ de in-
dignitate dixerit; itaque ad id transit, quod elevari ne-
queat. Eodem fere modo c. 40, 15 dixit: At hercule
sermo est minime civilis; quid? rogatio qualis
est, —?, nisi quod ibi minus concedi fingitur, sed in eo for-
tasse non satis esse momenti; itaque de maiore interro-
gatur. Paulo post (§ 8), ubi sic scribitur: eludant nunc
licet religiones; quid enim est, si pulli non pa-
scentur, si ex cavea tardius exierint, si occeci-
nerit avis? mendum subest, quod quoniam neque ex eo
est genere, quorum demonstratio vehementer animum ferit,
et duas voces videtur attingere, pæne invitus commemoro;
sed statui libere dicere neque quicquam premere. Ut enim
omittam ipsam rectæ interrogationis ex ipsius Claudii per-
sona formam in exprimenda aliorum cavillatione (cui deinde
ipse respondet: Parva sunt hæc cet.) minime apte po-
sitam, nullam omnino excogitare possum rationem neque
simplicis futuri (pascentur) neque exacti (exierint —
occecinerit). Neque enim illi, quos Claudius religiones
eludere fingit, hoc dicebant, nihil esse mali (— oportebat
autem fóre dici, hoc est, erit —), si posthac aves non
pascerentur tardiusve exirent avisve occinuisset (quæ et
facta antea sæpe erant neque frequentius posthac futura illi
putabant), sed nihil omnino in his rebus esse momenti,
nullam significationem dignam, quam quis curaret. Atqui
hoc sic dicendum erat recta interrogatione: Quid enim
est, si pulli (aliquando) non pascuntur, si ex cavea
tardius exierunt? Mihi quidem Livius sic scripsisse

videtur: Eludant nunc licet religiones: quid enim **esse**, si pulli non **pascantur**, si ex cavea tardius exierint, si avis occecinerit?[1])

(139) ## Lib. VII.

Cap. 1, 8: eam pestilentiam (quæ fuit L. Genucio, Q. Servilio coss.) insignem mors quam matura tam acerba M. Furii fecit. Qui sic dicit, is significat, mortem Camilli acerbam fuisse, ut debuerit, propter maturitatem; iustam fuisse maturitatis et acerbitatis proportionem. Atqui contraria maturæ (senum) morti est acerba (iuvenum et eorum, qui nondum mori debuisse videntur), et hoc ipsum Livius dicit, Camilli mortem, etsi ob ætatem matura fuerit, tamen ob viri merita et desiderium visam esse acerbam. Quid scripserit, codicum manifesta indicia ostendunt; nam in M a prima manu est quamui matura, una amissa littera, quam altera manus retraxit (quamvis); ex illo quamui in L1H1 ortum quam nemo sic; Parisini librarius litteras ui non intellectas sustulit. Sed manus illa altera Medicei recte simul pro tam scripsit tam̄; absurdum enim et barbarum est: quamvis matura, tam acerba; unice aptum verumque: quamvis matura, tamen acerba.

Cap. 2, 4: Ceterum parva quoque, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit. Non video, quo referatur quoque; nam novitati tamquam singulare aliquid exiguitas superponi nequit (— non solum nova, sed etiam parva —). Fortasse scribendum: Ceterum parva **ea** quoque, ut ferme principia omnia,

---

[1]) De tollenda in c. 42, 12 prava trium verborum repetitione et (13) facturos pro acturos restituendo quæ exposui in libello grammatico (Bemerkungen über verschied. Punkte des Systems der lat. Sprachlehre p. 64), secuti sunt Weissenbornius et Hertzius; itaque iterari ea nihil opus videtur.

et ea ipsa cet., ut principia audiantur, etsi offendit geminatum ea. (1875.)[1]

Cap. 3, 8 (ubi agitur de sollemni clavi figendi): Horatius consul ex lege templum Iovis Optimi Maximi dedicavit anno post reges exactos; a consulibus postea ad dictatores — sollemne clavi figendi translatum est. Legem significari oportet eam, quam Livius paulo ante (§ 5) dicit fixam fuisse dextro latere (— aut sic scribendum aut lateri ablativo casu accipiendum —) ædis Iovis Capitolini, de clavo figendo. Itaque ea lege scribi volunt. Verum eam legem Livius ipse dicit non de templi dedicatione, sed de illa re una, de clavo figendo fuisse; de templi dedicatione similem atque de ceterorum templorum dedicationibus legem latam esse probabile est; neque apparet, cur omnino per se hoc loco commemoretur templi Capitolini dedicatio, quacunque lege dedicatum est, quum de clavi figendi sollemni agatur. Scripserat Livius: Horatius consul **et legem et** templum I. O. M. dedicavit cet. Recte iam legis dedicatio in pariete templi facta narratur (et, quod inde sequitur, primus clavus fixus) ab Horatio una cum ipsius templi dedicatione. Ex et legē et templum facile ortum est et legetemplum, litteris et semel scriptis, quum bis deberent scribi, tum ex et factum ex. Similem sententiam Gronovius et Strothius efficere conati sunt, sed in verbis aberrarunt. (140) (141)

Cap. 4, 2: Acerbitas (L. Manlii) in dilectu, non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata — invisa erat. Mire et novo ablativi usu acerbitas dictatoris damno civium et laceratione corporum lata dicitur (ferre aliquid incommodo aliquo), addito præsertim genetivo civium; nam ipsi saltem, quibus invisa erat, suo damno per-

[1]) [Ludionum nomen iniuria addubitaveram; v. quæ disputavit Hauptius Herm. III p. 149.]

tulerant, genetivus alios acerbitatem tulisse significare videtur. Itaque vereor, ne Livius scripserit: non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum **læta.**[1]) Summa animi acerbitas significatur etiam civium malis gaudens. (1861.)

Cap. 6, 3 et 4 (postquam Livius narravit, quum forum medium specu vasto collapsum esset, quæri coeptum, quo plurimum populus Romanus posset; id enim illi loco dicandum vates cecinisse): Tum M. Curtium, iuvenem bello egregium, castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum quam arma virtusque esset; silentio facto, templa deorum immortalium — intuentem et manus — porrigentem se devovisse; equoque deinde cet. Ferri non potest in hac continuatione oratio eo ipso loco, quo a castigatione aliorum ad ipsius Curtii actionem transfertur, asyndeto interrupta (castigasse ferunt —; silentio facto); scribi igitur debet duabus litteris geminatis: — esset, **et** silentio facto — se devovisse. Est tamen aliud, quod in hoc loco offendat. Nam si dubito an Livium, ut posteriores faciunt, sententia ad negandum inclinante posuisse putamus, quemadmodum VIII, 24, 11 dubius an posuit, apertissime Curtius in civibus suis id reprehendit, quod ipse statuebat illosque statuere volebat, nullum esse magis Romanum bonum quam arma virtutemque. Sin ad affirmandum in-
(142) clinare illam dicendi formam, veterum consuetudine, iudicamus, quemadmodum addubitavit an dicitur VIII, 10, 2, ut hæc sit sententia: quod crederent ullum cet., ullum quidem pronomen excusatur eo, quod præcedit improbandi significatio (Gramm. Lat. § 494 b), sed hæreas non immerito in hac ipsa opinionis et suspicionis incertæ

---

[1]) [Latus participium de incommodo, quod quis pertulit, dicitur XXII, 54, 11, apud Senecam de Ira II, 14, 4, III, 11, 3; nam dubitaram.]

significatione et reprehensione. Neque tamen aliter interpretari verba licet. Nam quod Weissenbornius, qui difficultatem sensisse videtur, totum hoc: an ullum — esset seiungi vult a participio dubitantes et pro ipsa Curtii obiurgantis interrogatione accipi, id quidem fieri nullo pacto potest in hac structura (an — esset) participio dubitantes subiecta; dicendum erat saltem legitima obliquæ interrogationis forma: an ullum — quam arma virtutemque esse? (oder sei wohl); sed ne hanc quidem interrogandi formam tam abrupte illi dubitantes subiecturus Livius erat; saltem: an enim ullum cet. scripsisset.[1])

Eodem capite (§ 9), ubi editur: forte ita tulit casus, (143)
ut Genucius ad hostes magno conatu profectus in insidias præcipitaretur, legionibus necopinato pavore fusis consul circumventus ab insciis, quem interfecissent, occideret, primum retentum oportuit, quod, Dukero suadente, Drakenborchius e M posuerat, præ-

[1]) Exponere libet, quo perveniendum sit ei, qui illam suspicionem de ipsa Curtii interrogatione interiecta persequi velit. Nam quoniam infinitam formam necessario tenere debebit neque tamen virtus in virtutem sine summa temeritate mutare poterit, redibit ad eam formam interpretandi moniti sive librorum Sibyllinorum sive, ut Varro tradit, haruspicum, quæ sine dubio prima tradita in hac narratione est. Neque enim rem optimam populi Romani, quæ dicanda esset, Curtius interpretatus narrabatur arma et virtutem; nam virtus cum armis in tali re coniungi et dis dicari (antiquorum sensu) nequit; virum (viros) aut arma et virum (virum armatum) interpretatus erat; idque perspicue narraverat Dio Cassius, qui rem Græcula arte exornans Curtium induxerat rhetorice explicantem, quanta esset viri dignitas (vid. fragm. lib. XIV p. 26 Bekk., Zonar. VII, 25. Varro L. L. V p. 41 Bip., civis fortissimus ut in hiatum demitteretur, postulatum narrat, Procilium auctorem appellans). Quid, quod e Suida v. Λίβερνος apparet fuisse, qui Vergilii Æneidis initium (arma virumque) hinc natum fingerent? Scribetur igitur: an ullum magis Romanum bonum quam arma virumque esse? Hac utatur coniectura, qui volet; ego non utor. [Et virtus apud Livium legebat Valerius Max. V, 6, 2, quod video etiam Koehlerum adnotasse.]

cipitaret. Livium enim de iis, qui in insidias locave iniqua casu incidant, non ab aliis trudantur, non modo plerumque, sed semper activo usum esse præcipitandi verbo pro intransitivo, quemadmodum etiam Cicero facit, certum videtur, non minime ob eam causam, quod in iis verbi formis, quarum difficilior erat permutatio, semper activum codices tenent. Legitur autem activum his locis: II, 51, 5 (præcipitavere in insidias), V, 18, 7 (eadem verba, etsi ibi MPH1, deteriores codices post præcipitavere addunt se; quam prave, dixi supra p. 32), VI, 30, 4 (eadem verba), XXV, 11, 6 (plurimi in fossam præcipitavere), XXVII, 16, 4 (in puteum — ex equo præcipitasse), XXXIX, 2, 3 (per — rupes deruptas præcipitantes), XLIII, 23, 4 (in vallem insessam ab hostibus præcipitant; in codice huic verbo adhæserunt ea, quæ sequuntur, sic corrupta: præcipitantibusidemoccisis). Paulo alia significatione XXVII, 40, 3 ad — Cannas præcipitasse Romana res dicitur, quemadmodum a Cicerone pro Sulla 31, 87 res publica præcipitans. Passiva forma verbi impersonaliter ut intransitivi ponitur III, 43, 5, qui locus nunc recte interpungitur (præcipitatum in insidias esse; Siccium — militesque quosdam — amissos). Dubitatur, præter eum, ad quem hæc adnotantur, locum, in duobus: XXI, 25, 9: ibi inexplorato profectus in insidias præcipitatus multaque cum cæde suorum ægre in apertos campos emersit. Sensit Gronovius, prave coniungi: præcipitatus multaque — emersit; itaque que tolli volebat; scribendum est: præcipitat multaque cet.; XXV, 16, 15: Gracchus, fraudem et sermoni et rei abesse ratus ac similitudine veri captus, cum lictoribus ac turma
(144) equitum e castris profectus duce hospite in insidias præcipitatus. Hic quoque Gronovius post tria participia, quæ quasi gradus actionis significant, in ipso exitu rei declarando verbum finitum ponendum fuisse vidit; nec

tamen, ut is voluit, præcipitatur nec, ut Gebhardus, præcipitavit, sed hic quoque præcipitat scribendum. (Ubi proprie de cadentibus in præceps agitur, etiam passivum ponitur, v. XXII, 6, 5, XXXVI, 30, 4: iumenta multa — præcipitata cum ipsis oneribus sunt, XXXVIII, 2, 14.)[1]) Ut ad VII, 6 redeam, non iniuria Dukerus copulam desideravit inter præcipitaret et occideret vel potius occideretur; et excidit facillime et post præcipitaret. Occideretur, quod olim in editionibus erat, e deterioribus codicibus sumptum, quin restituendum sit, non dubito, etsi ibi coniectura natum iudico; nam neque ab insciis cum circumventus coniungi ullo modo potest, neque Livius hoc uno loco aut quisquam dixit: occido ab aliquo, quia aderat occidor; interire ab aliquo aliam habet rationem. In codice nostrorum archetypo opinor fuisse, quod M habet, occiderent, prave accommodatum ad interficerent. Sed restat summa sententiæ pravitas. Vitiose iam diceretur aliquis ab insciis, quem interficerent, occidi, præpostero ordine et mira abundantia; sed supra modum ridiculum est, occisum aliquem esse (sive quis mavult, circumventum) ab insciis, quem — iam ante — interfecissent. Occisum Genucium Livius scripserat ab insciis, quem (circumvenissent et) **intercepissent**. Ea verba et alibi confusa et in epitome libri CXVII. (1861.)

Cap. 10, 13: Inter carminum prope modum incondita quædam militariter ioculantes Torquati cognomen auditum. Enarrant prope carminum modum. Equidem, quid sit propemodum, scio; prope modum alicuius rei non memini me usquam legere, sed carminum in modum et similia sæpe et apud alios et apud Livium (V, 8, 3 lixarum in modum, 15, 4 vaticinantis in modum, VI, 14, 11 contionantis i. m. et alio

---

[1]) [Conferantur, quæ hinc profectus Usener in annal. philol. vol. CVII p. 398 disputavit.]

ordine: prope in contionis modum II, 23, 5 et (sine prope) 38, 2, in modum fugientium XXXVII, 46, 8). Itaque hic quoque, ut VI, 31, 5, in ante **in** excidisse opinor scribendumque: Inter carminum prope **in** modum incondita quædam militariter ioculantes. Coniunctio et ordo verborum, sive in sive prope præpositio ponitur, eandem habet duritiam, nihilo tamen illam mole-
(145) stiorem quam in libro XXVIII, 12, 6: Post Hasdrubalis vero exercitum — deletum cedendoque in angulum Bruttium cetera Italia concessum, ne tam molestam quidem, quoniam inter post et concessum præter ablativum Italia, qui a concessum pendet (quod genus indicavi Gramm. Lat. § 469 not. 2; cfr. Weissenb. ad XXVII, 36, 2), interponitur non solum alius ablativus (instrumentalis, cedendo), sed etiam huic adiuncta præpositio cum casu: in angulum Bruttium. [XXXI, 40, 9 et XXXVI, 23, 6 posui Advers. Crit. II p. 514, huius Emendationum loci immemor.] Sunt hæc prorsus Liviana ex eo genere, quod ante sedecim annos notavi (Bemerkungen über verschiedene Punkte des Systems der lateinischen Sprachlehre p. 79), in quibus analogia per ambages amplificata in formas diligenter compositas, sed molestas et operosas exit.[1]) Paulo ante eodem capite (§ 8) pudet pæne admonere, verba sic interpungenda esse: non cantus, non exsultatio armorumque agitatio vana, sed pectus animorum iræque plenum; omnem ferociam (Torquatus) in discrimen ipsum certaminis distulerat. Vulgo Livium dicentem faciunt, non cantum nec armorum agitationem, sed pectus distulisse ferociam, non animadvertentes, nominativum breviter, omisso verbo, pro tota sententia poni. (Gr. Lat. § 479 not. 2; cfr. Cic. Verr. V, 7, 16: Exspectatio summa hominum, quidnam id esset; Liv. I, 54,

---

[1]) [Kleine philol. Schriften p. 358 sqq.]

10, II, 24 init., V, 26, 9. Taciti usum omitto.) [Nec pectus ferociam differt, quod Weiss. reliquit.]

Cap. 12, 5 non dubito quin mendum lateat in his verbis: Alius adventus hostium fuit proximo bello agris terribilior quam urbi. Nam neque proximo bello, præcedente ante quinque verba tam propinqui belli appellatione, de temporis propinquitate intellegi potest (— loco autem minime proximum erat Tarquiniense bellum, præsertim cum Tiburti aut Hernico comparatum —), neque Livius, quum eodem anno alium hostium adventum præter Tiburtium factum narraret, eum proximo bello accidisse scriberet, tanquam de rebus tempore diiunctis dicens; omninoque bellum nullum tum fuit, sed ob hanc populationem, (146) rebus repetitis, a proximis consulibus bellum Tarquiniensibus indictum est. [Itaque etiam anno, quod pro bello Faber, nuper alii substitui voluerunt, falsum re est, non solum mutatione improbabile.] Accedit, quod in codice archetypo fuit, ut in MPL1H1 est, quam terribilior (non terribilior quam), quæ scriptura et mendum arguit et corrigendi viam ostendere videtur. Nam in proximo bello latere credo comparativum alterius adiectivi, cui contrarium sit terribilior, hac forma: exitiabilior agris quam terribilior urbi. De ipso vocabulo nihil adfirmo. (1875.)[1]) Eodem capite § 11 recentissimi editores restituerunt, quod in archetypo fuit: adversus hostem, quem tempus deteriorem in dies et locis alienis faceret sine præparato commeatu, sine firmo munimento morantem, ad hoc iis corporibus animisque cet. Sed neque et pro etiam illo loco accipi potest neque ulla hic est aut adiunctio aut adscensus (sed in proximis ad hoc); nec faceret post locis alienis apte ponitur. Et tamen neque locis alienis pro nominativo

[1]) Olim scripseram proximis bello agris. Sed parum recte agri bello propinqui dicuntur, præsertim qui ipsi bello vastentur. [§ 2 Siesbyeus pro inscitia suspicatur scribendum esse inscientia.]

(locus al.) scriptum esse probabile est neque recte cum tempore coniungitur locus alienus, qui inter ea est, propter quæ tempus deteriorem hostem facit, nec omnino locus, qui idem manet, cum tempore labenti. Videndum, ne transpositione facta scribi debeat: quem tempus deteriorem in dies faceret, [et] locis alienis sine præparato commeatu — morantem, ad hoc cet. Nam et — ad hoc pro et — et minus diligenter positum a Liviano scribendi genere abhorret. (Cap. 38, 9 codd.: et ætate haberet pro haberet et ætate.)

Cap. 13, 8 (in oratione Tullii centurionis apud C. Sulpicium dictatorem): Sin autem non tuum istuc, sed publicum est consilium, et consensus aliqui patrum, non Gallicum bellum nos ab urbe, a penatibus nostris ablegatos tenet, quæso, ut ea, quæ dicam, non a militibus imperatori dicta censeas, sed a plebe patribus, quæ, sicut vos vestra habeatis consilia, sic se sua habituram dicat. Quis tandem suscenseat, milites nos esse, non servos vestros, ad bellum, non in exsilium missos cet. Primum satis audacter et rustice Tullius simpliciter denuntiat, plebem sua habituram consilia; sed hoc feramus; ferri non potest primum suscenseo sine ullo ante Suetonium (Vespas. 5) exemplo pro indignor cum infinita sententia
(147) positum, deinde multo minus hæc sic elata: quis indignetur, milites nos esse—, —pugnaturos —, —otium Romæ potius — acturos cet., quum intellegi sic debeant: nos pro militibus haberi et tanquam milites tractari velle, — — eo esse animo, ut pugnaturi simus —, —otium Romæ potius—acturi. Nam indignatio ad ipsam illam voluntatem et postulationem pertinet, quæ in verbis omittitur. Sanabit hæc et rectam orationis formam sententiæque progressum efficiet sublata una littera et ex una voce factæ duæ: quæso, ut ea, quæ dicam, non a militibus imperatori dicta cen-

seas, sed a plebe patribus (— quæ si, ut vos vestra habeatis consilia, sic se sua habituram dicat, quis tandem suscenseat? —), milites nos esse, non servos vestros, ad bellum, non in exsilium missos; si quis det signum, — pugnaturos cet. Apparet, infinitivos ab ipso illo quæ dicam pendere, præparari autem hanc plebis nomine denuntiationem interposita illa parenthesi. Tantum autem abest, ut hoc uno loco si, ut in sicut coaluerint, ut frequens id in codicibus mendum sit; velut XXXIV, 2, 7 pro eo, quod recte editur: si, ut plebis quondam, sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt, et in ceteris codicibus et in Bambergensi scriptum est: sicut plebis. Ciceronis codices idem obsidet mendum in orat. pro Cæcina 24, 69 (sicut Manlius pro: si, ut Manlius) et Gellii II, 8, 5, ubi Hertzius minus recte si sicut scripsit pro si, ut, et Taciti in Hist. I, 83 simillimum, sicubi pro si, ubi, de quo, qui risum quærat, legat, quæ Bachius et Waltherus excogitarunt. Sed apud ipsum Livium tertium residet huius confusionis perspicuum exemplum in libro XXII, 60, 11 (in oratione T. Manlii Torquati): Sicut avorum memoria P. Decius trib. militum in Samnio, sicut nobis adolescentibus priore Punico bello Calpurnius Flamma trecentis voluntariis, quum ad tumulum eos capiendum situm inter medios duceret hostes, dixit: „Moriamur, milites, et morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones“ —, si hoc P. Sempronius diceret cet. Apparet enim Livium ab initio (148)
condicionalem instituisse sententiæ formam, in qua argumentatio posita est, eamque duplici exemplo, altero longiore, interruptam, repetita particula si renovasse in lectoris animo; scribendum est igitur necessario: Si, ut avorum memoria P. Decius —, si, ut nobis adolescentibus Calpurnius Flamma — dixit —, si hoc P. Sempronius diceret cet. Ut redeam, unde digressus sum, ad

VII, 13, laudandus mihi aliquando Alschefskius, quod paulo ante (§ 3) ex P et deterioribus codicibus (Drakenborchianis octo) restituit: Si licet, dictator, allato etiam Terentii exemplo (Heaut. V, 2, 20: Here, licetne?), in quo similiter in venia dicendi petenda loqui aut dicere omittitur. Sic enim aptissime militari brevitate Tullius dicere orditur (Mit Erlaubniss, Feldherr). Scilicet in hac aperta et simplici causæ, cur Tullius dictatorem adeat, indicatione nullum habet locum. Neque enim ullo modo ea vox apta est ei, qui admirationi alterius (tacitæ) occurrit, quod Weissenbornius fingit (quasi dicas: ne miratus sis; scito enim exercitum — me orasse). Etiam III, 71, 3, ubi plene dicitur, M m.1 et H1 scilicet pro si licet habent.[1])

Cap. 18, 4 (ubi commemorantur C. Sulpicius, M. Valerius consules fidei suæ duxisse, ut accepissent duo patricii consulatum, ita ambobus patriciis mandare): Quin aut toto cedendum esse, si plebeius iam magistratus consulatus fiat, aut totum possidendum, quam
(149) possessionem integram a patribus accepissent. Miram vero condicionem toto cedendi consulatu, si plebeius fiat, hoc est, si toto patricii cedant; nam aditus etiam plebeiis factus illis verbis (si plebeius iam fiat) significari nequit. In codice archetypo (MPH1, cett.) fuit: cedendum esset (L1 est), si plebeius —. Livius scripserat: aut toto cedendum esse, **ut** plebeius iam magistratus consulatus fiat, aut cet. Ex esse ut factum est esset, deinde additum si.[2])

Cap. 19, 1: Duo bella eo anno prospere gesta cum Tiburtibusque ad deditionem pugnatum. Qui sic narrat, necessario, quamquam inepte significat, significat

---

[1]) Cap. 14, 1 attigi p. 30 significavique restituendum esse censebat.

[2]) Adnotatio marginalis § 4 in cod. M textui inserta huiusmodi initio fuit: seditiones comitiales, plebe, ut institutum erat, consules poscente creari.

tamen, præter duo bella prospere gesta tertium cum Tiburtibus fuisse. Qui duobus bellis eorumque eventu breviter significato deinde separatim de utroque dicit, hac adiungendi forma uti nequit (cfr. modo c. 17, 1 sq.). Facillimo negotio verum restituetur, retractis duabus litteris, quæ omissæ sunt, quod eædem bis scribendæ erant: Duo bella eo anno prospere gesta. Cum Tiburtibus **usque** ad deditionem pugnatum. Sassula ex his urbs capta (ceteraque, quæ ad Tiburtes pertinent). Sequuntur his contraria: In Tarquinienses acerbe sævitum cet., etsi orationis forma accommodata ad proxima est: Triumphatum de Tiburtibus; alioquin mitis victoria fuit. Et usque hic latere senserat emendator codicis Gærtneriani; sed Drakenborchius, homo alioqui minime fastidiosarum aurium, de ingrato sono interpolationis (cum Tarquiniensibus Tiburtibusque usque) queri quam ad Livii orationis formam considerandam excitari maluit.[1])

Cap. 20, 8: Itaque (quum de Cæritibus veniam et pacem petentibus apud populum actum esset) pax populo Cæriti data, indutiasque in centum annos factas in senatus consultum referri placuit. Nusquam memini dici in senatus consultum aliquid referri; nam SC. fit et perscribitur, res in acta et tabulas refertur. Sed hoc omittamus; quis fando audivit, populum decresse, quid in SC. referretur, et populi decreta SCtis perscripta? Quis pacis in centum annos datæ fidem SCto firmatam et testatam ac non lege et foederis tabulis? Nam

---

[1]) Cap. 23, 6 pro integi (quum loci altitudine, tum vallo etiam integi), quod Drakenborchius e codicibus revocavit, ceteri deinde tenuerunt, restituendum est, quod inde a Frobenio ad Drakenborchium editum erat, tegi; in ex in præcedenti ortum est. (Vid. ad V, 47, 6.) Coriis, veste, aliis, quæ superiniiciuntur, integitur aliquid, intendente præpositione eam significationem, quæ iam in verbo tegendi est, et certiorem reddente; armis, munimentis, quicquid oppositum infesta arcet, tegimur tantum, non integimur.

quod Weissenbornius populum dicit senatui permisisse, ut pacem daret, et contra omnia instituta Romanorum fingitur nec ullo modo his verbis significari poterat. Latet mendum, quod ad scripturam attinet, prima specie magnum, reapse parvum et facile, sententiæ perniciosum; nam in **se.** referri scriptum est pro eo, quod est: in **aes** referri. Tabula aenea pacis fixa est. (1875.)

Cap. 25, 2: Simul dictatorem (L. Furium) increpabant, qui legis Liciniæ spretæ mercedem consulatum, privata cupiditate quam publica iniuria foediorem cepisset, ut se ipse consulem dictator crearet. Extrema hæc, præmisso consulatum, vitiose abundant; ipsum autem id nomen tam incommodo loco interpositum est, ut ei necessario adiungatur foediorem, quod manifestum est cum mercedem coniungi debere. Itaque consulatum ad mercedem additum esse ab aliquo, qui eam mercedis significationem, quæ plenior et gravior sequitur, uno vocabulo præciperet, eodem, quo ego, tempore Forchhammer intellexit. (1861.) [Sic iam Doerin-
(150) gius.] Paulo post (§ 7) scire velim, quo exemplo dicatur, quo neminem offensum video: extendere omnes imperii vires dilectu habendo. Equidem intendi in tali re curam et vim puto, non extendi, vereorque, ne hoc pro illo substitutum sit, etsi, quod ad errandum invitarit, nihil video.

Cap. 26, 1: Ubi quum stationibus quieti tempus tererent (Romani), Gallus processit cet. Scribendum: **in** stationibus; non exercitus stationibus terebat tempus, sed qui in stationibus erant, quieti terebant tempus. (1861.)

Cap. 30, 11 (in oratione legatorum Campanorum auxilium a Romanis contra Samnites rogantium): Omnibus quidem, Romani, vestram misericordiam vestrumque auxilium æquum est patere, iis tamen maxime, qui eam implorantibus aliis auxilium dum supra

vires suas præstant, omnes ipsi in hanc necessitatem venerunt. Hæc vitiata esse, quod video etiam alios nuper suspicatos, multis indiciis manifestum fit. Primum, quum duo nominata essent, misericordia et auxilium, non solum pronomen tantum ad prius et remotius refertur, sed mire, quæ ante coniuncta erant, hic sic separantur, ut implorantibus misericordiam præstetur auxilium; apparet enim, idem imploratum et præstatum dici debuisse; tum nomen ipsum auxilium, in quo nihil præcipui est ponderis, prorsus prave ipsi etiam coniunctioni præponitur (quod ne in insigni quidem contrariorum comparatione facile fit); postremo omnes additum, et primo loco additum, totam pervertit sententiam, quæ in eo posita est, ut, qui antea aliis auxilium implorantibus tulerint, ipsi auxilio digni iudicentur, nulla adiuncta omnium aut partis cogitatione.
Emendationis prior pars absolvitur sublato, quod vitiose (151)
separatim repetitum ipse positus additum aliena manu arguit (prorsus eodem modo, quo in cap. 25, 2 consulatum), restitutoque ea, ut iam, quod sententia postulat, eadem, quæ coniuncta patere debere dicantur, implorari et præstari dicantur. (1861.) Eius, quod in omnes residet, mendi correctionem probabilem, quam ipse non reperiebam, Buettnerus perleni et pereleganti emendatione iam ante repperisse videtur scribens: dum supra vires suas præstant, **ante** omnes ipsi cet. Eam ita sequor, ut fatear, mihi ad sententiam saltem non necessarium videri ante omnes. (1875.)[1]) Eodem capite extremo (§ 22, in eadem legatorum Campanorum oratione) sic scribitur: Stare omnem multitudinem ad portas, viam hinc ferentem prospectantes, certum habeo, quid illis nos, patres conscripti, sollicitis ac pendentibus animi renuntiare iubeatis. Prospectamus ipsos homines adventantes,

---

[1]) [In priore editione vitia loci recte exposueram, in corrigendo aberraveram.]

ut ex iis, quum venerint, sciscitemur aliquid; prospectamus, ecquid appareat; prospectare viam, quid cui per legatos renuntiari Romanus senatus iubeat (sic enim enarrant), nugacissime dicitur. Deinde, si Livius illam sententiam, quæ a pronomine quid incipit, superiori adnecti et ex Campanorum domi exspectantium animo proferri voluisset, non illis, sed sibi scripsisset, nec patres conscripti addidisset, quod manifesto est legati ipsius senatum alloquentis. Scripserat Livius una littera minus: Stare omnem multitudinem ad portas viam hinc ferentem prospectantes, certum habeo. Quid illis nos, patres conscripti, sollicitis ac pendentibus animi renuntiare **iubetis**? Iam huic rectæ interrogationi et
(152) responsi postulationi longe aptius adiunguntur illa: Alterum responsum salutem —; alterum, ominari horreo, quæ ferat. Qui quid sententiæ a superiore nexæ indicem putavit, ex iubetis fecit iubeatis. Hoc autem constituto, apparet etiam, ni fallor, Livium non cum summa ambiguitate prospectantes, interiecto portas, rettulisse ad multitudinem, sed portas viam hinc ferentem prospectantes dixisse, quæ prospectum viæ haberent, quo genere loquendi Tacitus et Plinius uterque utuntur, etsi (XXXIII, 17, 5) Acarnaniam solem occidentem spectare dicit de ipso situ. Retinui pendentibus animi contra codices, ex quibus nuper repositum est animis. Ut enim Latine dicatur de pluribus pendere animis, quod uno Ciceronis loco contra permultos contrarios parum confirmatur, quoniam in hac locutione certum habet locum illud animi de sede dictum, hoc quidem loco Livius eam formam vitaturus erat ob ipsam ambiguitatem, ne videretur animis (dat.) pendentibus renuntiari aliquid dicere (ut visus est Alschefskio, comparanti e c. 10, 9 huius libri: animis spe metuque pendentibus); animis enim nihil renuntiatur. Librarius facillime ad

pendentibus accommodavit animis. [Debueram Wesenbergium appellare, in eandem sententiam pluribus disputantem ad Cic. Tusc. I, 96.][1])

Cap. 35, 5 et 6 (in P. Decii, tribuni militum, oratione apud milites suos): Cum eo hoste res est, qui hesterno die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam usus non sit; hunc tam opportunum collem imminentem capiti suo non ante viderit quam captum a nobis; nos tam paucos tot ipsi millibus hominum nec ascensu arcuerint nec tenentes locum — vallo circumdederint. Sic vulgo edunt, codices longe plurimos sequentes, Liviumque, quum casu ipsi plu- (153)
rali numero posuisset, ad id arcuerint — circumdederint accommodasse putant, quod mihi quidem in hoc tam æquabili orationis cursu per se parum probabile videtur totumque eo evertitur, quod post ipsum circumdederint sequitur: Quem videntem ac vigilantem sic eluseritis, sopitum oportet fallatis, ex quo apparet Livium eandem notionis formam animo retinuisse. Itaque e P et Klockiano restituendum arcuerit — circumdederit, tum vero sine ulla dubitatione scribendum, ut a Frobenio (1531) ad Gronovium editum est, ipse, mutatum ab oscitanti librario ob tot.

Cap. 37, 4: Tertia pugna (post primam M. Valerii Corvini ad Gaurum montem, alteram A. Cornelii Cossi in Samnio) ad Suessulam commissa est, qua fugatus a M. Valerio Samnitium exercitus, omni robore iuventutis domo accito, certamine ultimo fortunam experiri statuit. Duo hic offendunt, primum concursus ablativorum similis significationis; neque enim pro-

---

[1]) De c. 32, 12 nihil dicam, quoniam, quod manifestissimum est, modo post factionibus tollendum esse, male ex superiore versu repetitum, etiam Weissenbornio post Glareanum, tentata frustra interpretatione, in mentem venit. Perquam ridicule homo virtute ac meritis fidens negaret se solis factionibus tres consulatus adeptum.

bum videtur: hac pugna certamine ultimo fortunam experior; itaque, nisi cetera obstarent, suspicari aliquis posset, fugatum ad Suessulam tertia pugna (qua fugatus) exercitum Samnitium quartum proelium tentasse.[1]) Deinde, quæ deinceps narratur, pugna minime a Samnitibus ultimo certamine fortunam experiri volentibus committitur, sed a Romanis illos Suessulam obsidentes et incaute palatos improviso aggredientibus. Ipsam quidem Suessulæ, Romanarum partium urbis, oppugnationem et obsidionem a Samnitibus coeptam Livius satis neglegenter initio commemorare omisit, significat proxime verbis ab Suessula trepidi nuntii et § 10 sedendo ad Suessulam. Sed ab illo Samnitium consilio et conatu occasio nata est pugnæ committendæ. Suspicor igitur Livium scripsisse: Tertia pugna ad Suessulam commissa est, **quia** fugatus a M. Valerio Samnitium exercitus — fortunam experiri statuit (idque experimentum a Suessulæ obsidione exorsus est). (1861.)[2]) Tum § 6, quoniam neque impedimenta castrorum ulla sunt neque recte dicitur relinquere impedimenta valido præsidio, scribendum est: relictisque impedimentis **cum** castrorum valido præsidio (pro impedimentis castrorum) (1861) aut, ut Weissenbornius voluit, **ac** castrorum.

(154) Cap. 39, 14 (in confusa illa et fingendo exornata narratione seditionis militum anno 342 factæ) ab instituto meo paulisper discedens codicum scripturam defendam, in qua

---

[1]) [Exempla a Weissenbornio ad excusandum collecta ablativorum diversi generis concursum habent.]

[2]) [Antea tentaveram: quo fugatus a M. Valerio Samn. exercitus omni robore — accito. Sed non poterat totum hoc fug. a M. V. Samn. ex. interponi inter adverbium illud et accito, aliterque dicitur quo Cæsar audito similiaque. § 11 fortasse iniuria coniecturam, qua in cod. Lov. 4 e scriptura bonorum codicum: interim quia et Romano factum est interim quieto Romano, damnavi. Poterat hoc superaddi cum aliqua irrisione illis: dum inclusus paveret hostis.]

mutanda editores aliique inde a Gronovio cum gravibus erroribus satagunt; ea huiusmodi est: somno gravem Quinctium oppressum, nihil medium, aut imperium atque honorem aut, ubi restitaret, mortem, ni sequeretur, denuntiantes, in castra pertraxerunt. Primus Gronovius ubi et si idem esse putavit, quod contra est. Quinctio milites nihil medium denuntiabant, sed aut imperium atque honorem (— hic nihil opus erat addi condicionis; id enim ipsum offerentes veniebant —) aut, quoties resistere conaretur (quod sæpius eum fecisse verbo frequentativo et coniunctivo modo sententiæ temporalis significatur), mortem, ni sequeretur. Nihil rectius aut apertius. Is quoque erravit, qui Hertzio persuasit, ut oppressum tanquam spurium notaret. Somno gravem (155)
oppresserunt et in castra pertraxerunt. Ante omnia quieta mente accedendum est ad locos in suspicionem vocatos.[1])

Cap. 40, 2 et 3 (in eadem narratione): Itaque iam duces, iam milites utrinque congressus quærere

---

[1]) Eiusdem capitis § 6, quoniam pro eo, quod in codicibus scribitur: nervos coniurationis eiectos arte consulis cernentes, a recentioribus (Bekkero, Weissenbornio, Hertzio) adnotatur Puteani coniectura exsectos, omittitur Gebhardi et Gronovii, qua uno tantum litteræ ductu longius tracto (l pro i) fit electos, dicam in transcursu, hanc veram et certam esse. Nam præter Lucilii testimonium, versus modulo firmum, qui et exsecare et elidere excludit, apud Ciceronem non solum in Tusc. III, 34, 83 codex Parisinus aperte habet: stirpes ægritudinis — eligendæ sunt, sed et de Divin. II, 72, 149, ubi in codd. est (stirpes) eiiciendæ, multo facilius fit eligendæ (nam eligere et eiicere sæpissime confunduntur) quam excidendæ aut elidendæ, et orat. II de leg. agr. 33, 91, ubi editur: nervis — exsectis, in codicibus scribitur, ut hic, eiectis, hoc est, electis. Est igitur in his locis eligere id, quod Germanice ausrupfen, auszupfen dicitur, quomodo Varro et Columella herbas, gramina eligere dixerunt. Aliud est, etsi cognatum, nervos incidere, elidere (νεῦρα ἐκτέμνειν, νευροκοπεῖν). Cum nervis eiectis pravissime comparantur aculei (alicui) excussi. [Advers. Crit. II p. 205.]

ad colloquia; Quinctius, quem armorum etiam pro patria satietas teneret, nedum adversus patriam, Corvinus omnes caritate cives, præcipue milites et ante alios suum exercitum complexus, ad colloquium processit. Cognito ei extemplo — silentium datum. Hæc non recte habere et apparet et fuerunt qui animadverterent. Ita enim a Livio Quinctius et Corvinus componuntur, diligenter exæquata orationis forma, ita in utroque ea commemorantur, propter quæ concordiæ conciliandæ conatus ab iis exspectari potuerit, eminente etiam in priore parte (de Quinctio) in ipso verbi modo (teneret)
(156) causæ significatione, ut necessario communiter aliquid de utroque dici debeat nec possit ullo modo sententia claudi singularis numeri verbo ad unum Corvinum accommodato: ad colloquium processit. Nam ad hunc unum hoc pertinere ostendunt, quæ subiiciuntur: Cognito ei extemplo cet. Sed faciliore remedio, quam credas, res expeditur; nam Quinctii et Corvini nomina appositione adiunguntur ad id, quod præcessit, duces, etsi huic Livius addidit iam milites; hoc enim obscurato ad dignitate præstantius reliqua accommodatur oratio (multo facilius quam, ut hoc utar, in Horatiano illo: ego meique vescor): Itaque iam duces, iam milites utrinque congressus quærere ad colloquia, Quinctius, quem —, Corvinus omnes — complexus. Deinde ad orationem vinciendam et ab utroque ad alterum traducendam addendum est, quod post complexus excidit, is pronomen: Is ad colloquium processit. Cognito ei cet. (X, 1, 9 recte is excidisse creditur post Bubulcus.) Unum tamen restat; neque enim Livius dixit congressus quærere ad colloquia (— dixisset saltem, si quid addendum ad congressus definiendos putaret, ad colloquendum —), sed ac colloquia, ut est in L1, etsi in codice archetypo alterum iam fuisse credo, eodem modo natum, quo IV, 34, 4 ab equite ad centurionem, quum c semel scriptum

esset, quod bis oportebat. Eodem capite § 9 et 10 (in oratione Valerii Corvini) sic scribitur: Eodem tenore duo insequentes consulatus gessi, eodem hæc imperiosa dictatura geretur, ut neque in hos meos et patriæ meæ milites mitior quam in vos (horreo dicere) hostes. Ergo vos prius in me strinxeritis ferrum quam in vos ego. Vitiosum esse ut, vitiosam esse in his: neque in hos — mitior verbi omissionem, alii iam viderunt, neque ulla est anacoluthi excusatio, quoniam nec ubi nec cur deflectat oratio apparet, nec alia substituitur, in quam exeat, forma. Sed vitiosa est etiam particula ergo; neque enim argumentum concluditur, sed confirmatur, quod de clementia Corvinus dixit, et uberius decla- (157)
ratur. Ex ea autem particula una littera detracta, eruetur id, quod desideramus, verbum, sublato simul ut, quod Heusinger tolli voluit quodque ex extrema syllaba verbi geretur ortum est: Eodem tenore — hæc imperiosa dictatura geretur; neque in hos meos et patriæ meæ milites mitior quam in vos (horreo dicere) hostes ero. Vos prius in me cet.

Cap. 41, 4: additumque legi, ne quis, ubi tr. mil. fuisset, postea ordinum ductor esset. Videndum, ne pro ubi scribi debeat qui; nam ubi in hac orationis forma insolens est. (1861.)

Lib. VIII.

Cap. 2, 5 (postquam de foedere inter Romanos et Samnites icto narratum est): Samnites copiis iisdem, quibus usi adversus Romanum bellum fuerant, contra Sidicinos profecti cet. Nullis Samnites adversus Romanos usos esse copiis, Livius paulo ante (c. 1) apertissimis verbis dixit (non castra Samnitium, non legiones usquam oppositæ); pacem Samnites per legatos et a consule et a senatu petisse. Habuerant tamen exercitum paratum, quo, si pax negata esset, uterentur. Itaque

valde suspicor, Livium scripsisse: quibus **usuri** adversus Romanum bellum fuerant. Etiam in Vindobonensi Livii codice aliquoties pro longiore futuri participii forma breviorem perfecti substitutam esse, commemorabo ad XLII, 25, 4.[1])

Cap. 4, 3 (in oratione Annii Setini prætoris apud La-
(158) tinos): Sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos, si foedus est, si societas æquatio iuris est, si consanguineos nos Romanorum esse, quod olim pudebat, nunc gloriari licet, si socialis illis exercitus is est, quo adiuncto duplicent vires suas, quem secernere ab se consules bellis propriis ponendis sumendisque nolint, cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis consul datur; ubi pars virium, ibi et imperii pars est? Duo in his menda sunt. Prius arguit iam dissensus interpretantium; nam alii sic, ut ego descripsi, verba interpungunt: si societas æquatio iuris est, manifesto recte; nam id ipsum agi Annius dicit, foedus et societas, quam cum Romanis Latini habeant, sitne reapse, quod is postulat, iuris æquatio, ut Latini Romanique æquo iure sint. Atqui tum prorsus prave foedus et societas divelluntur et per se hoc ponitur: si foedus est, quasi hoc de foedere omnino dubium sit, contra societatis tantum vis et significatio quæratur. Alii autem sic interpungunt: si foedus est, si societas, æquatio iuris est; in quo primum necessario

---

[1]) § 10 vera est Dukeri, cautissimi hominis, coniectura reponentis: ut satis ducerent Romani victoriam Samnitibus — eripuisse pro eo, quod in codicibus est: — victoriam, quam Samnitibus — eripuissent; nam neque satis duco victoriam Latinum est neque ullam victoriam Romani ipsi habebant, qua contenti essent, sed victoriæ ereptionem. Satis iis esse Samnites volebant effecisse, ne Samnites vincerent; non postulare debere, ut etiam vincerentur. Memorabile hoc est exemplum erroris (eripuissent) in cod. archetypo interpolando occultati.

repeti si coniunctio etiam tertio loco debebat et propter ipsam anaphoræ figuram et vitandæ summæ ambiguitatis vel potius perversitatis causa; deinde cum foedere et societate, quæ constabat esse, sed de quorum vera natura certabatur (ex quo fit, ut et in hac et in superiore interpunctione perversum sit illud: si foedus est), cum his, inquam, non poterat tanquam tertium id coniungi, quod ipsum, quærebatur, inessetne in illo foederis nomine necne. Itaque una detracta vocula, quæ addita est, ne si coniunctio verbo careret scilicet, scribendum est: si foedus, si societas æquatio iuris est. (Gronovius argumentationem Annii non perspexit; in illa, quam is efficere volebat, sententia scribendum erat: si æqui iuris foedus ac societas est, non æquati.)[1] Paulo occultius scriptura, ipsa re prope manifestius est alterum mendum. Quo enim spectat illa consulum mentio, superposita ipsi Romanorum mentioni (si socialis illis exercitus is est)? Soline consules, non omnes Romani secernere a se socialem exer- (159) citum nolebant? Et quid hoc est, consules secernere socios bellis propriis sumendis ponendisque? Erantne ulla consulum propria bella? Aut si consules pro Romanis nominari putamus, Romani propria bella non sumebant ponebantque? Omnino hoc de propriis bellis sumendis ponendisque necessario ad eos pertinet, qui hactenus alteros (Romanos) secuti nulla ipsi suo arbitrio propria bella gesserant. Scripserat Livius: si socialis illis exercitus is est, — quem secernere ab se (Romanis) **consilia** bellis propriis sumendis ponendisque nolint. Ea demum vera est sententia, non placiturum Romanis, si Latini sua consilia ab illis secernant et suo arbitrio bella gerant. (Cfr. II, 53, 5 et de verborum usu IV, 57, 3: secernere

[1]) [Multo minus per se pro condicione poni potest: si æquatio iuris est. Si ea iam fuisset, nihil Latini ultra quærerent. Latine hoc significatu diceretur: si æquatum ius est.]

sua a publicis consilia.) [Eodem errore VIII, 13, 3 in P pro consiliis scribitur consulibus.][1])

Cap. 7, 20 et 21: Exanimati omnes tam atroci imperio — metu magis quam modestia quievere. Itaque velut emerso ab admiratione animo, quum silentio defixi stetissent, repente, postquam cervice cæsa fusus est cruor, tum libero conquestu coortæ voces sunt, ut cet. Prave adverbio itaque proxime subiicitur non id, quod consequens superiori est, sed in contrarium conversio (emersus animus e stupore), et hæc ipsa conversionis significatio interpositis, quæ ad superiorem animi habitum pertinent: — quum — stetissent, divellitur ab ea voce, a qua ipsa conversionis significatio incipere debebat, repente. Una littera sublata, ut scribatur velut **merso** ab admiratione animo, primum describuntur animi admiratione et metu oppressi, tum repente facta mutatio. Ab admiratione Liviano usu dicitur de affectu animi aliquid efficiente (ab ira, ab odio, ab invidia) pro solo ablativo. (1861.) [Senserat difficultatem Creverius.]

De cap. 8, quod tanto opere interpretes institutorumque Romanorum enarratores exercuit, nihil est fere, quod hoc loco dicam; neque enim tam verborum emendatione eget quam aperta et simplici declaratione, qua ratione Livius, quem a veterum institutorum et perscrutatione diligenti et intellegentia longe remotum fuisse novimus et in huiusmodi rebus explicandis magis colorem quendam vetustatis, summis rerum perleviter delibatis, captasse quam perspicuam cer-

---

[1]) § 10 recte A. Perizonius tolli voluit eo, pravo casu additum ante quod (vid. prooem. p. 14 ima); accusativus enim poni debebat ad usurpate, quod absolute dici nequit. Nec, quid postulent Latini, agitur, sed ut id, quod tacite concedatur, usurpent postulando. [Cap. 5, 3 fortasse tollendum est nunc post benignitate, retractum huc ex inferiore loco: nunc etiam Volscis. Nam et vitiose hæc cumulantur: Tempus erat — iam —, quum — nunc — videretis, et incommode, hoc præcedente, deinde subiungitur nunc etiam in notando novo gradu. 1861.]

tamque imaginem aut animo ipsum finxisse aut scribendo expressisse, in ea inciderit, quæ codicum consensus et orationis tenor per se bonus et incorruptus eum scripsisse demonstrant.[1]) Extra ipsam rerum explicationem pauca

[1]) Primum igitur manipulatim structam aciem et ordines instructos tanquam duo et diversa separavit, quum centurias et ordines in manipulos conflatos legisset; deinde centurias (ordines) et manipulos parum distinxit; centuriarum enim numero militum posito (60), binos addidit centuriones, qui in manipulo erant (in centuriis singuli), manipulisque vicenos levis armaturæ milites adsignavit, quot in centuria fuisse Polybius scribit, nec cavit, quod Polybius diligenter facit, ut hi extra 60 hastatos principesque ipsos, qui in centuria essent, numerarentur; manipuli totius numerum ita omisit, ut cum centuriæ numero confudisse videatur. Una relinquitur in hac parte dubitatio, unde 15 manipulos hastatorum, 15 principum acceperit, ita ut ex 30, qui numerus manipulorum iam antiquissimæ legionis certus esse videtur, nulli triariis relinquantur. Numerum manipulorum totius legionis ad hastatos principesque nescio quo errore translatum (quod in triariis alia erat centuriæ ipsius et manipuli descriptio) inter eos divisisse videtur. Deinde autem in triariis describendis, in qua parte maxime laboratur, manifesto pro uno vexillo (manipulo) tria genera militum continenti, triarios ipsos, rorarios, accensos, substituit manipulum (quem ordinem vocavit) tria vexilla continentem et his tribus vexillis singulis plenum centuriæ numerum dedit. E Polybii descriptione intellegitur, eius ætate triariorum manipulos eundem habuisse numerum, qui in hastatis principibusque centuriarum esset, nisi quod velites etiam in triariis quadrageni essent, quot in hastatorum principumque manipulis (20 in centuriis). Duo sunt § 7 et 8 contra codices tollenda additamenta: primum, quod ante pilum ponitur (primum pilum librarii norant, pilum absolute de numero militum positum ignorabant), deinde, quod iam Lipsius et Gronovius intellexerunt, vexillum ante centum octoginta, additum, quum non animadverteretur, numeros ad ordinem pertinere; cetera, qualia in codicibus sunt, retinebimus: sub signis iam alii quindecim ordines locabantur, ex quibus ordo unusquisque tres partes habebat; (earum unamquamque pilum vocabant;) tribus ex vexillis constabat; centum octoginta sex homines erant cet. Levioris armaturæ militum Livius neque eorum, quos hastatis et principibus adiunctos velites appellat, neque eorum, quos triariis adscripsit, deinde in describendo pugnæ genere ullam rationem habet; accensos tamen in cap. 10 nominat.

tamen leviora attingenda. Nam § 4 vix *sexagenos milites, duos centuriones*, sed *binos* recitari voluisse videtur, quum nota fortasse scriberetur. (1861.) § 6 neque *prima frons in acie* (pro *aciei*) placet neque *frons in acie — habebat* (ut *in acie* cum verbo coniungatur) ferendum videtur, et aliud latere videtur ostendere codicum bonorum scriptura: Hæc *prima foris in aciem*. Aptissimum esset: Hæc *primæ frontis acies*; sed longius hoc a vestigiis traditæ scripturæ discedit. (1875.) Postremo § 11 inusitate ponitur *referebantur* de militibus retro cedentibus, suspicorque scriptum a Livio fuisse: *ad triarios* **se** *sensim* **referebant**, addito pronomine. (1875.) Sed ex-
(160) tremo capite, ubi redit Livius ad narrandum, fieri potest, ut errorem Livio antiquiorem nec in eius verbis situm
(161) attingam; sed suspicionem premere non licet. Quamquam enim incredibiliter confusa fabulis et augendis rebus permutandisque est omnis belli Latini et Campani historia (de quo satis h. l. erit argumenta requirentes ad ea ablegare, quæ Th. Mommsenius Hist. Rom. vol. I p. 358 ed. V exposuit), tamen nunquam animum inducere potui, ut in annalibus iis, quibus Livius usus est, traditum fuisse credam, pugnam eam, in qua P. Decius Mus devovisse se narratur, pugnatam esse *haud procul radicibus Vesuvii montis*; ipseque adeo Livius quid scripserit, dubitatio animo pulsa subinde recurrit; ceteros scriptores, Veseris, unde pugna appellatur, ubi fuerit, adeo nusquam significare notum est, ut, fluviine an oppidi id nomen fuerit, ignoretur. Ut enim omittam, fingi animo vix posse, qua via ac ratione Romani hoc tempore, contra Latinos Campanosque coniunctos bellum gerentes tam longe ad meridiem versus processerint in ea loca, quæ aliquot demum post annis (a. 327) Campanum agrum contra Neapolitanos tuentes attigisse videntur (Liv. VIII, 22), quum præsertim ad Capuam eos cum Samnitibus occurrisse congregato ibi Latinorum et Campanorum exercitui Livius ipse scribat (c. 6), —

ut hæc, inquam, omittam, in quibus antiquus subesse error potest, omnis Livii narratio proelium longius ad septentrionem confiniis Latii Campaniæque admovet, conveniens ei, quod rem ipsam spectanti probabile videri necesse est. Victos enim Latinos Minturnas se contulisse scribit (c. 10, 9), quæ ad Lirim sunt, a Vesuvio ad septentrionem et occiden- (162)
tem versus decem prope millia Germanica distantes, a Capua fere septem; Capuæ, quod proximum suberat a Vesuvio in Latium versus fugientibus receptaculum, nulla mentio; deinde (c. 11, 5) Latinis, qui proelio superfuerant, Vesciam receptaculum fuisse narrat, oppidum et ipsum Minturnis vicinum. Postremo Latinis bellum renovare conantibus Manlius ad Trifanum inter Minturnas et Sinuessas occurrit. Ex his indiciis mihi manifestum videtur, pugnam ad Veserim inter Minturnas Vesciamque et Capuam, sed illis oppidis propius, pugnatam esse, non ita longe ad meridiem a Gauro monte, ubi Valerius Corvus III consul Samnites vicit, magis tamen ad mare, Vesuviique nomen falso harum rerum narrationi admixtum esse, sive id ante Livium factum est sive ipse errore pro minus noto nomine hoc posuit sive denique in codicibus eius mendum ortum est. Huic tertiæ suspicioni obstat, quod nullum videtur esse paulo notius montis circa ea loca, quæ significavi, siti nomen, quod probabiliter substitui pro Vesuvii possit. Nam ex Vescino saltu, qui X, 21 appellatur, montem Vescinum efficere non audeo; Massici situs conveniret, nomen distat. Itaque librarios ne temere accusemus scrupulumque relinquamus.

Cap. 9, 7: precor, veneror, veniam peto feroque. Nihil esse veniam ferre (dis) praveque coniungi peto feroque, Dukerus intellexit; emendationem repperit Forchhammer, qui ex peto **oro**que ortum esse petoroque, tum male supplendo feroque vidit. (1861.) Deinde § 10 humanum visum pro humana specie non recte dici Gronovius intellexit; sed est aliud præterea mendi indicium;

neque enim Decium reapse humana specie augustiorem ab utraque acie conspectum Livius quasi testificans narraverat, sed, quæ species obiecta animis motis esset. Itaque primum oratio sic continuanda est: se in medios hostes immisit conspectus ab utraque acie (utraque acie inspectante). Iam sequitur necessario, ut in M (Lov. 4) scriptum est (visus, non visu) Gronoviusque altera coniectura præceperat: Aliquanto augustior humano visus (h. e. visus est), sicut cælo missus piaculum omnis deorum iræ, qui — ferret. Ita omnis terror pavorque cet. Ab ita novam periodum incipere, mani-
(163) festum est; neque enim ullo modo sicut missus (Decius) —, ita omnis terror cet. in unam sententiam recte conflari possunt. [Quod nuper humano habitu visus scriptum est, habitus nihil ad hanc rem pertinet. Sed non nego dubitationis aliquid habere humano pro homine positum; nam apud Ovidium Fast. II, 503 significatur Romulus, qualis inter homines fuit.] Postremo § 12 in significatione rei sæpius repetitæ et eius quod, quotiescunque repetita sit, consecutum sit, scribendum esse: quacumque — invectus **esset** (pro est), ibi — pavebant, intellexerunt Siesbyeus et Alanus.

Cap. 10, 3: qui (triarii Latini) aliquamdiu pugna atroci quum et semet ipsi fatigassent et hastas aut præfregissent aut hebetassent, pellerent vi tamen hostem, debellatum iam rati —, tum consul triariis, „Consurgite nunc“, inquit cet. Neque vi cur addatur, intellegitur, quasi atrox pugna sine vi esse possit, neque quid agat tamen; nam vehementi conatui effectus non contrarius est; addo, in tali asyndeto non potuisse tamen in tertium locum reiici, sed necessario ipsi verbo subiiciendum fuisse (pellerent tamen). Scripserat Livius: **pellerentque tandem** hostem. Tandem pro tamen restituendum ostendi etiam II, 42, 10. Eodem capite § 13 sic scribitur: Sin autem sese devovere volet, sicuti Decius devovit, ni moritur, neque suum neque

publicum divinum pure faciet, qui sese devoverit. Vulcano arma sive cui alii deo vovere volet, sive hostia sive quo alio volet, ius est. In his primum notatio illa personæ: qui sese devoverit, perverse et cum foeda tautologia (sin — sese devovere volet — qui sese devoverit) extremo loco adhæret, omnibus iam quasi de persona satis definita dictis; nec profecto dubium esse poterat, quin intellegeretur consul, dictator, prætor hostium legiones devovens. Sed vitiosius deinde in altera sententia illa adduntur: sive hostia sive quo alio volet; arma enim per se, neque hostia neque alio ullo adhibito, vovebantur; hostiæ mentio aliusve rei (velut turis, al.) ad rem divinam faciendam pertinet, non ad votum concipiendum. Accidit hoc loco, quod lib. XXII, 10, 3 itidem in vetusto carmine accidit (datum donum duit populus Romanus Quiritium) quodque in hoc ipso libro c. 31, 5 et 7 in MP Klock. et ex parte aliqua in edd. vett. (id est, opinor, in cod. arch.) factum esse ab omnibus intellectum est, ut verba quædam primum omissa deinde alieno loco reponerentur (cfr. prooem. p. 29). Livium enim scripsisse manifestum esse puto: (164)
ni moritur, neque suum neque publicum divinum pure faciet, **sive hostia sive quo alio volet.** Qui sese devoverit, Vulcano arma sive cui alii deo volet, ius est. Iam recta omnia sunt. Primum, qui se ipse devoverit (non alium pro se), si non moriatur, ab omni genere sacri faciendi arceri dicitur; deinde ab homine ipso ad arma transitur: Qui se (corpus suum dis inferis) devoverit, arma cui vovere velit, liberum relinquitur. Prorsus eiusdem generis traiectionem plurium verborum accidisse in tertiæ decadis codicibus (præter XXII, 10, 3) ostendetur ad XXX, 12, 3, in quartæ ad XXXVI, 34, 9 et 10, XL, 13, 1 et 2, in Vindob. ad XLIV, 44, 2. [Quod Weissenbornius veretur, ne sic pronomine qui novum subiectum et diversum significetur, non intellego. Livius

in eadem communi sese devoventis persona novi aliquid addit.][1])

Cap. 12, 14 sqq: (Q. Publilius Philo dictator) *tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati tulit,* — — —; *tertiam, ut alter utique ex plebe, cum* (quum) *eo ventum sit, ut utrumque plebeium fieri liceret, censor crearetur.* Sic scriptum habent codices boni malique, nisi quod Sigonius in suo codice esse tradidit, quod postea prope omnes, si Alschefskium et Hertzium excipias, tenuerunt: *ut utrumque plebeium consulem fieri liceret,* sive is suam coniecturam codici tribuit sive interpolatissimum omnium habuit. Addendum autem id vocabulum (*consulem*) censuit, quicunque primus addidit, quod de utroque censuræ loco plebeiis patefacto nihil apud Livium hactenus traditum est, de consulatu hoc concessum lege Genucia scripsit dubitans VII, 42; nam Alschefskium, *liceret* de eo, quod sine lege fieri posset, si plebs viribus suis uteretur, intellegentem, refutari nihil opus est (cfr. Becker, Röm. Alterth. II, 2 p. 191 not. extr.). Sed sive additur *consulem* sive non additur, totus locus perversus et nugatorius est et re et orationis forma. Cur enim omnino, quum tres leges enumerentur earumque argumentum
(165) breviter indicetur, in hac tertia lege causa latæ eius et acceptæ additur (et additur in medio legis argumento, quasi legis ipsius hæc pars sit), cuiusmodi nihil in prima et tertia lege significatur? Deinde nulla omnino hæc causa est; nam, si Sigonium sequimur, quod consulatus promiscue capi ab utriusque ordinis hominibus poterat, ad censuram nihil omnino pertinebat, sin codices, ne sic quidem apparet, cur, quod sublatum omne ordinis discrimen in censura danda esset, ob eam causam sanciendum fuerit, ut alter utique e plebe fieret. Tum, ut iam dixi, causæ illa significatio incommodissime sic interponitur, ut hæc: *ut alter*

---

[1]) De lacuna in proximo capite (11, 6) notanda dixi in prooemio p. 6.

utique ex plebe et censor crearetur dirimantur prorsus alius rei mentione, quæ aut præmittenda toti legis argumento aut postponenda fuerat. Postremo hoc quum eo ventum sit et verbi tempus pravum habet (pro ventum esset) et dicitur quasi a conquerente, eo usque rem perductam esse, quod saltem in lege fieri nequibat. Omnia hæc incommoda peperit genus loquendi paulo rarius, quum hoc primum loco apud Livium obiiceretur, non intellectum et ob eam causam additum interpretamentum prorsus falsum, quo e præpositione cum coniunctio facta est. Sic enim Livius scripserat duabus vocibus (ventum sit) minus: ut alter utique ex plebe, **cum eo, ut** utrumque plebeium fieri liceret, censor crearetur, hoc est, cum ea adiunctione et cautione, ut utrumque etiam censorem plebeium esse liceret. Ita enim alter censuræ locus proprius plebeiis dabatur, ut utroque ne excluderentur, quod idem prorsus de consulatu sancitum erat, etsi reapse duos plebeios consules multo demum post creatos scimus. Sed quod in consulatu duabus legibus effectum erat, id in censura, longius iam progressis plebis opibus, una comprehensum est. Iam recte hæc illo loco interponuntur ad eandem rem et sententiam pertinentia; idem enim sic scribi poterat: ut alter utique e plebe, si autem quo anno ita cecidisset placuissetque, uterque censor crearetur. Cum eo ut hac significatione in rei condicione accuratius definienda Livius loco propinquo, c. 14, bis dixit (§ 2 cum eo, ut ædes — esset, § 8 cum eo, ut Antiatibus permitteretur) et duobus præterea locis (XXX, 10, (166) 21, XXXVI, 5, 3).[1])

---

[1]) [Cap. 14, 6 quod Lachmannus ex eo, quod in codicibus est: ad mille passum, effecit ad mille pondo assum (assium), iniuria negavi p pro pondo scripti vestigia reperiri in Livii codicibus; nam sic scribitur in Bamberg. XXXII, 27, 1, in Vind. XLV, 44, 14. Inusitate tamen pondo assium dicitur; itaque dubitanter edidi: ad mille assium.]

Cap. 13, 2 scribendum videtur: Iam **in** Latio is status erat rerum pro Iam Latio. Nam Romanis, Etruriæ hic status est rerum pro eo, quod est: Apud Romanos, in Etruria, non magis dicitur quam Latium eum statum rerum habere. (1861.)

Cap. 15, 8 Minucia Vestalis, si codices cum Weissenbornio sequimur, dicitur viva sub terram ad portam Collinam dextra viam stratam defossa Scelerato campo. Sed dextra et sinistra pro præpositionibus cum accusativo Vitruvius inter multa alia nova ac plebeia sæpius dixit (quod olim oblitus eram); qui ex ceteris scriptoribus dixerit, quum frequentissima sic dicendi occasio esset, non reperitur; nam qui duo proferuntur loci, manifesto corrupti sunt, alter Ælii Galli apud Festum (v. petrarum, p. 206 Muell.), quem sic Muellerus scribit: petra est, qui locus dextra ac sinistra fornicem expletur usque ad libramentum summi fornicis. Non expletur locus nescio qua re, sed fornicem **explet** usque ad libr. s. f. Alter eiusdem Ælii Galli est apud Gellium in libro XVI, 5 init., ubi vestibulum definitur locus ante ianuam, per quem aditus est in ædes, quum dextra sinistraque ianuam tectaque (codd. quæ) sunt viæ iuncta atque ipsa ianua procul a via est. Perversissime ianua, quæ dextra sinistraque cingitur tectis, cum tectis ita coniungitur, ut plane desit subiectum eiusque rei significatio, quæ dextra sinistraque ianuæ tectisque sit. Senserat iam Iac. Gronovius, tecta subiectum esse et verbum deesse, quod ianuam regeret; id verbum videtur subesse in quæ sunt: quum dextra sinistraque ianuam tecta **sæpiunt** cet. Itaque Livium aliter scripsisse censeo. Nihilo tamen melius est, quod vulgo editur: dextra via strata, quasi in ipsius viæ stratæ dextra parte defossa virgo sit; id enim verba significant, nisi in dextra e duabus viis stratis intellegere malis. Manifestum est, vitatum esse in virgine defodienda saxorum, quibus via strata erat, aggerem,

eaque una est causa, cur via strata dicatur, non via (ad dextram viæ). Una littera detracta fit, quod Livius posuerat: **extra** viam stratam.[1])

Cap. 16, 12 et 13: Dictatore comitia habente consules creati sunt T. Veturius, Sp. Postumius. Etsi belli pars cum Sidicinis restabat, tamen — rettulerunt. Ante et (etsi) excidit, quod abesse nequit, pronomen: **Ei**, etsi —, rettulerunt. Vid. quæ de IV, 48, 1 adnotata sunt. (1861.)

Cap. 18, 12: Itaque memoria ex annalibus re- (167)
petita, in secessionibus quondam plebis clavum ab dictatore fixum, alienatasque discordia mentes hominum eo piaculo compotes sui fecisse, dictatorem clavi figendi causa creari placuit. Quid requireretur ad orationis formam, sensit solito prudentior Alschefskius, qui factas esse in codicibus inveniri mallet. Weissenbornius tamen, ut ceteri, dictatorem audit, hac structura: ab dictatore clavum fixum et — fecisse (dictatorem), in quam Livium in tam facili et brevi sententia incidere potuisse prorsus nego. Neque satis ex antiquorum hominum Liviique opinione ipse dictator mentes sui compotes fecisse dicitur, quæ facto piaculo sive divino numine sive obscura naturæ vi convaluisse putabantur. Pro fecisse a Livio huiusmodi aliquod verbum positum suspicor, quale est conquievisse. [Recte Creverius et nuper Seyffertus fuisse, hoc est, factas esse, cfr. XXXIV, 21, 7.][2])

---

[1]) Paulo ante (§ 4) vitiosum est, quod legitur: Suessam communisse, quæ nunc Aurunca appellata; nam **nunc** appellata est pro appellatur dici non poterat; rectum esset: quæ post A. appellata est aut, ut c. 19, 4, quæ, Auruncis receptis, A. appellata. Recte, ut videtur, in Lov. 4 scribitur e coniectura appellatur.

[2]) De c. 18, 7 dixi in prooemio p. 27 not. C. 20, 7 scribendum esse in carcere asservari, non in carcerem ass., verbo monuisse satis est. (1861.)

Cap. 23, 1 et 2. Hunc locum, ut illum, de quo paulo ante admonui, VII, 39, 14, quum primum recte editus esset, qualis in bonis codicibus exstat, postea editores corruperunt, deteriorum erroribus decepti. Livius senatum ab utroque consule (a. 327 a. Chr.) certiorem factum scribit, Samnites bellum moliri. *Publilius* (is in meridiana Campania erat, Palæpolitanos bello coerciturus), *duo millia Nolanorum militum et quattuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus quam voluntate Græcorum recepta Palæpoli* (M *Palæpolim*), *miserat* (id est, missis litteris nuntiaverat); *Romæ* (per alterum consulem, L. Cornelium, qui Samnitibus opponendus etiam tum in urbe restiterat) *compertum, dilectum indictum a magistratibus, universumque Samnium erectum* cet. Sic enim est in MPHl, aliis (Lov. 4, Haverc., fragm. Hav.). Videat nunc mihi aliquis, quam belle hæc interpolata sint;
(168) alii enim scripserunt: *miserat Romam compertum* (barbare; neque enim *compertum mittere* dicitur); *Cornelius dilectum* cet., addito nomine, cuius ne minimum quidem vestigium in bonis codicibus est (nisi quod Drakenborchius Ll interpolatis adiungit), alii autem: *miserat*; *Cornelius dilectum* cet., detractis, ut Cornelii nomini locus fieret, duabus vocibus, quæ sine ulla varietate perscribuntur etiam in deterioribus codicibus, uno et altero pessimo excepto. Sed maior in hoc capite res commemoranda est, quam breviter significavi in prooemio p. 26 ima. Nam § 10 e medio legatorum Romanorum ex urbe missorum cum Samnitibus colloquio, ubi, posito Romanorum ad Samnitium provocationem responso, exspectamus, ut primum, quid deinde dictum quisve finis colloquii fuerit, tum bellum indictum et geri coeptum narretur, subito mirabundi ad Publilium consulem Palæpolitanis oppositum et rem iam ab eo gestam transferimur, hoc narrationis tenore: *Legati Romanorum quum se non, quo hostis vocasset, sed quo imperatores sui duxissent, ituros esse respon-*

dissent, iam Publilius inter Palæpolim Neapo-
limque loco opportuno capto diremerat hostibus
societatem auxilii mutui. Quid potest perversius cogi-
tari quam non, quo tempore colloquium legatorum habitum
sit, alibi aliquid iam gestum narrari, sed quo tempore in
illo colloquio ad superba Samnitium verba statim iacta
respondissent aliquid Romani? Senserat hoc pravum esse
vetus quidam editor, qui primus, ut rerum non cohæren-
tium ineptissimam copulationem tolleret et finem aliquem
colloquii narrationi imponeret, sic locum interpolavit (quam
interpolationem Drakenborchius in multis veterum editio-
num esse dicit), non sane eleganter nec cum magno fructu:
Legati Romanorum **tum** se — ituros esse **respon-
derunt.** Iam Publilius cet. Ex ceteris editoribus unus
Weissenbornius valde duram esse narrationis continuatio-
nem adnotavit. Nemo igitur animadvertit, lacunam hic esse
non paucorum verborum, sed quæ colloquii illius finiti,
belli Samnitibus indicti, Palæpolis denique obsideri coeptæ
et in periculum adductæ narrationem hauserit; nam c. 22,
8 populum bellum Palæpolitanis iussisse legimus, hic Pu- (169)
blilium habemus iam imminentem hostium muris cum
spe capiendæ in dies urbis. Atque hoc quum sponte
intellexissem ita esse, codex omnium optimus, Mediceus,
manifesto et haud dubio indicio rem confirmavit; nam in
eo, omissis verbis ituros esse respondissent, sic verba
sine ulla nota continuantur: quo imperatores sui dux-
issent iam Publilius; in margine manus recentior ad-
scripsit ituros se respondissent. Quid ergo est? In
codice archetypo folium interciderat, in quo et extrema
pars periodi a verbis Legati Romanorum quum inci-
pientis et reliqua, quæ desiderari dixi, perscripta erant; ad
orationis hiatum utcunque occultandum tria illa verba in
codicis Medicei (et fortasse iam in ipsius archetypi, facto
folii damno) margine adnotata sunt, in codice autem P et
ceteris in ipsam orationem recepta. In tristi invento (ad

quod alterum simile in libro IX c. 39, 4 adiungitur) hoc saltem est boni, quod hic quoque cognoscitur, quantum ceteris codicibus etiam auctoritate proximis M præstet.[1])

Cap. 24, 7 (ubi Alexandri Epirotæ interitus narratur): Imbres continui campis omnibus inundantes quum interclusissent trifariam exercitum cet. Arnum fluvium inundasse, hoc est, ripas transgressum stagnasse (inundationem fecisse), Livius absolute dixit XXII, 2, 2; campis inundare pro eo, quod est campos inundare (quod (170) bis aut sæpius apud ipsum legitur), non erat dicturus, nedum imbres eosque continuos campis inundare diceret, alia addita pravitate, quasi scribas Germanice: die fortwährenden Regenschauer stehen auf den Feldern; nam imbres in cælo et aëre sunt, in campis aquæ. Corrigendi mendi viam cod. M ostendit, in quo est inundates. Scribi debet: campis omnibus inundatis. (Agri inundati XXXV, 21, 6.)[2])

Cap. 25, 5 de Palæpolitanis et Neapolitanis, quibus Q. Publilius diremerat societatem mutui auxilii (c. 23, 10), sic scribitur: Intersæptis munimentis hostium

---

[1]) Eodem cap. § 15 restituendum necessario, quod usque ad Alschefskium editum est (confirmantibus PH1, deterioribus plerisque) scriptum esse, pro quo nunc editur scriptum esset (ML1, Lov. 2, 4, fragm. Haverc.). Tria tribuni ad augurum decretum in suspicionem et crimen vocandum afferebant, quod per se omnino difficile fuisset vitium huiusmodi nosci, quod consul nihil de ea re scripsisset, quod nemo alius testis esset. Nosci ad ipsam in observando animadversionem pertinet, non ad rem auguribus indicatam; alioquin scribendum fuisset etiam: nec quisquam mortalium exstaret cet.

[2]) Eodem capite § 4, ubi editur: quum sæpe Bruttias Lucanasque legiones fudisset, Heracleam, Tarentinorum coloniam, Consentiam (hoc om. M) ex Lucanis Sipontumque, Bruttiorum Terinam (M Acrentinam, PL1H1 Klock. Aceriam), confusionis aliquid esse in nominibus apparet; correctio incerta est; fortasse scribendum: Heracleam, Tar. col., ex Lucanis Metapontumque, Consentiam Bruttiorum ac Terinam. (1861.)

pars parti abscisa erat. Sed quamquam diligenter ad eam, quam soleo appellare, significationis conversionem in verbis attendi (cfr., quæ dixi ad V, 46, 9), nihil tamen huic simile repperi, quod mumimenta, quibus aliquid intersæpitur, ipsa intersæpiri dicuntur, Liviumque scripsisse opinor: **Intersæpti** munimentis, id autem a librariis mutatum esse, minime rara hac totius et partium copulatione (Intersæpti — pars parti) offensis. (1875.)

Cap. 28, 2: L. Papirius is fuit; cui quum se C. Publilius — nexum dedisset, quæ ætas formaque misericordiam elicere poterat (scr. cum Lov. 4 poterant), ad libidinem et contumeliam animum accenderunt; [ut] florem ætatis eius fructum adventicium crediti ratus primo pellicere adolescentem sermone incesto est conatus cet. Notavi vocem, quæ tollenda est, orta ex ultimis litteris verbi accenderunt (quemadmodum IV, 2, 4). Ut ratus pro ratus (ut qui putaret) Latinum non est; superiores editores (ante Alschefskium) substituerant et; sed multo rectius sine particula narratio singulorum universæ rei significationi (ad libid. — animum accenderunt) adiungitur.

Cap. 29, 13: Postremo (D. Iunius Brutus consul a. 325 a. Chr. bellum in Vestinis gerens) oppida quoque vi expugnare adortus, primo Cutinam ingenti ardore militum aut vulnerum ira, quod haud fere quisquam integer proelio (paulo ante facto) excesserat, scalis cepit. Mira est hæc compositio ac diiunctio (ardore militum aut vulnerum ira), quasi dubitari possit, utrum fuerit, et quasi vulnerum ira a militibus seiuncta sit; mirum, ingenti vulnerum ira capi urbem. Perspicuum est, urbem scalis captam dici ingenti militum ardore, eum autem ardorem ex vulnerum ira ortum. Itaque scripserat Livius: ingenti ardore militum a vulnerum ira, suo illo præpositionis ab usu, quo de causa et origine ponitur. Simillime dixit XXIV, 30, 1: Marcellus — tanto

ardore militum est usus ab ira inter condiciones pacis interfectæ stationis, ut —. Ex auulnerum facile ortum est autuulnerum.

Cap. 32, 3 (in oratione L. Papirii): Quæro —, quum summum imperium dictatoris sit, pareantque ei consules —, prætores —, æquum censeas necne, magistrum equitum dicto audientem esse. Iure Kochius in postremis his verbis dativum requisivit; id enim ipsum agitur, eidemne, cui ceteri, etiam magister equitum parere debeat. Sed dictatori addere et violentum est nec ad formam orationis apta nominis ipsius repetitio. Videtur fuisse: necne, **ei** magistrum cet. (1875.)

(171) Cap. 33, 17, ubi refertur oratio M. Fabii pro filio, magistro equitum, in his verbis: Nam populi quidem, penes quem potestas omnium rerum esset, ne iram quidem unquam atrociorem fuisse in eos, qui temeritate atque inscitia exercitus amisissent, quam ut pecunia eos multaret, manifestum est sententiæ vitium. Huiusmodi enim gradatio est, ut a singulorum (Quinctii Cincinnati, M. Furii Camilli) in ira exercenda moderatione perveniatur ad populi clementiam, a quo, quum omnia possit, gravior violentia exspectari possit. Itaque recte ne is quidem ultra modum sæviisse dici potest (ne populi quidem iram cet.). Nam populi quidem sic demum recte poni potest, si aut nihil tale de eo quisquam suspicari posse dicitur aut exspectatio in eo prorsus decipi (aut hoc modo: nam populum quidem — ab omni ira abhorrrre, aut hoc, translata simul alio gradatione: nam populi quidem iram ne in eos quidem, qui temeritate exercitus amisissent, non minus aliquid deliquissent, atrocem fuisse). In ira, de cuius moderatione omnis oratio est, nulla significari gradatio potest, nisi forte hæc alicui placet sententia, populi ne iram quidem, nedum gratiam aut humanitatem sæviisse. Sed temerarium videtur suspicari, Livium scripsisse: Ne populi quidem — iram unquam

atrociorem fuisse, deinde, quum errore pro ne positum esset nam, ad sententiam utcunque negatione resarciendam scriptum esse: ne iram quidem. Itaque relinquo, quod codices habent, Liviumque aberrasse sententia puto; pravam sententiam non esse, non assentior ne amicissimo quidem homini. (1861.)

Cap. 34, 9 (in oratione L. Papirii): quum — milites — immemores sacramenti licentia sola se, ubi velint, exauctorent. Sic, quemadmodum vulgo editur, in M scriptum est, nec magni momenti esse videntur, quæ in reliquis codicibus variant (P, Klock., alii sola ubi, omisso (172) se, L1H1 alii solauase ubi). Sed non placet licentia sola se exauctorare, sive modum sive causam interpretere (mit blosser Zügellosigkeit aut: aus blosser Z.); fuitne licentia soluta? [Nihil huc pertinet II, 3, 4: periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentia vivere.][1])

---

[1]) Eodem cap. § 5 prorsus prava est particula vetans (Maiestas imperii perpetua ne esset, non esse in sua potestate); sic enim dicitur, quasi Papirius cupiat efficere posse, ne perpetua sit maiestas imperii; interrogativa (— perpetuane —), ut esset sit futura esset, dura, sed ferenda; cfr. c. 13, 14: ut, sit Latium deinde an non sit, in vestra manu (di) posuerint, II, 55, 9, XXX, 32, 2. Nam paulo alia eorum locorum ratio est, in quibus eiusdem personæ actio significatur, ut XXXIX, 53, 6: ipse vix sui arbitrii fore, quem heredem regni relinqueret, credens. In § 6 certa est Dukeri emendatio (in se potissimum dictatore ius dictaturæ exstinguat; de exstinguendo Papirio dictatore nemo cogitabat). In § 3 probabilis est Douiatii coniectura de tollentis; [nam cum faciles minus apte coniungitur, quod non item ad comes trahi potest]. Cap. 35, 10 codicum auctoritate prope nulla (recentiorum et paucorum), sententia et grammatica ratione summa vi cogente scribendum est: Forte ita eo anno evenit, ut, quotiescunque dictator ab exercitu **recessisset** (pro recessit), hostes in Samnio moverentur. Ne recta quidem oratione Livius perfecto usus esset. Nam quoties recessi, fit aliquid; fiebat (factum est) aliquid, quoties recesseram vel magis Liviano usu recessissem.

Cap. 36, 4 debellari cum Samnitibus potuisse Livius iudicat, si L. Papirii consilia favor subsecutus militum foret: ita instruxit aciem loco ac subsidiis, ita omni arte bellica firmavit. Hæret hic animo scrupulus; nam instruere aciem subsidiis nihil aliud videtur significare posse nisi: die Schlachtordnung mit einer Reserve versehen, etsi non dicitur ita, sed firmare subsidiis (ut statim IX, 17, 15 et supra IV, 37, 8 et 40, 6), quia subsidia ab acie separata sunt; loco autem instruere neque dici ea significatione potest et perit ipsius aciei bene instructæ et dispositæ laus, quæ omitti non debet. Itaque vellem scriptum esset: ita instruxit aciem, **ita** loco ac subsidiis, ita omni arte bellica firmavit. Codices nihil adiuvant. Poterat fortasse etiam commode dici: Ita instruxit aciem loco, ita subsidiis, ita omni arte
(173) bellica firmavit. Nam locus apte delectus cum ipsa aciei structura coniunctus est. Paulo post (§ 7) mirum est, edi etiam nunc: Rem per se popularem ita dexter egit, quum geminata littera scribendum esse dextere egit iam emendator aliquis recentioris codicis intellexerit (Portug. et fragm. Haverc.). Quum per se Livianum non est adiectivum in hac orationis forma, tum in hac comparatione rei ipsius (popularem) et modi agendi intolerabile. (IX, 12, 1 recte nunc editur deinde evenerunt; in archetypo fuit deinde venerunt.)

Cap. 38, 15 (in verbis A. Cornelii Arvinæ dictatoris, quibus M. Fabium, mag. equit., iubet cum equitatu hostium equites impedimenta Romanorum diripiendo dissipatos aggredi): raros equis insidentes, raros, quibus ferrum in manu sit, invenies; equosque dum præda onerant, cæde inermes, cruentamque illis prædam redde. Ferri plane nequit hæc ad rei statum expositum imperii et adhortationis inde ductæ per particulam que adiunctio (invenies, equosque — cæde); nec minus perverse omne orationis pondus in equorum nomen in-

cumbit, coniunctioni præpositum; nam si in contrariis luderetur, quod inepte sane fieret in re gravissima, dicendum erat: equosque dum onerant, ipsos cæde. Recta omnia erunt geminatis duabus litteris: — invenies; se equosque dum præda onerant, cæde cet. Recte iam in ipso sententiæ initio admonetur Fabius, non minus equites ipsos quam equos onerari et impediri.[1])

Lib. IX. (174)

Cap. 3, 3 (in sermonibus et querelis militum Furculis Caudinis inclusorum) recte in codice recenti et interpolato, Gærtneriano, scribitur: Dum hæc imminebunt iuga, qua tu ad hostem venias? pro venies. Neque enim, qui loquens inducitur, vere ex altero hoc quærit, sed ficta communi persona interrogando ad hostem veniri posse negat, eadem sententia, qua hæc dicit: Quo aut qua eamus? Certa est in hoc genere sermonis lex. (Gr. Lat. § 370, Bemerkungen über einige Punkte der Lat. Sprachlehre p. 73.) [Adv. Crit. II p. 547.][2])

---

[1]) In proximis verbis (cap. 39, 1) scire velim, dicaturne Latine: acies, qualis quæ esse instructissima potest; exspectabam enim: qualis esse instructissima potest, ut dicitur: quanta esse maxima potest. Longe enim aliter dicitur: tam instructa quam quæ instructissima; nec hæ formæ facile confundi poterant. Hæsit etiam Weissenbornius. Cap. 40, 4 non puto recte dici: familia ad se quæque — trahunt. Recte enim quisque (pro se quisque, cet.) appositione adiungitur ad subiectum pluralis numeri sive expressum sive ex superiore oratione auditum et in verbo latens, ut et communis omnium et uniuscuiusque actio comprehendatur (quo pertinent exempla a Drakenborchio ad II, 22, 7 laudata; etsi quid notius aut pervagatius est?), sed familia quæque trahunt et naturæ vocabuli quisque et sermonis legi repugnare videtur nec exemplo ullo defendi. Recte in tribus codicibus recentibus scribitur coniectura: familiæ ad se quæque — trahunt.

[2]) [Libet exemplo ostendere, quemadmodum redarguar. Adscribit Weissenbornius Cic. Parad. 26, ubi Cicero certum, quocum colloquatur, hominem induxit (§ 23: Sed tamen quæro ex te), de Or,

Cap. 6, 6: Confestim insignia sua consulibus, fasces, lictores, arma, equos, vestimenta, commeatus militibus benigne (Campani) mittunt. Vitiosissime hæc sic scripta sunt, tanquam fasces et lictores militibus missi sint; neque enim hæc duo nomina ulla modo a reliquis accusativis divelli possunt, præsertim sine copula (fasces lictoresque) posita et in utraque serie accusativos subsequentibus dativis (ins. sua consulibus, arma — militibus). Accedit, quod nemo magistratus Romanus lictores peregrinos accepturus erat. Sed quod Forchhammero et Hertzio tollere fasces, lictores in mentem venit, requiro additamenti causam. Et subest remedium multo facilius; scribendum est enim: insignia sua consulibus, fasces **lictoribus**, arma — militibus — mittunt. Fasces Samnites ademerant lictoribus a consulibus abire iussis (c. 5, 13). Ipsos lictores non magis quam ceteros retinuerant aut consules aut tribunos aut milites. (1875.) Sequitur § 12 (in Campanorum iuvenum de militibus Romanis a Furculis Caudinis redeuntibus narratione): iacere indolem illam Romanam, ablatosque cum armis animos; non reddere salutem, non salutantibus dare responsum, non hiscere quemquam præ metu potuisse. Salutantibus salus redditur, non responsum, quod quærentibus debetur. Manifestum est duas voces locum mutasse scribendumque esse: non red-
(175) dere salutem salutantibus, non dare responsum,

I, 101, ubi Crassum Cotta alloquitur, Senec. Ep. 94, 41, ubi Seneca cum Lucilio sermocinatur, nihil præterea.] Initio capitis de altero alius tollendo vere iudicarunt Muretus et Gronovius. Alteri per obstantia enitendum fremebant, alteri nihil superesse salutis. Sed in ipsius libri exordio, cap. 1, 7, Gronovius pravo artificio eumque secuti ceteri corruperunt aptissimam hanc orationis formam: Quem tibi — irarum — iudicem feram? Neminem — fugio. Optionem Pontius Romano iudicis dat; neminem excipit. Quem feram, neminem fugio pro eo, quod est: quem fugiam nec ferre velim, nemo est, perverse dicitur.

non hiscere cet. In solo libro octavo quater hoc mendi genus ab editoribus (præter Alschefskium) aut recentiorum codicum emendatoribus correctum esse ostendi in prooemio p. 12.[1]) Extremo capite (§ 13) Livius non scripsit, quod in codicibus est: cepisse enim eos non Romam, sicut ante Gallos, sed quod multo bellicosius fuerit, Romanam virtutem ferociamque; neque enim ut bellicosum laudari potest capere Romanam virtutem, neque (si quis eo trahere pronomen quod mavult) comparari, utrum Roma an Romana virtus bellicosior fuerit. Gloriosius an aliud vocabulum fructum victoriæ aut difficultatem significans Livius posuerit, non definio.[2])

Cap. 9, 9: Nec a me nunc quisquam quæsiverit, quid ita spoponderim, quum id nec consulis ius esset, nec illis spondere pacem, quæ mei non erat arbitrii, nec pro vobis, qui nihil mandaveratis, possem. Duo contraria sunt membra, nec consulis iure sponsionem fieri potuisse nec pro populo (populi nomine), qui nihil mandasset, eam pacem fieri potuisse, quæ consulis ipsius arbitrii iurisve non esset. In codicum scriptura sententia evertitur significarique videtur, in Samnitibus ipsis aliquid impedimenti fuisse (nec illis), et falso quasi duo et contraria ponuntur nec illis et nec pro vobis, quæ ad unam rem pertinent (nec illis pro vobis spondere). Tollendum est nec ante pro vobis, eodem errore in membris dispescendis additum, quo XXIX, 21, 10 alterum aut. (1861.) Eodem capite extr. (in oratione Sp. Postumii, se collegamque et tribunos, qui Caudinæ paci interfuerant, dedi iubentis Samnitibus) recte in quibusdam sæculi XVI editionibus scriptum esse puto: nos interim — vilia hæc capita luendæ sponsioni feramus, et nostro supplicio li-

---

[1]) [Hanc coniecturam, commate ante salutantibus posito corruptam, Weissenbornius sibi adscripsit.]

[2]) De c. 8, 7 in prooemio p. 9 breviter, quid sentirem, significavi.

beremus Romana arma, ubi in codicibus et reliquis editionibus est luendæ sponsionis. Nam neque, quod aliquid luendæ sponsionis esse dicitur[1]), ideo etiam ferre aliquid luendæ sponsionis recte dicetur neque ad capita genetivus referri potest, quoniam et caput luendæ sponsionis inepte appellatur et vilia hæc capita per se appellari debent. Dativo gerundivi in consilio significando admodum libere Livius utitur, ut I, 23, 8: me — gerendo bello ducem creavere, III, 5, 14: His avertendis terroribus in triduum feriæ indictæ, IX, 26, 14: dictator deligendus exercendis quæstionibus fuit, et id genus alia.

Cap. 12, 2: (Samnites) sero ac nequicquam laudare (laudabant) senis Pontii utraque consilia, inter
(176) quæ se media lapsos victoriæ possessionem pace incerta mutasse. Recte hoc Antonio Perizonio displicuit; nam media labi nullo loquendi usu defenditur, labi autem inter media (duo) consilia, ut sit utroque repudiato tertium ac medium sequi, absurde dicitur, frustraque Drakenborchius et Weissenbornius advocant eiusmodi exempla, quale est: **per** medios Thraces ire; simile esset, si quis: **inter** medios Campanos ac Romanos ire dixisset, ut esset medium ire, neutros attingentem; nec excusationi sufficit, quod XXIV, 26, 13 legitur inter medios tot armatos — evaserunt, ubi mediæ turbæ immixti significantur. Livius aut, quod Perizonio placuit, medio lapsos scripsit aut potius: inter quæ se media lapsos **via** victoriæ possessionem cet. Error quam facilis fuerit (ut via ante vi excideret), apparet. [Quod video coniectatum medio capto, neque, quo usu loquendi absolute dicatur medium capere, scio, neque, cur non satis

---

[1]) In libro tamen III, 24, 1 genetivus non a verbo pendet, sed a frustrationis nomine, in quo inest artificii et instrumenti notio; cfr. adn. ad Cic. Fin. p. 72.

simplicis orationis et elegans videatur media labi via inter duo consilia.][1])

Cap. 13, 4: Itaque non fusi modo hostes (Samnites a Q. Publilio consule) sunt, sed ne castris quidem suis fugam impedire ausi Apuliam dissipati petiere. Quid sit castris suis fugam impedire, non intellego; intellegerem fortasse, si esset castris tuendis fugam impedire, etsi ne sic quidem impediendi verbum de fuga retardanda atque interrumpenda aptum esset. Videndum, ne Livius id ipsum posuerit verbum, quo in enarrando Doeringius usus est, inhibere.[2])

Cap. 16, 13 (ubi de L. Papirio Cursore agitur) Livium dixisse virium vi, plurali et singulari eiusdem vocabuli formis tanquam diversis vocabulis coniunctis, parum sane (177) eo defenditur, quod apud Cornelium Nepotem Thrasyb. 1 editur: ad vires vimque pugnantium cum inanissima tautologia.[3]) Vini cibique capacissimus neque viribus ne-

---

[1]) § 6 tamen, quod recte post quam aut aliquamdiu interponi poterat, Weissenbornius intellexit prave interponi inter pugnæ sustentatæ causas et verbum sustinuerunt. Aut scribendum videtur: adiuvabat imbellis multitudo certamen, Fregellani sustinuerunt aut tollendum tamen. (1861.)

[2]) Eodem cap. § 10 codex archetypus habuit, ut editur: consul victore exercitu advenit; nec tamen omnis dubitatio de præpositione cum addenda excluditur. Nam quod usitate dicitur magno, instructo, infesto exercitu venire, ubi aut copiarum numerus aut modus et forma eundi significatur, non continuo idem ablativus sine præpositione veniendi verbis additur adiuncto eiusmodi adiectivo, quod exercitus habitum et proprietatem significet (victore exercitu advenire). Paulo propius est novo exercitu proficisci IV, 46, 12; cfr. etiam X, 25, 4: profectus apto exercitu et plus fiduciæ ac spei gerente. Lib. III, 24, 8 et IX, 23, 6 et XXIII, 2, 3 præpositio additur; quod XXIII, 41, 5 legitur victore exercitu urbem aggredi, ibi instrumenti notio subest. Nihil definio; nam exiguo fine hæc separantur; quid tamen differat, animadverti volo.

[3]) Scribendum videtur: ad vires usumque pugnantium; etsi pro incerto locum relinquere præstat.

que vi quisquam fit; sed ut fieret, Livius tamen, quamquam in clarissimo populi Romani imperatore etiam corporis in omni genere firmitatem fama celebratam commemorandam putaret, profecto non dubitasset, an multa exercitatione vini cibique capacissimus evasisset; neque enim tam foeda exercitatio in mentem venisset. Poterat editores admonere citatus a Drakenborchio Zonaras, qui VII, 26 Papirium Cursorem appellatum scribit διά τε τὴν ἕξιν (ἦν γὰρ δρομικώτατος) καὶ διὰ τὴν ἄσκησιν τὴν τοῦ δρόμου. Itaque Dio Cassius, quem Zonaras sequitur, primum Livii verba sic distincta legerat: victoremque cursu omnium ætatis suæ fuisse ferunt seu (non: et seu) virium vi seu exercitatione multa, cibi vinique eundem capacissimum. [Cfr. XXVIII, 20, 3: corporum — multa exercitatione pernicium.] (Neque profecto, ut hoc addam, Livius pronomen eundem, quo novæ rei adiunctio significatur, in decimum locum reiecisset.) Deinde non virium vi illam celeritatem cursus effectam Livius putarat, sed **crurum**. In eorum vi et robore posita est ἕξις viri δρομικωτάτου. [Rectissime, commemorata universe pedum pernicitate, dubium relinqui significatur, utrum nativa vi an exercitatione ea pernicitas parta sit.][1])

Cap. 18, 11 (in comparatione Alexandri et populi Romani, ubi de varietate fortunæ agitur): Quin tu hominis cum homine et ducis cum duce fortunam cum fortuna confers? Mirum est, quam inanes verborum soni interdum aures prætereant aut potius litteræ oculos, quasi sententia insit. Hominis fortunam cum hominis fortuna conferre quid sit, omnes norunt, proque eo naturali quadam orationis brevitate et fuga genetivi nudi præpositioni subiecti substitui: hominis fortunam cum homine

---

[1]) [Quod Badhamus pro capacissimum scribi voluit parcissimum, erravit; nam vini copiosum usum in Papirio celebratum sermonibus et fama fuisse, Dio Cassius ostendit.]

conferre, sciunt, qui Latine et Græce didicerunt; quid vero sit hominis cum homine fortunam cum fortuna conferre, prorsus nec scio nec, qui nuper enarrare conatus est (— nam superiores prudenter tacent præter Doeringium, qui difficultatem animadvertit —), quid senserit, intellego; est enim totum absurdum et ridiculum. (Hominem cum hom., fortunam cum fort. conferre longe aliud est et ab hoc loco alienissimum, ubi de solius fortunæ, sed in singulis hominibus, comparatione agitur.) Sed hoc peperit eadem, cuius tot iam in codice archetypo indicia deprehendimus, interpolatoris oblivio et inconsiderantia. Nam quum hæc legisset a Livio scripta: Quin tu hominis cum homine et ducis cum duce fortunam confers? (in quo ipso verborum ordine facilius oritur minusque habet offensionis figura illa, de qua dixi, quam si, mutato ordine, hominis fortunam cum homine scribas), occursante animo memoria substantivi cum præpositione repetiti (hominis c. h., ducis c. d.), etiam fortunam eodem modo geminavit, figura fortasse magis non animadversa quam non intellecta, etsi fieri potest, ut ne intellexerit quidem; quid tota sententia fieret, non cogitavit. Eodem capite paulo ante (§ 7) videndum puto, ne recte in recentioribus aliquot codicibus (Gærtn., Lov. 4, Portug. a manu sec., tum, adiuncto errore aliquo, in Lov. 3, Pall. 1, 3) scribatur: adversus quem (Alexandrum) Athenis, in civitate fracta Macedonum armis, cernentes tum maxime prope fumantes Thebarum ruinas, contionari libere ausi sint homines, ubi editur, quod in archetypo fuit, cernente; nam et melius ad homines (ipsos oratores) quam ad civitatem hoc refertur et, si cernente Livius scripsisset, et additurus fuisse videtur (fracta — et cernente).[1]

(178)

[1]) Superiore capite (17, 7) mirum est, neminem ne ex verbi quidem modo intellexisse, interrogative hæc dici: Recenseam duces — ipsos eos, cum quibus consulibus aut dictatoribus Alexandro fuit bellandum, M. Valerium Corvum —?

(179) Cap. 19. Duobus in hoc capite additamentis aucta est Livii oratio, quorum alterum in § 4 (Samnites) iam post Dobreum a Weissenbornio ita video convictum, ut nihil addendum existimem, nisi quod illi, non perspecto, quid codex archetypus in hoc genere passus esset, quæsiverunt, quod substituerent sublato vocabulo. Alterum nemo, quod sciam, suspicione attigit, etsi non minus manifestum est.[1]) Nam ubi Livius, a digressione de Alexandro Magno se revocans, invicta Romanorum arma extollit, hæc scripta sunt (§ 15): Absit invidia verbo et civilia bella sileant; nunquam ab equite hoste, nunquam a pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis, utique nunquam nostris locis laboravimus. Si neque ab equite neque a pedite hoste Romani unquam laborarunt, nunquam omnino terrestri bello laborarunt. Mirari tamen aliquis possit, tam recentem Crassi cladis in Parthis memoriam Livio non occurrisse, quam in Horatii animo tam infixam videamus. At vide mihi, quid Livius subiiciat: **Equitem, sagittas**, saltus impeditos, avia commeatibus loca gravis armis miles timere potest. Ipsos tenemus Parthos, sed simul Livium in brevissimo verborum ambitu, in elaboratissima oratione, in contrariis inter se ad lectoris animum feriendum diligentissime compositis (— nam saltus impediti et avia loca respondent apertæ aciei et locis æquis, nostris —) aperte et ridicule secum pugnantem, ut nihil opus sit addere, Livium omne Romanorum robur in pedite (gravi armis milite) constituere eumque cum Macedonum phalange comparare, statario item milite (§ 8). [Eodem pertinet illud: civilia bella sileant; nam in his a peditibus Romanos victos diffiteri non poterat Livius, sed a peditibus ipsis Romanis.] Itaque Livius hæc tantum scribere potuit: — sileant; nunquam a pedite, nun-

[1]) [Attigerat Strothius, correxerat Dobreus, cuius Adversariis ipsis a. 1860 uti non potui.]

quam aperta acie, — laboravimus; equitem, sagittas cet. Equitis mentio priore loco accessit ab aliquo, cui parum visum est Romanos altero (longe potiore) exercitus genere invictos dici. (Parum probabile est, Livium scripsisse: Nunquam a pedite hoste, deinde, præposito illo nunquam ab equite, retractum eo esse hoste. Et (180) prorsus abundat hoste.) — Superest in medio capite mendum obscuro codicis omnium optimi indicio tollendum. Nam § 7 sic editur: Arma clipeus sarisæque illis, Romano scutum, maius corporis tegumentum, et pilum cet. Offendit in priore membro inæqualitas numeri (clipeus sarisæque), eo quidem magis, quod sarisæque aptum est plurali illis, contra scutum, pilum singulari Romano. Attendamus igitur, in M scribi arma cluisset arma cluisset sariseque. In ea scriptura, vitiosa geminatione sublata, inest: arma **clupei essent** sarisæque illis, Romano cet., servata ea orationis condicionalis forma, quæ in ceteris est, imperfectoque tempore, quod proxime præcedit (traheret — ad manum — supplementum esset). (1861 et 1875.)[1])

Cap. 26, 7 (ubi agitur de occultis principum Campanorum coniurationibus et C. Mænio ob eam causam dictatore dicto): Ingens erat magistratus eius (dictaturæ) terror; itaque sive timor seu conscientiæ vis Calavios Ovium Noviumque (ea capita coniurationis fuerant), priusquam nominarentur apud dictatorem, mors haud dubie ab ipsis conscita iudicio subtraxit. Sensit Gronovius, incommode et prave nominativis illis: timor — conscientiæ vis supperaddi deinde alium: mors; nam si Livius duas illas tanquam species communi mortis nomine per appositionem addito comprehen-

---

[1]) Cap. 22, 3 prorsus defugio testimonium, ad quod a Weissenbornio citor, Gronoviumque sequor scribentem: id bellum tantum ducere; alterum ne umbram quidem veræ sententiæ habet.

dere voluisset, in eundem sententiæ locum necessario coniecisset et sic coniunxisset: priusquam nominarentur apud dictatorem, sive timor seu conscientiæ vis, mors certe ab ipsis conscita iudicio subtraxit. Nam certe tum dicendum fuisset, ut significaretur, nihil ad rem pertinere, utrum fuisset; nunc id tantum dicit, non dubium esse, quin voluntaria mors fuerit. Sed omnino timor et conscientiæ vis, etsi mortis sunt causæ, species tamen mortis non sunt nec possunt sic appositione cum mortis nomine coniungi. Facillima est emendatio; nam ex **E** in conscientiae faciendum **F**, præterea una littera mutanda (**t** pro **s**): Itaque, sive timor seu conscientia **fuit**, Calavios — mors — iudicio subtraxit.[1]) Eodem capite § 15 in re pusilla ægre tamen fero Weissenbornium et Hertzium, non modo Alschefskium, oblitos esse, quoniam quidem nusquam dici, nisi coniunctione, quæ sic (addito quidem) insigniatur, primo loco cum pondere posita, sed (181) quoniam quidem barbarum esse. Restituendum igitur: Sed quoniam quidam nobiles homines cet.[2])

---

1) [In cod. Ups. Hæggstroemius repperit sive is timor probavitque, et est in M m.1 sivei timor.]

2) Superiore capite (25, 5) Livius non scripsit: docent suos —, simul ad Lautulas pugnatum audierunt, pro victis Romanos habuisse, ut codices et editiones habent, sed audierint. [Sic iam Rupertius.] Hoc tempus (perfectum) ex oratione recta in obliqua retentum in tali sententia nusquam non transire in coniunctivum, ostendunt eæ verborum formæ, quæ non una littera distant. Legitur huiusmodi locis aliquoties fecerunt pro fecerint (impedierunt pro impedierint II, 58, 5), nusquam (certa fide) fecit pro fecerit aut quum bellatum est pro bellatum sit (XXXVIII, 8, 7). Cfr., quæ dicentur ad XXXV, 12, 13. [XXXVII, 56, 2 et 6 pro pugnatum est scribendum pugnatum esset.] (Cap. 27, 8 hæc partitio: Consulum Sulpicius in dextro, Poetelius in lævo cornu recta esset, si diceretur consistit (etsi tum quoque nominativus poni poterat); sed quoniam consistunt de utroque coniunctum dicitur, scribendum videtur, ut ab Aldo ad Gronovium edebatur, consules. 1861.) Cap. 29, 10 quod scribitur: Traditur inde dictu [interp.

Cap. 30, 3: Et duo imperia eo anno dari coepta per populum, utraque pertinentia ad rem militarem, unum, ut tribuni militum seni deni in quattuor legiones a populo crearentur, — —; alterum, ut duumviros navales classis ornandæ reficiendæque causa idem populus iuberet. Miratos credo Livii æquales, si hæc sic scripta legerunt, primum imperia appellari tribunorum militum in legionibus et duumvirorum navalium, quos nemo unquam Romanus imperium habere dixit, tum commemorari tanquam singulare, eorum imperiorum utrumque pertinuisse ad rem militarem, quoniam id insitum erat in imperii natura ac notione, ut ad rem militarem pertineret. Sed nihil tale ab iis h. l. lectum esse, si res ipsa fidem non facit (— et quotus quisque est, qui ea fide stare firmiter audeat? —), vincit auctoritas codicis M quamquam mendum passi, in quo prima manu scriptum est: etduosferia eo anno cet., altera demum manu id, quod ceteri codices habent (prorsus ut in VIII, 23, 10). In ambiguo illo codicis archetypi mendo, quod Mediceus servavit, non imperia suberat, sed, quod unum rei aptum est, **ministeria**. Ministri enim hi imperatorum et rei militaris instruendæ administrandæque adiutores erant. [Quod tribuni militum apud Ciceronem militiæ, quibus iussi sunt, imperare dicuntur, inde non efficitur, ut tribunatus imperium sit, nedum duumviratus classis reficiendæ.]

---

inde, dictu] mirabile et quod demovendis statu suo sacris religionem facere posset, verum esset, si huiusmodi esset sententia: quod religionem facere posset, nisi sciremus casu accidisse, aut similis; nunc, quum Livius, religionum et veteris moris, verbis saltem, cultor, sperni divinam admonitionem a lectoribus nolit, necessario scribendum est possit. Nam ad illam ætatem, qua res acta est, referri imperfectum tempus neque res sinit (— nihil enim de religione iniecta et sacris suo statu servatis significatur —) neque grammatica in hac orationis forma: **Traditur** inde, dictu mirabile et quod cet.

Cap. 31, 2 et 3: In Samnio Cluviam, præsidium Romanum, quia nequiverat vi capi, obsessum fame in deditionem acceperant Samnites, —. Huic infensus crudelitati Iunius, nihil antiquius oppugnatione Cluviana ratus, quo die aggressus est moenia, vi cepit, atque omnes puberes interfecit. Oppidum Samnitium significari, cui Romani præsidium imposuissent, apparet; id editores idem esse putant, quod apud Tacitum Hist. IV, 5 (etsi ibi codex Medic. Cluvios habet) et in inscriptione aliqua (Mommsen. Inscriptt. R. Neap. 5293: Anxani et Cluvis) Cluviæ appellari videtur. (Clibes in libro coloniarum nimis incertum est.) Habet dubitationem apud Livium forma singularis numeri. Accedit, quod in codicibus melioribus (MPH2 Klock.) Cluviani scribitur (Gelenius codicem non appellat), non Cluviam (quod in L1 est), exigua sane per se discrepantia. Sed illud molestius, quod oppugnatio Cluviana plane insolenter appellatur; nam ut possit obsidio longius tracta et sæpius commemorata in narranda aliqua re, quæ ad eam pertinet, adiectivo appellari, ut aliquid verbi causa in obsidione Veienti accidisse dicatur (etsi non dicitur apud Livium), non idem transferri ad oppugnationem potest, minimeque, quum quis oppidum semel nominatum oppugnare statuit, de oppugnatione v. c. Fregellana cogitare dici potest. Hæ turbæ componentur, si codicum priore loco scripturam tenentes (Cluviani præsidium Romanum — in dedit. acceperant) altero loco una littera mutata scripserimus oppugnatione Cluviani, oppidumque, ut pleraque Samnitium, aliunde ignotum eandem nominis formam atque Bovianum habuisse putarimus.
(182) (Palumbinum X, 45, 9.) (1875.) Eodem capite § 6 (in narratione rerum a C. Iunio Bubulco tertium cons. in Samnio gestarum): omnium principum in Samnio eo curæ sunt intentæ, ut insidiis quæreretur locus, si qua licentia populando effusus exercitus excipi ac circumveniri posset. Neque si qua licentia

recte dici videtur quasi de incerta et una ex pluribus, quum unum licentiæ genus h. l. intellegi possit, neque hi ablativi qua licentia et populando optime coire. Vereor, ne a Livio fuerit: si qua (adverb.) licentia populandi effusus exercitus cet. Prædandi licentia dicitur XXII, 3, 9; ad eam Romanis præbendam pertinebant, quæ a Samnitibus acta narrantur. [Sic Creverius.] Altera in proximis (§ 7) suspicio oritur, quæ sic scribuntur: Transfugæ agrestes et captivi quidam, pars forte, pars consilio oblati, congruentia ad consulem adferentes — — perpulerunt cet. Qui ad usum pronominum infinitorum attenderunt, sentient, non recte quosdam captivos h. l. appellari, quasi certos ex maiore numero; universe captivorum et transfugarum id indicium fuisse Livius significat. Ne recto quidem loco pronomen ponitur, si quidem non minus ad transfugas quam ad captivos pertinere debet (transfugæ quidam agrestes et captivi). Itaque vix dubium est, quin Livius scripserit: tr. agr. et captivi, quidam forte, pars consilio oblati, notissimo distribuendi genere, quo partis significatio variatur, id autem (183) interpolatum sit altero addito pars. Similiter XXXVII, 42, 2 in distributione verbis variata erratum videbimus. [Tollendum pars iam a. 1853 Muehlmannus iudicarat.]

Cap. 32, 10: Post occasum solis signum receptui datum est; nocte ab utroque in castra reditum. Scire velim, quo referatur utroque pronomen; nam etiamsi Romanum et Etruscum Livius supra dixisset, tamen in narratione continuanda dixisset ab utrisque, ut scribi volebat Creverius; sed nihil tale dixit; multo minus duces intellegi possunt, qui ab Etruscorum parte omnino significati non sunt. Vereor, ne Livius scripserit tantum: Nocte utroque in castra, h. e., in utrorumque castra. (1875.)

Cap. 33, 6: Mam. Æmilium —, qui quinquennalem ante censuram et longinquitate potestatem dominantem intra sex mensum et anni coegisset

spatium. Etsi ordo hic verborum longinquitate potestas dominans per se defenditur iis, quæ ad XXIV, 2, 9 dicentur, tamen offendit in hac copulatione: quinquennalis censura et longinquitate potestas dominans; sed multo magis offendit ipsa hæc novi substantivi per copulam adiectio: censuram et — potestatem. Non dubito, quin Livius scripserit: et longinquitate **potestatis** dominantem, genetivus autem ob dominantem mutatus sit, nisi fuit: quinquennalem censuram, et longinquitate **et** potestate dominantem. (1861.) [Idem Creverio visum.]

Cap. 34, 20: eo lustro — quo, demortuo collega C. Iulio censore, L. Papirius Cursor — M. Cornelium Maluginensem collegam subrogavit. Et per se parum apte dicitur demortuo collega — censore, præsertim sequente demum eius nomine, cuius collega fuerat, et perinepte demortuo collega — collegam subrogavit. Itaque valde suspectum collega. (1861.)[1])

Cap. 39, 3 et 4, postquam Livius L. Papirium dictatorem et C. Marcium consulem iisque oppositos Samnites dixit quietos aliquamdiu, nec suis diffidentes viribus nec hostem spernentes, stativa in propinquo habuisse, subito in Etruriam ad resque ibi a Q. Fabio Rulliano gestas traducimur, deinde cap. 40 ad Samnites redimus nec tamen ad eum, quem narratum legeramus, rerum statum, sed ad aliam novamque faciem belli. Quo autem loco a Samnitibus ad Etruscum bellum narratio

---

[1]) Cap. 36, 2 indignor, ne commemorari quidem a recentissimis editoribus necessariam Iac. Perizonii emendationem (Tum ex iis, qui aderant, consulis frater — eum Fabium Cæsonem alii, C. Claudium quidam, matre eadem, qua consulem, genitum tradunt — speculatum se iturum professus cet.) tenerique tacite eam scripturam, in qua, quis quid fecerit, omittatur, quæratur autem quasi per se, quo nomine consulis frater fuerit. De cap. 34, 12 recte interpungendo admonitio mea (ad Cic. Fin. p. 270) valuit.

transfertur, hæc legi solent in editionibus: Interea res in Etruria gestæ; nam et cum Umbrorum exercitu acie depugnatum est cet. Sed verba interea res in Etruria gestæ in ML1, deteriorum aliquot (ut Lov. 3, 4, 5, si recte Drakenborchius notavit) omnino omittuntur, nisi (184)
quod in M tertia manu scribitur: etrurie nam et cum Umbrorum; quid pro etrurie prima manu scriptum fuisset, Alschefskius discernere non potuit; in P margini adscripta quinque illa verba sunt; in deterioribus aliquot paulo post inseruntur post illa: non tolerarunt pugnam.[1]) Itaque manifestius etiam quam in VIII, 23, 10 tenemus supplementum a nescio quo ad lacunam supplendam in margine codicis alicuius adscriptum. Sed quod nuper Scheibius et Weissenbornius, omissis quattuor verbis (res in Etruria gestæ), uno retento (Interea), orationem sarcire conati sunt, ut omittam, nimis abrupte et breviter obscureque narrationem continuari, ne nominata quidem Etruria aut Q. Fabio, quis non videt, interea illud a reliquo additamento separari non posse? Recte Hertzius non separavit omniaque quinque verba omisit, lacunæ nota posita. Sed intellegendum, non pauca quædam verba scribendo omissa esse, verum idem hic accidisse, quod in altero illo loco accidisse ostendi, ut in codice archetypo folium intercideret, in quo ita continuata de Papirio et Marcio narratio erat, ut apte in cap. 40 resumeretur, deinde ad Q. Fabium et Etruriam transitum.

Cap. 41, 2 et 3: Consules partiti provincias; Etruria Decio, Samnium Fabio evenit. Is profectus ad Nuceriam Alfaternam, tum pacem petentes, quod uti ea, cum daretur, noluissent, aspernatus est; oppugnando ad deditionem subegit. In MP est cum pacem cet., ut videndum sit, ne Livius scripserit: **quum** pacem petentes — aspernatus **esset**, con-

---

[1]) Hl in hoc et proximo libro deficit.

cursu verborum insuavi, sed eodem, qui est XXXIII, 6, 5: occurrisset, faciendum esset, consulerent, et XXXVIII, 58, 8: esset, gessisset, prætereantur; cfr.
(185) XXXV, 45, 9 et 50, 9. (1861.) Eodem capite § 8: Tarquiniensem metu subegerat (P. Decius) frumentum exercitui præbere cet. Quoniam præcedunt Samnitibus — Marsi — Peligni, sequitur Vulsiniensium, nescio, an cum codd. recc. scribendum sit Tarquinienses; quam facile e **s** ante **m** factum sit **m**, apparet. (1875.) Deinde § 8, ubi editur: Tranquillas res iam Etruscis turbavit repentina defectio Umbrorum, dativus ferri posset, si Livius Etruscos seditionibus et turbis excitatis otii fructu privatos quereretur; nunc, quum pacatam a Decio gentem ad bellum Romanis faciendum concitatam significet, non dubito, quin scripserit: Tranquillas res iam **in** Etruscis turbavit def. U., præpositioque post **m** exciderit, ut XXI, 43, 18 (procedam aciem), XXIII, 29, 7 (eo pro in eo post patriam), XXVI, 22, 9 (in Put.), XXVII, 5, 4 et 15, 4 (in eodem), XXXIII, 34, 5 (legatorum civitates pro leg. in civitates), XXXIV, 13, 7 (quum Hispania pro quum in Hisp.). Cfr., quæ dicam ad XXIV, 7, 4.[1])

Cap. 44, 4 (de biennii consulibus a L. Pisone omissis): Memoriane fugerit in annalibus digerendis an consulto binos consules — transcenderit, incertum est. Neque memoria fugere (aliquem) recte dicitur (ut sit deficere) neque, quod post Drakenborchium Weissenbornius præfert, memoria aliquid fugere (in qua enarratione præterea nullum est verbi subiectum). Scribendum videtur Memoriane defuerit, eo quidem magis, quod in codicibus, uno et altero recentissimo excepto, est

---

[1]) [Cap. 42, 3 a. 1861 abdicarit pro abdicavit restitui. Admonitus Weissenbornius idem a Rupertio sumpsit. Cfr., quæ dixi ad c. 25, 5.]

memoriæne, quod ob defuerit (nondum ipsum corruptum) ortum videri potest. Alioqui placere poterat defecerit.[1])

Lib. X. (186)

Cap. 1, 5: In eam speluncam penetratum cum signis est, et ex eo loco obscuro multa vulnera accepta. Recte prius pronomen additur speluncam demonstrans, pravissime alterum, ubi addito adiectivo, qualis spelunca fuerit, dicitur. Id aut ex præpositione natum est aut propter eam adiectum. (1861.)

Cap. 2, 5 et 6 (de Cleonymo Lacedæmonio cum classe ad litora Venetorum advecto): Expositis paucis, qui loca explorarent, quum audisset (codd. audissent ob præcedens explorarent), tenue prætentum litus esse, quod transgressis stagna ab tergo sint irrigua æstibus maritimis, agros haud procul proximos campestres cerni, ulteriora colles videri esse, ostium fluminis præalti, quo circumagi naves in stationem tutam vidisse (— Meduacus amnis erat —), eo invectam classem subire flumine adverso iussit. In hoc loco, in quo nulla est, quæ suspicionem moveat, bonorum codicum varietas, duæ res dubitationem habent, altera in priore parte, altera in posteriore; nam in mediis illis: agros haud procul — videri esse per se nulla est difficultas; recte enim et universe agros haud

---

[1]) Et c. 44, 14 quod Creverius scribendum vidit (Bovianum urbs), et c. 45, 12 quod Weissenbornius (verteret, est pro vertisset), utrumque ignaro mihi illarum coniecturarum in mentem venerat, si quid is consensus fidei addere potest. [Sed propius ad litteras est vertit, est, ut tantum effectus sententiæ notetur, non, qualis fuerit.] (Cap. 46, 9 (ac sede honoris sui anxios invidia inimicos spectavit) dure dicitur sede — spectare, aptissimeque Siesbyeus: ac de sede honoris (von seinem Ehrensitze herab). 1875.)

procul esse significatur et horum proximi ab ulterioribus
discernuntur, factaque apponendo partitione (agros —
proximos — ulteriora, ita ut etiam ad neutri generis
notionem incertiorem transeatur), pro communi verbo duo
subiiciuntur, ad suam quodque partem aptum (cerni —
videri esse). Sed hæremus primum in stagnis a tergo
sitis, quum manifestum sit, litus tenue transgressis stagna
ex adverso obiecta esse. Adeo tamen recte et omnis ora-
tionis forma et singula verba cohærent, ut sine temeritate
nihil mutari posse videatur confitendumque esse, Livium
nescio quo animi errore sic scripsisse, quasi de hominibus
e contraria parte (e mediterraneis) venientibus ageretur;
nam ab tergo a transgressis separari et referri ad litus
(ut sit post id) vix usus loquendi sinit. Sed hoc in in-
certo relinquamus; ad posteriorem partem prævertamur, in
qua ostium verbo, quo referatur, carere videtur; itaque in
codice uno et altero recentissimo (velut Sigon., Pal. 2) pro
videri esse scriptum est inde esse (ulteriora colles;
(187) inde esse ostium), quæ scriptura a Grutero recepta ser-
vataque in editionibus est ad nostra tempora; refellitur
tamen præter codicum auctoritatem (ne quid de sublata
apta figura proximos — cerni, ulteriora — videri
esse dicam) ipsa sententia; neque enim post agros (intror-
sus in mediterranea versus) ostium fluminis erat. Nuper
Weissenbornius voces haud procul suo loco motas pu-
tavit, iisque transpositis sic scripsit: agros proximos
campestres cerni, ulteriora colles videri; haud
procul esse ostium fluminis, quo circumagi naves
i. st. t. vidissent, hoc quidem extremum (vidissent)
ex inani Alschefskii coniectura, ducta ex unius codicis P
mendo vidisset. Sed et hic emendandi loci conatus (ne
quid de transpositione dicam) et reliquorum sententiæ illo
laborant gravissimo incommodo, quod sic exploratores non
modo ostium fluvii se vidisse narrant aut etiam in eo naves,

sed naves (tum ipsum) circumagi et circumagi in stationem tutam (quod de alienis navibus parum curaturi erant), quum Livius ipse post (§ 12) significet, illorum locorum incolas nullas habuisse nisi fluviatiles naves, quæ non ex alto circumagebantur et ad quas accipiendas opus non erat flumine prægalto. Naves igitur manifesto ipsius Cleonymi significantur, indicantque exploratores eius rei facultatem, qua mox is utitur, invehi classem iubens. Itaque hæc sic cohærere apparet: ulteriora colles videri esse; ostium fluminis præalti, quo circumagi naves in stationem tutam *, vidisse; non dubito, quin ante vidisse exciderit possent. (De vidisse pro se vidisse in oratione obliqua longius continuata nihil opus est dici.)

Cap. 3, 7: qui terror (Romanorum ab Etruscis cum foeda cæde in castra compulsorum) non eo tantum a Fabio (Maximo, quem Livius huic bello interfuisse negat) abhorret, quod, si qua alia arte cognomen suum æquavit, tum maxime bellicis laudibus. Quoniam particulæ tum sic in comparando (post si quis alius) additæ nullum omnino exemplum est nec, quid agat, intellegitur, valde suspicor, eam ex littera t præcedenti et m sequenti ortam esse scribendumque: quod, si qua alia arte, cognomen suum æquavit maxime bellicis laudibus. [Quum maxime, quod video alicui in mentem venisse, hinc alienum est.] Proximo capite (4) § 9 quod et codices et editiones inde a Gronovio habent: nec tamen iniussu movere auderent, vereor, ne mendose pro moveri scribatur. Quæ enim exempla verbi movere intransitive positi reperiuntur plurima, ea hac ipsa multitudine certos eius usus fines ostendunt; dicitur enim de duce aut de toto exercitu e castris aliove loco proficiscenti (aufbrechen), nunquam de singulis hominibus se commoventibus (sich rühren) et prorumpentibus. VII, 14, 8 recte Hertzius revocavit moveri (e ML1H1 ceteris omnibus)

pro movere (PRottendorf.). XLIII, 21, 1 recte codex moveri; Drakenb. movere.[1])

Cap. 6, 3: Romæ quoque plebem quietam et exoneratam deducta in colonias multitudo præstabat. Quæ est exonerata plebs? Urbs exoneratur, multitudine inutili alio deducta, non plebs, cuius illa ipsa pars est. Quid deinde plebem exoneratam præstare, quasi status hic aliquis sit conservandus? Quomodo denique plebs simul quieta et exonerata præstatur? Nam quieti consulebatur exonerata urbe, non ipsi exonerationi. Omnino agitur de una quiete, quam, ut foris victoriis et foederibus, sic domi coloniis deductis partam novum, quod Livius narraturus est, certamen turbavit. Apparet, rem effectam (quietem) cum causa (exoneratione) male confundi. Sed ea confusio librario debetur; Livius sic scripserat: Plebem quietam exonerata in colonias multitudo præstabat. Eleganter et apte multitudinem abundantem et ob eam causam paupertatemque turbulentam non deductam dixit in colonias, sed tanquam onus eiectam et exhaustam. Quum proprium verbum supra aliquis scripsisset, id in ordine perscriptum et male cum quietam copulatum est. (Cfr. prooem. p. 17.) Exonerari autem dupliciter dici et de eo, cui onus demitur, et de ipsa re
(189) tollenda, quæ oneri est, lexica ostendunt, positis huius posterioris significationis exemplis Plauti, Senecæ, Taciti; nec deest ipsius Livii, simillimum huic loco, ut a me est restitutus, XXIV, 29, 1 (de Syracusis): legatio peropportuna visa ad multitudinem inconditam ac tumultuosam exonerandam. (Extremo capite, § 11, ubi de patriciis minus firmiter resistentibus legi de sacerdotiis cum plebe communicandis agitur, verba sic interpungenda sunt:

[1]) [Cap. 4, 2 dixi a. 1861 suspicari me Livium vigilias vicatim actas, non exactas dixisse; nam de diligentia earum exigenda non agi. Illo modo dici solere, nunc Weissenbornius adnotat.]

et cernebant adversarios non, id quod olim vix speraverint, adfectantes magnos honores, sed omnia iam, in quorum spem dubiam erat certatum, adeptos. Pondus orationis est in adfectantes. Olim plebeii vix adfectare se honores, hoc est, petere posse, speraverant; tunc iam adepti erant.)

Cap. 7, 9 et 10 (in P. Decii Muris oratione, qua legem Ogulniam suasit): cui deorum hominumve indignum videri potest, eos viros, quos vos sellis curulibus, toga prætexta — honoraritis, quorum domos spoliis hostium adfixis insignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia insignia adiicere? Qui Iovis optimi maximi ornatu decoratus, curru aurato per urbem vectus in Capitolium adscenderit, is conspiciatur (P m.1 accenderitis spiciatur) cum capide ac lituo, capite velato, victimam cædet auguriumve ex arce capiet? Cuius imaginis titulo consulatus censuraque et triumphus æquo animo legetur, si auguratum aut pontificatum adieceritis, non sustinebunt legentium oculi? A simplici et aperta interrogatione, qua adfirmatur nemini indignum videri posse, qui cetera summa honoris insignia consecuti sint, etiam sacerdotes fieri, perquam dure vel potius prave subito transitur ad ironicam: Qui — adscenderit, is conspiciatur —? præsertim præmissa sententia relativa (Qui — adscenderit), quæ ironiæ repugnat. Atque ab hac ironia reditur ad illam priorem interrogandi formam: non sustinebunt legentium oculi? Itaque Alschefskius aliique, ut hoc saltem incommodum vitaretur, arripuerunt codicis P scripturam qui (pro non) sustinebunt, adeo solitariam, ut ne in iis quidem, qui P sequi solent, codicibus (ut Upsaliensi) reperiatur. Itaque olim etiam mediam illam interrogationem ad eandem formam redigere (præeunte ex parte Weissenbornio) ita conatus sum, ut ante conspicia-

tur adderetur non. Sed simul, quum inæqualitatem modorum in conspiciatur, cædet, capiet non ferendam putarem, primum illud in conspicietur mutavi, unde coniunctivus ortus esset, non demonstrato; ac ne sic quidem rectam sententiam consecutus sum; neque enim interrogari debet, nonne futurum hoc sit (non conspicietur), sed nonne nullo improbante neque indignante (ut: cui indignum videri potest? et: non sustinebunt oculi?). (Debebat etiam repeti negatio: is non conspicietur, — **non** victimam cædet — capiet?) Nunc demum intellexi, duas tantum esse interrogationes, media illa priori ita adhærere, ut, quod breviter his verbis: pontificalia atque auguralia insignia adiicere significatur, uberius declarent, cuius rei indicium est in ipso illo conspiciatur. Sed omissa casu coniunctione accessit alius error. Sic enim scribendum est: cui indignum videri potest, eos viros, quos vos —, pontificalia et auguralia insignia adiicere, **ut**, qui — curru aurato per urbem vectus in Capitolium adscenderit, is conspiciatur cum capide — victimam **cædens** auguriumve **capiens**? Cuius **in** imaginis titulo cet. Nam in iure Wesenbergius; id excidit ante imaginis. (1875.)

Cap. 8, 3: nec aut tum patriciis ulla iniuria facta est, quum duumviris sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus, et nunc tribunus — quinque augurum loca, quattuor pontificum adiecit, in quæ plebeii nominentur, non ut
(190) vos cet. Decium Livius in commemoranda lege nondum perlata et in Ogulnii consilio cum eo, quod in alia re factum iam esset, comparando, contrarie etiam positis tum et nunc, necessario induxit præsenti verbi tempore, non perfecto utentem, quod declarant etiam verba inde apta (nominentur — pellant — adiuvent). Itaque, si quidem huius verbi et ceterorum e iacio compositorum præ-

sens et perfectum indicativi tempus scribendo distinguere volumus, quod Livii editores faciunt (— neque enim ignoro, quid Lachmannus ad Lucret. p. 128 tradiderit —), scribendum est adiicit (adicit). Etiam c. 37, 14 (auctor est — scribit — adiecit) Livius aut adiicit scripsit aut adiecit pro præsenti posuit. [In eadem re erratum est I, 41, 1 et 48, 3, ubi Weissenbornius in tertia editione deiecit pro præsenti accipi vult, alibi deiicit scribit, hoc libro c. 37, 14. Vid. Adv. Crit. II p. 352.] (§ 7 recte Siesbyeus tu post nt in acceperunt excidisse vidit, quod contrarium refertur ad illi antiqui patricii. 1861.)

Cap. 10, 2 (ubi de Nequino obsesso agitur) audeo suspicari, Livium scripsisse tantum: præsidium armatum se intra moenia accepturos confirmant, non: intra moenia et muros, quumque muros supra scriptum esset, deinde eo in orationem inserto additum esse et (quemadmodum c. 6, 3). Saltem nusquam apud Livium aliosve prosæ orationis scriptores moenia et muri coniunguntur, quodque video nos ablegari ad huius libri c. 17, 7 et 45, 12, ii loci perspicue declarant, non coniungi hæc, sed alterum pro altero nominari. Vergilii ceterorumque poetarum alia est licentia.[1])

Cap. 13, 4 instantibus comitiis consularibus (in a. 297 a. Chr.) fama exorta narratur, Etruscos Samnitesque summa vi bellum parare: — itaque suis sociorumque viribus consurgere hostes ad bellum, et haudquaquam pari defungendum esse certamine. Qua sententia haudquaquam par hoc certamen dicatur, prorsus non intellego; comparatio enim cum superiore bello (ut sit haudqua- (191)

[1]) Eodem capite § 6 renovabo in transcursu necessariam Glareani coniecturam: sed eos talia (pro alia) molientes. Sed vereor, ne frustra eam iis commendem, qui c. 11, 3 Gronoviana uti noluerunt, qua, sublato ut post fuit, restituitur deterruerunt pro deterruerint, potiusque sola aut tantummodo, in quo sententia verteretur, omitti a Livio potuisse crediderunt.

quam simile, h. æque leve) neque ulla significatur neque ita haudquaquam par dici potest; quod autem Alschefskius id significari vult, cui haudquaquam pares Romani futuri sint, non ita sibi diffidebant nec ita desperabant, ut se nequaquam bello pares fore crederent; nec defungi certamine impari propter ipsam verbi naturam, quod de malo incommodove subeundo et superando ponitur, dici potest, qui ipse certamini impar est[1]); adiectivum necessario ad adversarios spectat. Itaque necessario scribendum videtur: et haudquaquam **impari** defungendum esse certamine, ut im (in) post **m** exciderit (de quo mendo ad IX, 41, 8 dixi). Pares iam prorsus sibi adversarios Etruscos Samnitesque coniunctos, Gallis adscitis, fore augurabantur Romani, ut omni ope contra enitendum esset. [Novi attractionis figuram, et tamen valde vereor, ne § 6 Livius scripserit: et fortuna ipsa, vereri, ne cui deorum nimia iam in se — videatur. Nam alio significatu fortunam vereri dicitur. 1861.]

Cap. 14, 13: (Q. Fabius Maximus consul in proelio ad Tifernum M. Fulvium et M. Valerium, tribunos militum, cum equitibus in Samnitium aciem immittit.) Ceterum quando ne ea quoque tentata vis proficeret, consilio grassandum, si nihil vires iuvarent, ratus, Scipionem legatum hastatos primæ legionis subtrahere ex acie — iubet. Livium neque ne — quoque pro ne — quidem dicere potuisse neque quando — proficeret de futuri eventus timore (si forte ne ea quidem vis proficeret), ab aliis intellectum expositumque est. Sed singulis verbis corrigendis nihil agitur; nam excidisse quædam sententiæ forma ostendit satis ex particulis quando ne perspicua; fuerat autem integra huiusmodi: Ceterum quando, ne ea quoque, tentata vis **parum** pro-

---

[1]) Quasi dicas: einen Kampf überstehen (mit einem Kampfe davon kommen), dem man unterliegen müsse.

ficeret, **timeri poterat**, consilio cet. Extremo capite (§ 21) Livius non et quia scripserat, sed, quod sententia aperte postulat, **set** quia.[1])

Cap. 21, 6 (postquam Livius senatum parte curæ ex ingruente undique belli terrore susceptæ exoneratum dixit litteris L. Volumnii consulis, quibus cæsos Campaniæ populatores cognitum sit): Itaque et supplicationes ob rem bene gestam consulis nomine decernunt; iustitium remittitur, quod fuerat dies XVIII, supplicatioque perlæta fuit. Et res et orationis forma declarat, a Livio scriptum esse (ut in Lov. 4 emendatum video): Itaque et supplicationes — decernunt **et** iustitium remittitur —; supplicatioque cet. (Duo simul decreta; hoc extremum de re facta adiungitur.) Hausit particulam præcedens **t** (nt), ut XXI, 49, 7, XXIV, 4, 5 factum monstrabitur. Paulo post (§ 13) scribendum: ob hæc et (nam appetebat tempus) comitiorum causa L. Volumnius cos. Romam revocatus. Neque enim omitti nam videtur posse in huiusmodi parenthesi post particulam copulativam inserta ad alterum membrum præparandum. (192) (193)

[1]) [Cap. 17, 5 a. 1861 interrogationem imperandi vim habentem: Vultis vos — gerere? notavi; secutus est nunc Weissenbornius. Cfr. XXV, 6, 22, Adv. Crit. II p. 198. Cap. 18, 7 quod e Mm.1 (discepatio) restitui iussi disceptatio pro voce inaudita et contra analogiam ficta discrepatio, præceptum iam erat (post veteres quasdam editiones) in exemplo Tauchnitziano 1848.] Cap. 19, 18 ante multos annos eodem modo emendavi, quo nunc a Weissenbornio emendatum video (et exercitus virtutem æquavit ducis. **Et duces** imperatoria opera exsequuntur et milites cet.). Fieri potest, ut scriptum fuerit: **Et coss.** imperatoria cet. [Cap. 20, 8 pro alios, quod falsum esse plures viderunt, scribendum videtur ullos; neque enim certorum hominum consensum defuisse, sed omnem significatur. 1875. Ibd. § 15 dure omittitur et inter quadringenti et præda. 1861. Ibidem denique oratio sic interpungenda: accitique edicto domini — recipiendasque, præstituta die (intra quam id fieret). Quarum rerum cet. Alioquin inane totum illud est: præstituta die. 1861.]

Cap. 22, 4: Subscripsit orationi eius (Q. Fabii, qui P. Decium collegam sibi poposcerat) consul (L. Volumnius) cum meritis P. Decii laudibus, tum, quæ ex concordia consulum bona quæque ex discordia mala in administratione rerum militarium evenirent, memorando, quam prope ultimum discrimen suis et collegæ certaminibus nuper ventum foret, admonendo (sic P reliquique, M foret et monendo) Decium Fabiumque, ut uno animo, una mente viverent; esse præterea viros natos militiæ cet. Multa in his sunt vitia, primum levius, [a Dukero animadversum], quod memorando duas sententias regit, alteram præcedentem, alteram subsequentem, sine ulla, quæ id excuset, figura, cetera gravissima, quod Fabius et Decius, qui semper concordissime res gesserant, admonentur, ut concorditer vivant, deinde quod omnino eorum ulla admonitio interponitur; in populo enim admonendo omnis versatur oratio, ut illos consules creet; nec Volumnium illos adloqui, sed de illis loquentem rationem adferre, cur creandi sint, clarissime demonstrant, quæ subiiciuntur: esse præterea cet. Hæc vitia Ussingius et vidit et sustulit hac emendatione: quam prope ultimum discrimen — ventum foret, admonendo: Decium Fabiumque uno animo, una mente vivere; esse præterea cet. Quum Decium Fabiumque nomina cum admonendo obiecti loco coniuncta essent, additum ut factumque viverent. (1861.) Sed memorando — admomendo obscure et vitiose sine copula coniunguntur; itaque recte Siesbyeus quamque scribendum coniecit. (1875.) [Quæ postea Weissenbornius tentavit, a sententia manifesta aberrant, et aperta vitii origo neglegitur.][1]

---

[1] [Cap. 23, 5 quum esset: nec se viri honorumve eius — pænitere, vero gloriaretur, a. 1861 scripsi ex vero, quemadmodum pro adverbiis dicerentur ex supervacuo II, 37, 8, ex aperto XXI, 32, 10, ex tuto XXVI, 38, 6, ex vano XXXIII,

Cap. 26, 4: et quum P. Decius se in Samnium vel in Etruriam proficisci paratum esse ostendisset, tanta lætitia ac gratulatio fuit, ut cet. Fabius sic Decio optionem fecerat, utrum in Samnium, quæ ei provincia erat, ire mallet an secum adiutor in Etruriam proficisci, ut hoc se vehementer optare significaret. Non reddit ei Decius optionem, sed id ipsum se facere paratum esse ostendit, quod Fabium et populum malle intellegit, ut, omissa sua provincia, in Etruriam eat. Inde lætitia est. Itaque necessario tollenda sunt verba in Samnium vel, quæ non intellecta sententia addita sunt. Et scribi debebat in optione danda vel in Samnium vel in Etruria, ut c. 19, 9. (1861.)

Cap. 28, 3 quod scribitur: et Samnites et Gallos primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit; longiore certamine cet., non Gallos et Samnites, quasi hi aliis contrarii sint, sustineri satis esse dici debet, sed tum, primo impetu, satis esse sustineri, postea vinci posse. Itaque aptius Livius scripsisset quem, quod Kochio in mentem venit; sed id in quos non transisset. Fortasse scriptum erat quom (quō) sustineri —. (1875.) Eodem cap. § 8 (in narratione proelii ad Sentinum, postquam equites Romanos a P. Decio Mure in hostes concitatos narravit): Bis avertere Gallicum equitatum; iterum longius evectos et iam inter media equitum agmina proelium cientes novum pugnæ conterruit genus. Iterum (hoc est, altero impetu, quo equitatum Gallicum aver-

---

31, 4 (nam ex æquo, ex præparato minus huc pertinent), ex vero autem ipsum apud Sallustium et Ovidium (v. Hand. Turs. II p. 655); nam vero pro vere nullis nisi Plautinis exemplis defendi Curtiique V, 7, 4. Opposuit C. F. W. Muellerus (ann. philol. XCI p. 48) duo alia Curtii, tum Flori Gelliique (nam Sallustii e Nonio non hoc adnotante incertissimum est); ne hæc quidem persuadent, Livium uno loco sic dixisse. Sed difficilis est diiudicatio.]

terunt) longius evecti et maius aliquid conati (quod significant particulæ et iam) non iam inter equites in fugam aversos versari debuerunt, sed ad ipsam peditum aciem pervenisse, quam procella equestri turbari Decius voluerat. Itaque prorsus inter media **peditum** agmina scribendum puto, equitum errore substitutum, quum hæreret animo equitatus Gallici mentio. Peditum nomen pro equitibus ter in omnibus codicibus substitutum est XXXVII, 40, 5 et 10, nec desunt exempla contrarii erroris.

Cap. 31, 5 Livium pro eo, quod est Samnites omnes considunt, non dixisse: Samnitium omnes cons., certum est. Nam XXXI, 45, 7 (Macedonum fere omnibus et quibusdam Andriorum) et adiectum fere et ex æquo positum quibusdam partitivam notionem efficit (quo modo Cicero Orat. 90 dixit: e quibus — non omnes faceti), et XXIV, 32, 8 (prætorumque nisi qui inter tumultum effugerunt, omnes interficiuntur) interpositum si qui genetivo locum dedit; quod autem advocatur etiam IX, 42, 11, miror similia videri omnes Hernici nominis
(194) et omnes Hernicorum; ceterum recte Cluverius intellexit ibi scribendum esse: omnes Hernici nominis populi Romano bellum indixerunt. Hoc quidem, de quo dicere coepi, loco veri simillimum videtur inter omnes et considunt excidisse copiæ, aberrante librarii oculo a prioribus litteris co ad alteras. Nam cur ob unum P et editionem Romanam, in quibus est ibi ad Samnitium, plura in mendi suspicionem vocentur, causa nulla esse videtur.

Cap. 33, 4 (de Romanis militibus, hortante consule M. Atilio Regulo, contra Samnites, qui in castra irruperant, pugnantibus): clamore sublato connixi primo resistunt; deinde inferunt pedem urgentque, et impulsos semel terrore eodem agunt, quo coeperunt; expellunt extra portam vallumque. Post illa impulsos semel et terrore eodem necessario exspectatur rei ad exitum uno tenore perductæ significatio; at sequitur,

quo nihil est inanius, agunt; quo tandem? Tum abrupte additur: expellunt cet. Omnia recta erunt, si, sublato illo agunt, scripserimus: impulsos semel terrore eodem, quo coeperant, expellunt extra portam vallumque. Iam apparet, minime abundare verba quo coeperant, coniuncta cum finis et exitus significatione. (Coeperant pro coeperunt recte in Gærtn., Haverc., aliis emendatione scriptum; cfr. prooem. p. 38.)[1])

Cap. 34, 1 et 2 editur: Postumius Milioniam oppugnare adortus vi primo atque impetu, dein, postquam ea parum procedebant, opere ac vineis demum iniunctis muro cepit. In his necessario omnes ablativi aut ad participium adortus pertinent, quod neque additæ voces demum iniunctis muro patiuntur neque verbum cepit, quod sic nude addi nequit, aut ad cepit, quod sententia manifesto respuit. Omitto inæqualitatem in opere et vineis demum iniunctis muro. Recta omnia fient sublato ac, quod Siesbyeus suasit. Significata oppugnandi ratione additur significatio rei ægre effectæ. Sic demum recte opere de genere dicitur; alioquin scriberetur operibus ac vineis. (1875.)

Cap. 36, 7: (Consul M. Atilius) obstitit profuse tendentibus suis in castra. Effuse euntes, cedentes, fugientes, ruentes novi, h. e., celeriter et sine ullo ordine; profuse ruentes non magis scio qui sint, quam quæ fuga profusa; nam profusus semper ad copiam pertinet. Itaque aliter Livius scripsit; opinor fuisse olim: obstitit **prope effuse** tendentibus suis in castra. [Olim prope fuse scripseram; effuse Weissenbornius.]

Cap. 38, 2 sqq. In hoc loco primum, ut cetera melius procedant, emendanda sententiarum distinctio est. Primum (195)
enim universe significatur, quod postea singulatim descri-

[1]) De 32, 4 et 37, 15 recte iam ab aliis indicatum est; cfr. tamen prooem. p. 16 et p. 30.

bitur, his verbis: et deorum etiam adhibuerant opes, ritu quodam sacramenti vetusto velut initiatis militibus. Deinde ipsam rei descriptionem sic Livius orditur: Dilectu per omne Samnium habito nova lege, ut, qui iuniorum non convenisset ad imperatorum edictum, quique iniussu abisset, caput Iovi sacratum erat; tum exercitus omnis Aquiloniam est indictus. Iam apparet, mendum illud, quod in sacratum erat eminet, levissima Sigonii interpolatione (sac. esset) vix tanquam pellucido velo obumbratum, pertinere etiam ad tum; neque enim hoc loco ullum eiusmodi est in temporis notatione orationis pondus, ut ablativis (dilectu — habito) tum superaddi potuerit. Hoc invento, vix dubitari potest, quin erat prorsus tollendum sit, additum (cum gravi oblivione constructionis) ad orationem explendam, quum verbum a Livio positum sic esset distractum, ut inde nasceretur tum, ex sacratum tum autem faciendum sacraretur, hac sententiæ forma: Dilectu — habito nova lege, ut, qui — non convenisset —, caput Iovi sacraretur, exercitus omnis cet.. Et sacraretur scribendum esse, etiam Weissenbornio in mentem venisse video. Deinde eodem capite § 6, ubi editur: qui se id sacrum petere adfirmabat ex vetusta Samnitium religione, non dubito, quin perpetuo Latine loquentium usu de renovando antiquo instituto Livius scripserit repetere. (Ibidem mire ex libro vetere linteo lecto sacrificatum dicitur, quasi ex non lecto sacrificari potuerit; videndum, ne Livius scripserit ex libro vetere linteo tecto, ut ad religionem pertinuerit species libri linteo tecti. 1861.)

Cap. 39, 6: (Sp. Carvilio Cominium obsidente L. Papirius ad Aquiloniam pervenit.) Ibi aliquamdiu nec cessatum ab armis est neque naviter pugnatum; lacessendo quietos, resistentibus cedendo, commi-

nandoque magis quam inferendo pugnam dies absumebatur. Quod quum inciperetur remittereturque, omnium rerum, etiam parvarum, eventus proferebatur in dies. Altera Romana castra, quæ viginti millium spatio aberant, et absentis collegæ consilia omnibus gerendis intererant rebus. In hac codicum scriptura et in hac orationis interpunctione primum pronomen quæ prorsus omnia turbat (quamquam Alschefskio non solum Carvilii consilia rebus a Papirio gerendis, sed etiam tota Carvilii castra interfuisse recte dici videntur); itaque omnes ante Alsch. editores id sustulerunt, Weissenbornius uncis sæpsit. Sed nihilo cetera meliora; nam res et certamen profertur, etiam summa rerum et exitus profertur; sed omnium rerum eventum proferre et proferre in dies nihil est; nec intellegitur, quo spectet etiam parvarum rerum mentio; nec sententia, si quæ est, cum proximis cohæret. Rectam formam sententiæ Forchhammer restituit, qui vidit significari omnium, quæ apud Papirium agerentur, eventum in altera castra perlatum esse, ut eius consilia intervenire possent; tantum in dies reliquit, non recte pro quotidie positum, quod ego (1875) correxi. Restabat vitium in quod quum; nam quod non habebat, quo referretur, et diem absumendi actio incepta remissaque pravissime dicitur. Pro eo quodcunque scribendum, quod alibi quoque me corruptum restituisse memini. Apparet aptissime significari, nihil in Papirii castris coeptum remissumve esse, cuius non eventus, etiamsi parvum esset, in Carvilii castra perferretur. Sic igitur totus locus scribendus: Quodcunque inciperetur remittereturque, omnium rerum, etiam parvarum, eventus perferebatur **inde in** altera Romana castra, quæ — aberant, et absentis cet. (1861.) [Prorsus mire Weissenbornius in eo hæret, quod § 8 nuntius ad Carvilium missus „tanquam novi aliquid nec ante factum“ commemoretur. Ubi hoc ulla ex parte a Livio significatur?

Et quidni, etsi res apud Papirium gestæ subinde ad Carvilium perferebantur, separatim narrari possit, maturo tempore a Papirio nuntium certum, quid in animo esset agere et quid a Carvilio fieri cuperet, missum?] § 7 sine dubio addenda præpositio in ante m, ut scribatur: quo in maiore discrimine res vertebatur, collatis iis, quæ ad XXIII, 29, 7 dixi, comparatisque VI, 36, 7 et XXIX, 7 init. (1861.)[1])

Cap. 40, 6: (L. Papirius consul, postquam de re a perfuga indicata ad collegam nuntium misit) ipse signa ocius proferri iubet, subsidiaque suis quæque locis et præfectos subsidiis attribuerat; dextro cornu cet. Vitiose que ita ponitur, ut brevi et universæ
(196) significationi exercitus in aciem educti adiungatur copulative prima pars expositionis rerum ante pugnam præparatarum, quum præsertim ipso verbi tempore rediri ad superius tempus indicetur: subsidiaque — attribuerat. (Alschefskius exemplo inepto utitur.) Scribendum igitur: proferri iubet. Subsidia suis quæque locis cet. Unde que ortum sit, ex M intellegi posse videtur, in quo est: Subsidiaque suis quæ locis cet. (Paulo post (§ 8), ubi scribitur: Sp. Nautium mulos, detractis clitellis, cum cohortibus alariis in tumulum — circumducere iubet atque inde—, quanto maxime (scr. maximo) posset moto pulvere, ostendere, scribendum puto pulvere,

---

[1]) Eodem cap. § 15 (in Papirii cohortatione militum) mendum esse in his verbis: deos immortales adesse propter toties petita foedera, toties rupta; tum, si qua coniectura mentis divinæ sit, nulli unquam exercitui fuisse infestiores quam qui cet., ostendit particula tum prorsus perversa; neque enim novi quidquam (præterea) additur; aliter autem accipi nequit. Deinde di non recte dicuntur adesse propter foedera rupta, omisso eo, in quo sententia vertitur, quo animo adsint. Sed emendationem non reperio; nam toties rupta irates; si qua cet. prorsus violentam et incredibilem mutationem habet.

se ostendere. Neque enim mulos ostendere debebat, sed, illorum conspectu pulvere sublato, speciem exercitus et maxime equitum obiicere. Mendum Dukerus senserat. 1861.) Postremo (§ 12), ubi legitur: insequitur acies ornata armataque, ut hostium quoque magnificum spectaculum esset, quoniam hostium spectaculum (addito præsertim adiectivo) pro eo, quod hostibus præbetur, valde incommode dicitur, scribendum est aut cum Glareano hostibus aut hosti. Eodem modo pro hosti aut hostibus in codicibus scriptum est hostium lib. IX, 37, 3: Deinde instructa (acies Etruscorum) primo suo stare loco, relicto hostium ad instruendum contra spatio, ubi nunc editur hostibus.

Cap. 41, 5: Sp. Nautius (Octavium Mæcium quidam eum tradunt), dux alaribus cohortibus, erat; pulverem cet. Possitne aliquis dux cohortibus pro cohortium appellari (non dux iis esse dici), admodum dubium est; id certissimum, subiecto erat, non posse dativum ab erat divelli et sic accipi; et tamen manifestum est, non id hoc loco a Livio dici, quibus dux Nautius fuerit, sed Nautium fuisse, qui cum suis adveniret. Itaque Kochius coniecit: cum alaribus cohortibus erat; sed mutatio violenta videtur. Verum alariæ, non alares cohortes supra (c. 40, 8) appellatæ erant, nec alia forma eius adiectivi aut Livius aut Cæsar utitur. Itaque in duxalaribus latet sine dubio alia appellatio eodem spectans, auxiliaribus; ex eo quum factum esset dux al., extrusa est præpositio, quum fuisset: — **cum auxiliaribus** cohortibus. (1875.) Superest in § 10 alia suspicio. Ibi de Samnitibus postremo Romanorum impetu perculsis scribitur: Tum iam deorum hominumque victa vis; funduntur linteatæ cohortes; pariter iurati iniuratique fugiunt nec quemquam præter hostes metuunt. Itane vero? Victa est ab Romanis deorum vis pro

Samnitibus stans? Imo, inquit, victus metus deorum et memoria occulti sacri diræque exsecrationis, quæ hactenus Samnites a fuga retinuerant (§ 3 sqq.) quæque ipsis illis verbis: nec quemquam præter hostes metuunt
(197) aperte significantur. Atqui ea superstitio, quæ deorum metu attonitos tenebat nec cum bona spe alacres ad pugnandum faciebat (§ 4), longe ab ipsorum deorum vi diversa est. Deos Romanis præsentes adesse et favere Papirius interpretatus erat et milites docuerat (c. 40, 13 et 14). Hoc Livium secutum esse suspicor, ut solet religionem cum Romanæ gloriæ amplificandæ studio coniungere, scripsisseque: Tum iam deorum hominumque victæ vi funduntur linteatæ cohortes. (Victa ui P et deteriores aliquot veteresque edd.)

Cap. 43, 13 superest unum etiam nunc additamentum tollendum, quod in codice archetypo huius decadis Livii verbis cum summo sententiæ detrimento ac potius interitu insertum est. De Samnitibus enim, qui, quum proeliis ad Cominium et Aquiloniam non interfuissent, Romanos timentes errabant, sic scribitur: Prima luce incerti, quam in partem intenderent iter, repente in fugam consternantur conspecti ab equitibus, qui egressos nocte ab oppido (Aquilonia alio, vid. c. 42, 4) Samnites persecuti viderant multitudinem non vallo, non stationibus firmatam. Conspecta et ex muris Aquiloniæ ea multitudo erat, iamque etiam legionariæ cohortes sequebantur. Consternantur in fugam homines, non quod conspiciantur ab equitibus (quod ipsi plerumque ignorant), sed, si valde timidi sunt (ut hi tum erant), quod equites hostium conspexerunt, aut, si paulo minus, ab equitibus incursantibus (itaque etiam Weissenbornius potius exspectari dicit: conspectis equitibus). Ridiculum deinde prorsus est: conspecti ab equitibus, qui eos viderant; ipsa enim hæc est multitudo non

vallo, non stationibus firmata. Omnia recta erunt sublato conspecti, ut scribatur: in fugam consternantur ab equitibus, qui cet. Apertum est autem, unde natum sit huius vocis addendæ consilium. Sequitur enim, præter equites illos, qui in Samnites visos incurrerunt, etiam alios Romanos, quum eosdem ex Apolloniæ muris conspexissent, ad eos opprimendos exisse. Propter hæc igitur verba: (198) Conspecta et — ea multitudo, quæ apud Livium respondent illis: qui — viderant cet., interpolator iam ante poni debere putavit conspecti.

Cap. 44 piget pæne dicere et § 2 emendandam esse orationis interpunctionem (hoc modo: eodemque die Aquilonia et Cominium deflagravere et consules — castra coniunxere) et § 6 (Consilium inde habitum. Quum iam tempus esset deducendi ab Samnio exercitus aut utriusque aut certe alterius, optimum visum cet.). (Sed in his ipsis verbis insolitum esse deducendi ab Samnio Weissenbornius animadvertit. Non dubium videtur, quin pro **ab** scribendum sit **de**, qua vocula post di extrita illa prave suppleta est. Cap. 46, 1 recte scribitur: exercitum de Samnio deduxit. Cfr., quæ dixi ad Cic. Fin. IV, 56 p. 562. 1875.)

Cap. 46, 6: auctaque ea invidia (quod in L. Papirii triumpho nihil ex præda militibus datum erat) est ad plebem, quod tributum etiam in stipendium militum collatum est, quum, si spreta gloria fuisset captivæ pecuniæ in ærarium illatæ, et militi tum dari ex præda et stipendium militare præstari potuisset. Particula tum nihil habet, quod agat, quoniam de nullo alio tempore cogitari potest; dari sic absolute, nullo addito subiecto (militi ex præda datur), dici nequit. Manifestum est, in tum latere substantivum contrarium stipendio. Id aut donum aut

munus esse potest: et militi donum dari ex præda et stipendium militare præstari potuisset.[1]) Paulo post (§ 8) scribendum est: sed sociis etiam coloniisque (pro colonisque) finitimis, quemadmodum I, 52, 2 video nunc recte edi; nam apud Latinos coloni singuli appellantur, populi civitatesque coloniarum nomine, non colonorum, significantur.

[1]) [Fuit nuper, qui præstare de cautione in posterum accipi vellet, quæ cautio qualis cogitari possit et a quo postulata, non intellego. Apparet, tum scribendum fuisse: stipendium militare et tum dari militi et in posterum præstari; etsi ne sic quidem recte diceretur præstare stipendium; aliter enim damnum, periculum præstatur.]

EMENDATIONUM LIVIANARUM (199)

PARS SECUNDA

LIVII LIBRORUM DECEM A VICESIMO PRIMO AD TRICESIMUM EMENDATIONES CONTINENS.

PROOEMIUM.[1]

Librorum Livii a vicesimo primo ad vicesimum quintum instrumentum criticum ad æstimationem et usum prorsus simplex est; in ceteris tertiæ decadis libris ad eam auctoritatem, quæ in illis sola regnat, adiungitur alter sui iuris testis, sed qui rarius et quasi e longinquo in comparationem veniat. Itaque primum de illa auctoritate dicendum est, qua per omnes libros præsenti et, si parvas quas-

[1] [A. 1860, animo in prioribus quinque libris defixo, captus codicis Puteanei splendore, quum non satis attendissem, quas in posterioribus libris scripturas a Rhenano e codice Spirensi depromptas ipse cum ceteris tenerem a Puteaneo deflectentes, per totam decadem eodem modo solum dominari cod. Put., ceterorum sine exceptione parentem, disputavi; quæque contra proferebantur, nimis pertinaciter sprevi, de lacunarum duarum maiorum supplementis temere Weissenbornio assensus, in quo etiam Hertzio nonnihil iniuriæ feci. Eum errorem, qui tamen in singulis tractandis nihil fere præter illam supplementorum damnationem attulit damni, nunc correxi, reficto hoc prooemio, usus iis, quæ primus Heerwagenius in commentatione critica de T. Livii XXVI, 41, 18 — 44, 1 (Norimbergæ 1869) docte et vere disputavit, tum quæ Halmius in nuntiis academiæ Monacensis a. 1869, II p. 580 sqq., Studemundius et Mommsenius in Analectis Livianis p. 6 sqq. et 32 sqq. exposuerunt.]

dam partes excipimus, perpetua utimur, in prioribus autem libris omnia dirigimus. Nam codex ille decem horum librorum, qui olim Claudii Puteani fuit et ab eius nomine sive Puteaneus sive Puteanus appellatur[1]), servatur autem in bibliotheca Parisiensi, non solum antiquitate ceteros huius decadis codices superat, ut videtur, etiam illum in posteriore parte æmulum (nec huius modo decadis, sed, excepto quintæ Vindobonensi et fortasse Moguntino quartæ, etiam reliquarum; putatur enim sæculo octavo ineunte scriptus esse), sed ita in priore parte omnes reliquos, in altera longe plurimos sibi adiunctos habet, ut aut, quod longe veri similius est, ex illo ipso aut ex plane gemello ducti esse
(200) videantur nec ab eo nisi erroribus novis aut interpolationibus et coniecturis (interdum bonis et rectis in rebus facilibus et parvis) differre. Certe non memini ullum esse in quinque prioribus libris locum, ubi vestigia verioris et antiquioris scripturæ in eo obscurata sic in aliis emergant propria forma, ut ex codice simili illo quidem, sed tamen non iisdem semper locis nec eodem modo aberrante servata esse probabile sit; contraque apertissime omnes a mendis Puteanei pendent.[2]) Ea coniunctio (quæ eminet, ut hoc utar, in lib. XXII c. 32, quod omnia ea, quæ nunc inde ab ed.

---

[1]) Puteaneum superioris ætatis philologi appellarunt, adiectivi a nomine proprio ducti forma non sane nisi poetis usitata; nuper Puteanum appellare coeperunt; sed hæc quoque translatio nominis adiectivi forma ficti ab ipso homine ad rem cum homine coniunctam (quemadmodum colonia Traiana dicitur) rara est et inferioris ætatis; itaque non putavi tanti esse ab Io. Fr. Gronovii appellatione discedere, etsi Alschefskius (vol. III præf. p. X) narrat Parisinos hunc codicem Puteanum vocari voluisse, ceteros Puteaneos, nescio quo lusu.

[2]) [Probabile sane est, eos codices, qui in posterioribus libris origine cum Spir. coniuncti sunt, etiam in priore parte separatæ a Put. originis esse. Sed ex illis codd., qui omnino pauci sunt, vix unus aut alter (Harleianus) collatus neglegenter est, tantumque omnes ex stirpis a Put. ortæ mendis et interpolationibus sumpserunt, ut nihil omnino certi ac proprii testimonii hic saltem restet.]

Frob. 1531 recte initio capitis leguntur § 1 et 2: Consules Atilius — non veniebant, transposita et inserta sunt post § 3 inter bellum gererent et Quum ad Gereonium, nullo codice discedente) stirpisque propagatio sensim ab origine degenerantis qualis sit, breviter declarari potest; tota enim res prope in uno eoque facillimo exemplo perspicietur, quod ex libro XXII, 28, 4 sumam, qui locus etiam nunc in editionibus depravatus circumfertur. Nam quum Livius sic scripsisset: causam certaminis cum Minucio, quem procursurum ad obsistendum satis sciebat, contrahere, delecto verbo (procursurum) ad vehemens Minucii ingenium declarandum apto, in P (— sic enim deinceps nomen notabo —) aut etiam in codice eius parente, addita facillimo errore una littera, scriptum est per ocursurum (una littera c); deinde in Colbertino, addito altero c, effecta Latina vox est, sententia structurave nulla: per occursurum; hinc in ceteris omnibus (ab unius hominis correctione) natum, ut aliqua esset structura et sententia: semper occursurum, quod omnes hodie quoque tenent, pravissimo adverbio, quoniam non de re sæpe semperve, sed semel, quum Hannibal tumulum cepisset, futura agitur. (A Mediceo semper „exsulare" Drakenborchius dicit; fieri potest, ut librarius omiserit litteras sensu carentes; sed multo probabilius est, in eo, ut in gemello C, scriptum fuisse per.) Atque hic error longius serpere extra P coepit; contra in libro XXI, 46, 6 in P prima manu scriptum est: iam magna ex parte addes pugna iuerat (Alsch., pugna uierat Gron.), una syllaba, ut sæpe in hoc codice, omissa, quam Gronovii acumen retraxit (ad pedes pugna iverat aut venerat); sed in ipso codice altera manus infelicem coniecturam secuta effecit: anceps pugna iverat. Hinc in ceteris (etiam MC), addita sententiæ causa altera coniectura, natum: (201)
anceps pugna erat. Alibi autem in recentibus demum codicibus emendationis conatus apparet. Quod autem et (204)

libri XXI ab initio et libri XXX extremi pars aliqua in Puteaneo deest, quæ in ceteris codicibus est (etsi etiam Med. in fine mutilus est), apparet post codices alios inde descriptos prima et extrema folia, ut fit, casu et neglegentia aut vi denique intercidisse. [De antiquioris originis lacunis et transpositione aliqua dicam paulo post.] Itaque, his partibus exceptis, ubicunque de codicis Puteanei scriptura constat, in quinque quidem prioribus huius decadis libris ad eum unum, ceteris omnibus, etiam antiquis et reliquorum turbæ longe præstantibus, posthabitis, omnis veræ scripturæ existimatio et exquisitio referenda est (nisi forte quid olim in eo perspicuum nunc evanuit), in quinque posterioribus cum ea, quæ mox commemorabitur, exceptione. Usus est autem primus eo codice Io. Fr. Gronovius cum summo Livii fructu, adhibito ingenii acumine, sed scripturas illius ætatis more, quum ipse, ut in præfatione testatur, nullum non apicem persecutus esset, tantum excerptas, e quibus ipse emendationes suspicionesque duxerat, evulgavit. Addidit paucas Drakenborchius a Sallerio subministratas, quasdam Creverius, neuter sine erroribus. Nostro autem tempore omnem scripturæ varietatem in tribus primis libris Alschefskius a se enotatam edidit (satis molesta forma), in sex proximis (a XXIV ad XXIX), a G. Beckero diligenter descriptam, Weissenbornius; in libro XXX Alschefskius, quum eum librum separatim ederet, usus erat scripturis ab E. Millero enotatis easque incommodissime discerptas non omnes edidit, supplevit autem postea ipse quædam et correxit, quæ Weissenbornius ita composuit, ut tamen aliquid in hoc libro ad plenam cognitionem desit.[1])

Desunt nunc, ut iam dixi, codicis P folia aliquot in initio et fine, in quibus erant libri XXI capita quadraginta et pars quadragesimi primi, nisi quod duo folia remanserunt, quæ continent c. 20, 8 ad 21, 13 et c. 29, 6 ad 30, 11, libri autem XXX pars fere tertia a c. 30, 14, nisi quod hic

[1]) [Cfr., quæ exposuit Woelfflinus Hermæ vol. VIII p. 361 sqq.]

quoque mansit folium unum continens c. 37, 3 ad 38, 2. In his igitur partibus eorum codicum auctoritate standum est, qui illi proximi sunt, e quibus supra ceteros eminent Mediceus (M) sæc. XI (in libr. XXX, 26, 10 deficiens), cuius (205)
scripturas a Salvinio satis neglegenter excerptas Drakenborchius (apud quem Florentinus appellatur) vulgavit, partem priorem libri XXI iterum Alschefskius contulit, et Colbertinus (C, Parisiensis, sæc. XII), cuius scripturas Alschefskius in libris XXI, XXII, XXIII integras dedit a se ipso, in libri XXX ea parte, quæ in Puteaneo desideratur, plerasque a Millero notatas. His adiungitur Bambergensis (B) aliquis (a libri XXIV c. 7 ordiens), cuius scripturas in aliis libris Fabri, in extrema parte libri XXX eodem modo Alschefskius vulgavit. De Cantabrigiensi, a Iacobo Gronovio hic illic inspecto, etsi ad meliores inclinat, incertum est iudicium, usus perexiguus. Ceteri, qui innotuerunt, (præter Spirensem in libris posterioribus) recentes omnes, nullum usquam momentum faciunt; interpolationibus temerariis intermixtas habent hic illic minorum mendorum veras correctiones.

Codicis Puteanei præstantia cernitur non peritia librarii (ipsius, qui hunc scripsit, aut eorum, quibus successit) ac ne diligentia quidem aut religione eiusmodi, quam nonnullorum opinione et oratione huius et similium codicum librariis tribui video, sed quum ipsa antiquitate, hoc est, errandi causa minus multiplicata, tum vero maxime ea, quæ cum ætate coniuncta est, errandi atque etiam interpolandi, ubi interpolatio intervenit, simplicitate et prima forma. Nam ex præstantissimo hoc, si cum ceteris comparatur, ad criticum usum codice intellegi potest, quam vitiosi ante mille annos iam fuerint scriptorum Latinorum codices; et quemadmodum et lacunas et foliorum transpositiones non in Puteaneo ipso ortas, sed iam in codice eius parente fuisse videbimus, sic etiam scribendi errorum bona pars antiquior Puteaneo fuisse potest. (Exemplum novi mendi in eo aut iam ante eum ex antiquioris correc-

tione orti demonstrabo in lib. XXII, 16, 4.) Omnino autem, qui recte et sine superstitione uti optimorum codicum auctoritate volent, ii a singulis locis, in quibus dubitatur, animum referre debent interdum ad totam illam orationis formam, quæ continua in codicibus offertur, ut meminerint, (206) quantum ubique sordium et robiginis detergendum sit. Velut (nam exemplo uti libet) initium libri XXII (ne quis selectum studiose exemplum putet) in codice P sic scribitur, nisi quod verba ex continua scriptura separo et interpunctionem addo: Iam vero adpetebatque Hannibal ex hibernis metuit et neque eo qui iam ante conatus transcendere Appenninum intolerandis frigoribus et cum ingenti periculo moratus ac metu. Gallis, quos prædæ populationumque consciverat spes, postquam pro eo, ut ipsi ex alieno agro raperent acgerentque, suas terras sedem belli esse præmiique utriusque partis exercituum hibernis viderent, verterunt retro Hannibalem odia; nec quicquam ex his mendis in optimis secundum illum codicibus (CM), a prima quidem manu, vitatur præter acgerent, quod in P altera manus correxerat, et præmii. Primorum verborum emendatio (Iam ver adpetebat; itaque Hannibal ex hibernis movit) Vallæ et Woelfflino debetur[1]) (reperitur etiam aut tota aut ex parte in uno et altero codice Vallæ ætatem non superante; nam et Poggius et Leonardus et Carolus Aretini quum et movit restituerant, ut appareat, unde hi codices pendeant), Vallæ etiam nequicquam. Galli et viderunt (pro quo viderent Weissenbornius retinuit, usus exemplis, in quibus plusquamperfectum coniunctivi apud postquam reperitur, et ipsis valde dubiis) in cod. C altera manus scripsit transieruntque correctiones in ceteros; conciverat et in Hannibalem ignotis recentiorum codicum emendatoribus de-

[1]) Valla scripserat quum Hannibal, Woelfflinus itaque restituit.

bentur (in deest etiam in Pal. 1, Harl., Lov. 1, 3). Itaque facile erat ex Puteaneo exempla colligere et exponere eorundem errandi generum, quæ in ceteris antiquis codicibus reperiuntur; nam et m in fine vocum additur detrahiturque (vid. ad XXIII, 3, 3), et litteræ male geminantur aut semel pro geminatis scribuntur, et syllabæ et verba bis ponuntur (etiam bina, ut XXII, 36, 3 equitum darent equitum darent et XXIII, 16, 12; nam XXIII, 26, 8 et 30, 11 simul correctio adhibetur, cædes pro cæde et patris pro puris), et voces ad proximas casu, genere, numero accom- (207)
modantur (ut XXIII, 33, 12: cum quibus regibus pro cum quibus regi, ubi inutilis et verborum ordine prava est Weissenbornii coniectura, XXVIII, 33, 16: ad partem pugnæ capessendæ pro capessendam, XXX, 32, 2: quibus adversæ pugnæ fortuna fuisset pro adversa, ut I. Perizonius et Dukerus scribendum viderunt; Weissenbornius pravæ scripturæ rectæ formæ exempla tanquam similia apponit; XXVII, 12, 2 detineret pro detinerent, quod sequitur oppugnaret), et litteræ et syllabæ omni genere etiam in verbis notissimis permutantur et confunduntur (ut XXII, 23, 9 caucalegiquæratratectainstituiseserant, ex quo, altera manu in P præeunte, in CM ceteris ortum: pauca legi qua erat tecta institui senserant pro: pauca reliquerat tecta, in stativis erat, quod Gronovius restituit).[1]) In quo illud diligenter animadvertendum est, librarium non raro, dum, omissis litterarum ductibus et aciei intentione, speciem animo oblatam Latini verbi sequitur, etiam cum syllabarum detractione et adiectione, ea effecisse, quæ mentem a vero longe abducant et quæ non sine gravi et libera medicina corrigas, quale (ne vero et præmii ex initio libri XXII commemorem, quæ facilia sunt) est in XXII, 16, 4 fortuna minas saxa pro Formiana saxa, emendatum a Sabellico

---

[1]) Prorsus sine causa et prave Weissenbornius haud pauca scripsit.

(ubi error, geminato s, coepit a *mianas* in *minas* mutato, deinde iam, interpolatione ad errorem accedente, ex *for* factum est *fortuna*), et minus mirum, quod tamen hactenus fefellit, XXII, 14, 14 *armari* pro *arma*, et maiora difficilioraque, quæ lib. XXIV, 45, 3 et 4 emendabo (*polli VII uirali iudicio* pro: *polliceatur, aliunde* cet.), aliaque permulta, quædam etiam nunc emendationem exspectantia. Sed satis est, opinor, hæc universe demonstrasse. Illa tamen addenda. Verborum transpositiones manifesto pravas in codice P longe frequentiores esse, quam in primæ decadis archetypo fuerint, ostendam ad
(208) XXII, 2, 6. In uno præcipue genere perneglegens aut codicis P librarius aut eius, quem secutus est, codicis fuit, in verbis singulis pluribusve omittendis, quarum lacunarum alias in posterioribus libris codex Spirensis certo supplemento, alias ii, quorum correctiones per recentiores codices pervagantur, non inscite expleverunt. Hanc Puteanei labem quum Gronovius non satis perspexisset, non raro inutiliter ingenium torsit. Creverius, quum sero attendere coepisset, ad XXIX, 9, 5 scripsit, ad libros XXVIII et XXIX maxime id pertinere; sed in omnibus æqualiter libris eam neglegentiam deprehendi, ostendent hæc ex uno libro XXII exempla: c. 3, 9; 15, 5; 21, 7; 31, 11; 36, 4; 39, 21; 54, 7; 56, 1; 57, 1; 59, 19; 61, 10, quæque ex brevi spatio libri XXVII ad eius libri c. 5, 6 collegi; neque ea res Weissenbornium fefellit. Quamquam uno et altero loco particula *que* iniuria unius ex duobus vocabulis omissi suspicionem movit; nam ea interdum manifesto errore addita est (XXII, 27, 4, XXIII, 14 extr., XXV, 40, 6, XXVI, 17, 3; itaque dubia res est etiam XXIV, 20, 13 et 24, 3, XXV, 14, 8 et 16, 3, XXVI, 7, 6). Verum præter hos neglegentiæ errores non afuit a Puteaneo ipsa illa interpolatio, quæ pravam opinionem secuta deliberato animo scripta aut addendo auget aut mutat. Additamenta ego coargui XXIII, 37, 11, XXV, 31, 11 et 37, 11 et (post Alschefskium) XXX, 23, 4, XXIV,

25, 2 Gronovius (*fecisse*), XXX, 27, 5 Creverius (*imperator*); XXX, 21, 9 (*nec esse fuit, qui deis grates agendas censeant*) iam in recentioribus aliquot codicibus abiectum est *fuit*, additum inconsiderate, quum *necesse* pro una voce acciperetur. (Frustra Weissenbornius alia anquirit.) [XXVIII, 40, 5 apparet Rhenanum in tollendo *modo* secutum esse S.] Nec dubitandum, quin XXI, 19, 9 *Saguntini* et 25, 5 *incertum* etiam in P fuerint, quoniam et CM et ceteri tenent, hoc quidem posterius et alterum in eodem libro c. 44, 9 (*destinatum*) prorsus ex eodem genere, ex quo nata erant illæ in prima decade duplices scripturæ, hoc est, ex vocabuli a Livio positi cum interpretamento coniunctione.[1]) Mutationis consilio et errore factæ iam exemplum erat in loco supra posito XXII, (209) 16, 4 (*fortuna*, quum semel scriptum esset *minas*); alia paulo occultiora aperiam XXI, 57, 2 et 3 (ubi, structura non intellecta, pro accusativis duobus ablativi substituti sunt) et aliis locis. Et tamen hæc nec multa sunt et, ut ante dixi, simplicia; nam librarius id, quod offenderat, proximo et rudi remedio expedivit, de tota loci forma parum cogitans; eruditiores illi homines, qui renascentibus litterarum studiis menda iam longius detorta emendare conabantur, ut legi et intellegi codices possent, facilius fallerent, nisi antiquiorum codicum testimoniis convincerentur; et diu multisque locis fefellerunt.

[Sed codex Puteaneus, ut iam dixi, in quinque prioribus libris solus regnat; in posterioribus regnum prorsus partitum haberet cum codice Spirensi, si is exstaret pleneque conferri posset; nunc partitur, ubi de Spirensi constat. Eo codice ab initio et in fine mutilo (ita ut libri vicesimi sexti pauca folia, quorum primum c. 30, 9 ad 31, 2 continebat, nec continua superessent, tricesimi nihil post initium cap. 16)

[1]) Aliud genus duplicis scripturæ, quo librarius errorem suum corrigit, commemorabo ad XXII, 28, 9.

B. Rhenanus in editione Frobeniana a. 1535 usus est pro illius ætatis modulo perdiligenter multaque ex eo nominatim (ita ut etiam non raro a codicis scriptura suam coniecturam inde ductam separaret), nonnulla minora tacite emendavit; atque earum emendationum permultæ aut plane cum codice Puteaneo, ceteris codicibus deflectentibus, consentiunt aut proxime accedunt (ut XXVI, 51, 7 ex Spir. profertur acuebant urbs ipsa, e P litteris distractis, una tantum aliter scripta, acuebanturp sipsa), aliæ autem ita a Puteaneo discrepant, ut, quæ quidem paulo notabiliores sunt, certissimam habeant propriæ ex alio fonte originis, sæpe etiam aut ipsius veritatis aut vestigiorum ad eam ducentium notam (velut XXVI, 48, 7 in S erat Læliusque tectus classis, ex quo fit, quod inde a Rhenano editur: Lælius, præfectus classis, in P Lælius classis, ibd. 51, 8 in S dux cuncta, in P mendose data cuncta, XXVII, 13, 9 in S destituit, in P destitui iussit; verum esse solum destitui, quod Gronovius intellexerat, confirmat cod. palimpsestus Taurinensis, de quo statim dicetur; c. 17, 11 in S amorem hominum, hoc est morem hom., in P nomen hominum, vocabulo prave ex superiore versu repetito, c. 20, 9 in S captum astu magis, in P captu magis, omisso vocabulo rariore, pro quo in codd. recentioribus suppletum est ingenio, c. 47, 9 in S duces parum intente asservati, in P duces parum inte adservat, XXVIII, 5, 9 in S res sineret, in P mendose resideret, c. 13, 10 in S nunquam proelio quod insequentis dies, ex quo recte Rhenanus nunquam per aliquot insequentes dies, in P aliquotiens sequentis dies, omisso nunquam, quapropter in editionibus post additur non). Ac feliciter accidit, ut saltem in brevi aliquo loco perpetua utriusque codicis comparatio fieri possit; nam codicis Spirensis, qui quando quove casu interciderit, ignoratur, unum folium, quod libri XXVIII particulam a c. 39, 16 ad c. 41, 12 continet, ante paucos annos a C.

Halmio in bibliotheca Monacensi repertum est, eiusque omnem varietatem ab Halmio enotatam iterum Th. Mommsenius in Analectis Livianis (p. 50 sqq.) evulgavit cum aliorum codicum 82 scripturis compositam.[1]) Ea comparatio prorsus confirmat, Puteaneum et Spirensem, quum antiquitate et fide religioneque et interpolationis nisi primæ et simplicissimæ immunitate ceteros communiter vincant et in eodem dignitatis gradu ponendi sint, tamen stirpe et origine diversos suis utrumque locis verum, altero aberrante, conservare, sæpe eo discrimine, ut, dum modo novi recentiorum errores et temerarii corrigendi conatus removeantur, non ita difficili coniectura ab eo, quod in altero minus recte scriptum sit, ad id, quod in altero legatur, perveniatur, interdum maiore; esse etiam, ubi uterque in mendis manifestis consentiat; in uno genere, in vocabulo uno aut altero festinatione omittendo, videri sæpius in P aut eo, unde is ortus sit, aberratum.[2]) Atque hanc codicis S a P

[1]) Ipsius codicis Spirensis illud folium esse, quis primus agnoverit, nescio; apparet id ex summa cum iis, quæ Rhenanus in hoc loco e Spir. protulit, conspiratione, etiam in iis, quæ in nullo alio codice reperta sunt, velut c. 40, 2 transportasset.

[2]) Spirensis Puteaneo integrior est his locis (omitto prorsus nullius momenti in una alterave littera aberrationes, ut in P scriptum serutio, consularibus, fastidius pro seruitio, consulatibus, fastidium, in S Capitolia, aferte, auditus pro Capitolio, aperte, auditum, etiam in P 40, 9 aetmelatio pro æmulatio, 41, 1 uam pro tuam, etsi ex utroque longius error serpsit et interpolatione occultatus est, in S 39, 21 sanguinis pro Saguntinis, similia): c. 39, 16 (videtur, P videretur), 20 (in senatum introductæ, P om.), c. 40, 1 (de rep. de, P deferde), 2 (transportasset, P transportaret, quod editur), 5 (non senatorem qui, P non sen. modo qui, vid. infra p. 335), 7 (appellent, P appellant), 10 (quod fando, P quo f.), 13 (negata fuerit, P negotia fuerit), c. 41, 1 (bono publico proponam, id est, præponam, P om.), 2 (faceret, P feceres, sine dubio etiam ire, P, ut editur, isse, minus apto tempore), 8 (patrati, P parati), 9 (quam, P om., sed S prave ita pro Italia); contra Puteaneus præstat c. 39, 18 (alia

separationem paremque cum eo dignitatem singulari testimonio confirmant folia palimpsesta Taurinensia, quæ quum ad Livium pertinere ante non multos annos C. B. de Vesme iudicasset, ea, quæ in sex ex septem (octavum iam non comparet) legi poterant, perexigua frustula libri XXVII et XXIX eruit et edidit Gu. Studemund (Anal. Liv. p. 6 sqq.). Nam præterquam quod minora quædam, quæ Rhenanus e Spir. in ordine verborum novarat, a P discedentia, eodem ordine in T (sic enim appellemus) scribuntur (XXVII, 13, 9 pedites equites, 10 armati ornatique, c. 34, 3 multis ante annis), et præterquam quod XXVII, 13, 9 ne is quidem alterum iussit habet, in c. 34, 13, ubi in P scribitur, vocibus aliquot omissis, pro noxium comperissent, T prorsus eadem præbet, quæ Rhenanus ex S protulerat: pro malo ac noxio damnassent, si noxium comperissent.[1]) Commemoranda denique est propria et insignis codicis S non dico præstantia (neque enim ad fidem

eis, S alii *aliis), 19 (præberi iussa, S præbere iussa, errore ex præberiussa orto, vid. p. 57), c. 40, 6 (opinionem, S opinationem), 7 (dum me, hoc est, dum ne aut dum me ne, S dum me non), 9 (liberet, S liberat), 11 (aliorum, S aliquorum), 12 (æmulatione, id est æmulationem, S æmulationes e correctione), 13 bis (iam vivendo, S videndo iam, tum parta, S parata, sed 41, 6 S recte partam, P paratam), 14 (ego, S ergo), c. 41, 1 bis (ignoscere, S cognoscere, tum rem publicam, S re imperatorum), 3 (si, S nisi), 8 (accingeris, S hæc ingeris). Dubitari potest de c. 39, 19 (P muneris dari ne minus dena, S muneris ergo in singulos dari dece), c. 40, 2 (P neque aliter id fieri, S neque id aliter finiri), c. 40, 10 (S ad pop., P apud pop.). Manifesta menda uterque habet c. 40, 10 (inspectante pro insectanti) et 41, 10 (nobis pro novis). In libr. XXVII, 33, 10 et 34, 8 non nominatim citatur Spir. in anno et præbuit, quæ verba in P exciderunt; sed tenent utrumque codices, qui Spirensi proxime adhærent. (Confirmat utrumque Taur.)

[1]) De foliis his palimpsestis tantum addam: Una est notabilis scriptura ab omnibus ceteris codicibus discedens XXVII, 13, 7 ademisset pro abstulisset, unus proprius error c. 34, 12 in omittendo, si spatii indicio credimus, verbo offerre, duo ad eam, quam

et religionem pertinet), sed felicitas, qua a P separatur. Nam in P duæ sunt maiores lacunæ, altera in libro XXVI post verba sine meo luctu quam c. 41, 18 (usque ad c. 44 init.), altera in libro XXVII post verba in c. 2, 11 tumultuosa magis proelia (usque ad c. 3, 7), non in ipso hoc codice evulsis aliquot foliis ortæ (nam in medias codicis paginas lacunæ incidunt, prior etiam spatio aliquot litterarum capaci notata), sed in antiquiore. Ac prior lacuna in codicibus multis e P ortis ineptissimo supplemento paucorum versuum utcunque occultata est: quam vestro transisssent (quasi milites non luxerint cladem et mortem imperatorum suorum). Sed quoniam vos instructos et ordinatos cognosco ceteraque, quæ in editionibus (etiam, quod indignor, nostra) leguntur c. 43, 9 et 10 et c. 44, 1, sublato etiam verbo, quod in P post lacunam primum est, armaverat, idque supplementum primæ Livii editiones solum habent. Sed in S Rhenanus in foliis libro XXVII interpositis non ille quidem omnia, quæ exciderant (nam et initio quædam et in fine ante c. 44 plura deerant), sed tamen bonam partem invenit, ea, quæ in editionibus a c. 41, 18: Nunc dii immortales usque ad c. 43, 8: Hispaniæ imminet Africa leguntur. In codicibus autem recentioribus e S derivatis, sed alterius stirpis interpolatione inquinatis (de quo statim dicam) genuina hæc Livii pars, quæ orationis et rerum forma omnes antiquitatis notas habet, cum ficto illo supplemento conflata sic est, ut initio perversum illud quam vestro transissent, reliqua (Sed quoniam vos cet.) fini adiungerentur [1]), atque ita hæc conflata primum in

supra (p. 40 huius edit.) e consensu codicum Nicomacheorum et Veronensis monstravi, pusillorum mendorum in antiquissimis codicibus propagationem confirmandam memorabiles errores cum P communes. Nam XXVII, 13, 4 et in P et in T pro fatigastis est fatigatis, addito supra versum s, et § 6 in utroque scribitur cum exercitu me loqui pro meo, quod in T corrector effecit.

[1]) Vid., quæ singulatim exponit Mommsenius Anal. Liv. p. 38.

editione Ven. a. 1498 typis vulgata sunt, scriptura in Livianis sæpius ab S aberrante. Ea copulatio atque codicis Spirensis et Rhenani adnotationum oblivio effecit, ut Weissenbornius totum hunc locum damnaret tanquam ab Italo aliquo renascentium litterarum tempore compositum meque in eandem opinionem pertraheret, ne quid scilicet obstaret, quo minus etiam in his quinque posterioribus libris omnes codices e P orti iudicarentur, quam suspicionem totam primus Heerwagenius, renovata codicis Spirensis memoria, evertit. Eademque damnatio etiam ad alterum libri XXVII locum, qui prorsus integer in S perscribebatur (ut e Rhenani adnotationibus intellegitur) et e codicibus inde derivatis in editiones venit, translata est, eo pravius, quod, quæ ibi de agro Campano locato et de coniuratione Capuæ Blossiis principibus facta leguntur, nemini in mentem venire poterat fingere. (Illa quidem de agro Campano c. 3, 1 ne intellegi quidem poterant, antequam a Rhenano ex ipso S emendatus locus est.)[1])

Sine ulla igitur dubitatione codicem Spirensem per se Puteaneo dignitate et auctoritate æquabimus, utilitatis longe minus nobis præbet. Tantum enim de eo scimus, quantum Rhenanus adnotavit, hoc est, multo pauciora quam vellemus. Et quod, quoniam iam sæpius codices quosdam inde derivatos esse significavi (quod vel recepta in editiones ante Rhenanum vera supplementa ostendunt, etsi poterat supplementum e S transscribi in codicem e P ortum), fortasse

[1]) Constituta iam codicum P et S originis diversitate, veri simillimum fit, transpositionem eam, quæ in P facta est in extremo libro XXVII et initio lib. XXIX quæque inde sine dubio ad plerosque codices propagata est, etsi, qui contulerunt, tacuerunt, quod nihil deerat, (— est in Bambergensi nuper collato, vestigiumque tenue, sed certum deprehenditur in iis, quæ ad XXIX, 1, 24 de vocabulo inde in quibusdam codicibus reperto adnotantur, —) non pertinuisse ad S, de quo Rhenanus tacet, aut inde ortos. Quod tamen Heerwagenius Hartelio teste in sex codicibus Vindobonensibus recto ordine legi tradit, nonnihil miror.

aliquis suspicetur, eorum aliquos Spirensi proximos tanquam vicarios in eius locum succedere et desiderium, si non explere, at saltem magna ex parte lenire (ut in prima parte libri vicesimi Puteanei desiderium leniunt Mediceus et Colbertinus), ne hoc quidem solatium aut nunc magno opere adest aut eius nisi tenuis spes ostenditur. Ut enim, quid in hoc genere sperari efficique posset, appareret, Th. Mommsenius octoginta duo codices, qui hanc Livii decadem aut hos quinque libros continerent, in delectis speciminis loco particulis (duabus amplioribus, lib. XXVII a c. 33, 5 ad c. 34, 14 et lib. XXVIII a c. 39, 16 ad c. 41, 12, qui locus folio illo codicis S reperto continetur) conferendos curavit scripturasque in Analectis Livianis (a p. 32) edidit, institutoque diligenti examine demonstravit, et codices aliquot ex S (aut ipso aut per intermedios) describendo ortos superesse et in codices quosdam e Puteanei stirpe ortos non pauca ex altero illo genere comparando, adnotando, corrigendo translata esse et intermixta. Sed summam disputationis recte hanc collegit (p. 69), „nullum librum exstare aut certe inter adhuc examinatos nullum repertum esse, qui Spirensem librum accurate et plene redderet“. Nam et recentes sunt omnes, qui ad alterumutrum ex his duobus generibus pertinent (eorum, qui ex S originem ducunt, antiquissimus videtur Venetus Marcianus scriptus a. 1389), et permultum etiam, qui Spirensis stirpis sunt, ex interpolatione alterius stirpis susceperunt aut eadem in utraque grassata est. Nunc quidem eo minus auxilii hinc peti potest, quod ex codicibus Puteaneæ stirpis e Spirensi stirpe interpolatis unus Palatinus tertius a Gebhardo subinde commemoratur, eorum autem, qui certo ad Spirensem origine adiungi videntur, unus Harleianus collatus est idque admodum neglegenter.] Itaque nobis adhibito, ubi fieri potest, Spirensi, ceteroquin Puteaneo standum erit, et sic ad utrumque aut ad hunc unum scripturæ dilectus et emendationis conatus dirigendus, ut eadem, quæ in primæ decadis codice archetypo

sequendo (p. 22), servetur libertas, superstitio excludatur, in nonnullis quidem locis, propter eam, quam exposui, librarii, qui Puteaneum scripsit, in obiecta animo specie sequenda licentiam, non nimis singulæ litteræ premantur. Weissenbornius, qui totum huius decadis contextum ad codicis Put. fidem exegit et perbene ea re de Livio meruit, interdum, etiam in minoribus et manifestis mendis nec inusitatis, nimis studiose codicis auctoritatem amplexus est adhibita contortula interpretatione ac defensione comparatisque exemplis dissimillimis, quod quale sit (ne hic pluribus insecter), perspici fere poterit ex iis, quæ uno et altero loco, quum quasi præteriens in eiusmodi argutias incidissem, adnotavi, ut ad XXI, 44, 7 (vindicaremus), 52, 11, XXII, 15 init. et 22, 18 et 30, 5, al. Nam alioquin ad meum consilium non pertinet ea persequi, in quibus simpliciter redeundum est ad superiorum (Bekkeri quoque et Kreyssigii) scripturam, aut iam in codicibus aut ab editoribus certa correctione repertam, in rebus præsertim parvis et facilibus, nec explicare decrevi (ut his utar), quam prave in XXX, 16, 2 perfectum (reposuerunt), in XXX, 24, 2 plusquamperfectum (censuerant) ponatur, aut quam
(210) non (XXX, 9, 2) urbes subiicere (pro subigere) defendatur eo, quod dativo adiecto dicitur subiectus servitio, subiectus imperio. Hæc et similia, qui Livium edent posthac, ipsi per se expediant. Nos ad nostra prævertamur.

Lib. XXI.[1])

Cap. 1, 2: et haud ignotas belli artes inter sese, sed expertas primo Punico conserebant bello. Pugna, certamen, manus conseruntur, quum adversarii inter se im-

[1]) Quæ in libris XXI, XXII, XXIII ante a. 1854 emendaram, eo anno cum Ingerslevio communicavi, qui plerisque in editione discipulis destinata partim in ipsa oratione, partim in adnotationibus usus est. Ab Ingerslevio Weissenbornius aliquot meas con-

plicantur et nexu quodam indivulsæ actionis continentur; artes, quas uterque adfert quibusque in certando utitur, non conseruntur, ut opinor, ut unum ex iis efficiatur et ut cohæreant, sed conferuntur (conferebant), utræ plus valeant. Nec obstat, quod præcedit contulerunt; nam hæc ipsa notio repetitur et explicatur: nec ignotæ erant, quas conferebant, artes. (1875. Ita iudicaverat iam Rupertius.) [Deinde] in hac quoque decade a verborum interpunctione emendanda ordiar. Nam præterquam quod *c. 6, 1 orationis elegantia valde augetur, posita primum brevi hac sententia: Cum Saguntinis bellum nondum erat, ceterum iam belli causa, deinde adiunctis separatim iis, quibus continetur illa belli causa, c. 8, 4 et 5, postquam Livius Saguntinos ad omnia obeunda multifariam distineri coeptos dixit, pergere sic oratio debet: Non sufficiebant itaque. Iam feriebantur arietibus muri cet. Itaque ad sequentia tracto nimis dissolute ponitur illud: Non sufficiebant, quæ Weissenbornio coniecturæ inutilis causa fuit.

Cap. 10, 2: Hanno unus — causam foederis magno silentio propter auctoritatem suam cum assensu audientium egit. Sic codices. Additur ab editoribus non ante cum. Livius tum sine dubio scripsisset ceterum non (vel potius, ut Woelfflino etiam in mentem venit, cet. haudquaquam); magni silentii significatio subinepta est in iis, qui vix dissensum comprimebant. Scriptum fuerat olim: **magis** silentio propter auctoritatem **quam** cum assensu audientium. (1875.) Eodem cap. § 8 et 9 (in Hannonis oratione in senatu Punico), ubi sic scribitur: Sed Tarento, id est Italia, non abstinueramus ex foedere, sicut nunc Sagunto non abstinemus. Vicerunt ergo dii

---

iecturas ex iis, quæ in adnotationibus commemoratæ erant, sumpsit. Ego hic omnes repetendas (stellula notatas) rationesque exponendas putavi, nisi quas ab aliis præceptas postea intellexi.

hominesque, et — eventus belli, velut æquus iudex, unde ius stabat, ei victoriam dedit, quamquam scio,
(211) quam sæpe Livius amplificandæ rei causa hac deorum hominumque copulatione utatur, cogor tamen tueri coniecturam ante triginta annos propositam repetitamque in Opusc. alteris p. 360; nam neque obiectum abesse potest neque ab omnibus omnino victi Carthaginienses recte dicuntur; Carthaginienses non cum solis Romanis, sed cum dis etiam bellum habuisse, aliter dicendum erat. Recte dicuntur di foederis rupti ultores homines (Carthaginienses) vicisse. Tollendum igitur est que.

*Cap. 13, 1 et 2 (in oratione Alorci, qui permittente Hannibale ad Saguntinos, quorum publice amicus et hospes erat, pacis condiciones perferebat): Si civis vester Alco — pacis condiciones ab Hannibale ad vos rettulisset, supervacaneum hoc mihi fuisset iter, quo nec orator Hannibalis nec transfuga ad vos venissem; quum ille aut vestra aut sua culpa manserit apud hostem —, ego cet. Primum, qui iter aliquod suscepturus non fuit, inepte addit, se in illo itinere (non suscepto) hanc vel illam personam non gesturum fuisse; deinde, qui sic dicit, se, si quid aliud accidisset, neque oratorem Hannibalis neque transfugam futurum fuisse, is necessario significat, se nunc alterumutrum esse et hanc habere itineris, quod alioquin supervacaneum fuisset, causam. Atqui hoc vehementissime Alorcus negat et, ut orationi consiliisque suis apud Saguntinos fidem faciat, se ait neque oratorem Hannibalis neque rursus transfugam venire, consiliorum Hannibalis ignarum nec ad pacem conciliandam aptum, sed eum, qui et consultum Saguntinis velit et pacis veras condiciones adferat.[1]) Itaque necessario indicativa oratio esse debet, fietque rectissima, ex uno verbo,

[1]) [Quemadmodum Weissenbornius nunc (1870) verba enarrat, intellegi nequeunt.]

quod ex duobus coaluit, una littera detracta, mutata una: hoc — iter, quo nec orator Hannibalis nec transfuga ad vos **veni; set** quum ille cet. Ex veni set factum venisset, deinde venissem, frequenti genere mendi, ut aut set coalescat cum verbo præcedenti aut ex eo distracto oriatur. (Vicisse ex vinci sed ortum in Catonis verbis apud Gell. VII, 3 correxi Opusc. II p. 125. (212)
Lib. XLV, 13, 13 in Vindob. pro misisset scriptum misit sed.)[1])

Cap. 19, 9 (in responso, quod maximus natu gentis Volcianorum legatis Romanis dedisse narratur): Quæ verecundia est, Romani, postulare vos, uti vestram Carthaginiensium amicitiæ præponamus, quum, qui id fecerunt Saguntini, crudelius, quam Poenus hostis perdidit, vos socii prodideritis? Sic Weissenbornius scripsit, codicum et optimorum omnium (CMCantabr.) et maioris partis deteriorum auctoritatem secutus, quum antea ederetur: quum, qui id fecerunt, Saguntinos cet. Sed apparet, frustra defendi illam nominativi ad sententiam relativam adiunctionem; nam et delitescit ita ea notio, in qua pondus orationis est, et prava partitionis significatio oritur, quasi aliquot Saguntinorum, non omnes, Romanorum amicitiam prætulerint (ii Saguntini, qui). Quid igitur? restituemusne accusativum contra codices? Imo tollemus, opinor, totam vocem additam declarandi causa, qui essent, quos Livius omisso nomine significasset, sed additam, quod huiusmodi interpolationis certissimum indicium est, pravo casu (nominativo, extra nexum orationis); notata iam eius rei exempla in IV, 32, 7 (eos) et VI, 17, 6 (id); sed

[1]) Non recte tamen hoc corrigendi genere usus est Manutius in Ciceronis libro II de Legg. 25, 62 (vides sed pro vidisse), qui locus quemadmodum scribendus esset, exposui apud Halmium in ed. Turicensi. [In Livii loco Woelfflinus venissem, quod pravum esse ostendi, retento addidit nunc (venissem; nunc quum ille cet.), quod in illa orationis forma abesse poterat; vid. ad VI, 18, 6.]

prorsus eiusdem generis erat additum apud Ciceronem Act. I in Verr. 18, 53 Siculi, quod me auctore sublatum est.
(213) (Aliud additamentum in hoc libro post pauca capita, 25, 5, consensu damnatur, incertum ante an post dubium.)[1])

*Cap. 24, 3. Quemadmodum recta oratione necessario aut sic loquimur: Colloqui vobiscum volo; vel vos propius accedite vel ego procedam, aut sic: itaque vel vos cet., nemo autem: et vel vos cet. dicit, sic in obliqua oratione dicitur aut: colloqui semet — velle; vel illi pr. accederent cet. (ut XXIV, 19, 4) aut: itaque vel illi cet. Tollendum igitur cum duobus codd. recentioribus et, quod post velle additur, ortum ex ultima

---

[1]) Proximo superiore capite (18, 10 et 11), ubi olim edebatur foedus icit, nunc, quia in codicibus est foedus iecit, editur foedus fecit, retinetur autem in eodem verborum ambitu ictum est (foedus) et icta; debuit teneri etiam icit vel, si quis mavult, ipsum illud iecit; sic enim huius verbi perfectum in codicibus sæpe scribi, sive ad vocalis mensuram significandam sive errore, exemplis positis ostendi Opusc. Acad. II p. 35 not. [Add. Suet. Claud. 25.] Nam etiam in Livii libr. XXXI, 2 extr. codex Bamb. et alii iecit habent et XL, 8, 9 iecisse multi. Paulo ante in eadem foederum commemoratione nescio quid erroris obiectum sit hominibus doctis (Dobreo, Weissenbornio, Sauppio). Recte omnia habent. In ipsa illa quæstione, iurene oppugnatum sit Saguntum, Carthaginiensis senator se separaturum ait, quæ separari Romani voluissent, quid publico consilio factum sit, quid sua sponte imperatores fecerint, eamque separationem exemplo Romanorum adhibiturum ad foedera interpretanda; quemadmodum enim Romani negaverint, se illo foedere teneri, quod L. Lutatius consul primo sua sponte icisset, sic Carthaginienses non teneri foedere ab Hasdrubale sine publica Carthaginiensium auctoritate icto, quo solo caveatur Saguntinis. Tantummodo animadvertendum est, particulam itaque non ad eam solam, in qua ponitur, sententiam pertinere, sed ad totam, quæ inde ducitur, disputationem, de quo usu dixi olim ad Cic. Fin. I, 6, 18 p. 41. [Cap. 19, 1 Sagunto excisa vix recte scribi admonui Bemerkungen über Punkte der lat. Sprachl. p. 21. Cfr. tamen Corp. Inscr. Lat. II p. 511, ubi præter Melam et Florum citatur inscriptio, in qua est: ob restitutam Saguntum.]

littera verbi velle, ut alibi interdum, velut XXVI, 12, 18 (recte enim intellexit Dukerus voces litteræque prolatæ pertinere ad finiendam priorem narrationem, deinde adiungi: additum etiam). Quod Weissenbornius vertit und so, est (214) ipsum illud itaque, non et.[1])

Cap. 25, 9 scribendum esse: in insidias præcipitat (pro præcipitatus) multaque cum cæde suorum ægre — emersit, dixi ad libr. VII, 6, 9. Illud addo[2]), quod negavi in prosa oratione maximeque apud Livium recte coniungi præcipitatus multaque cum cæde emersit, hoc est, recte participium omisso est pro verbo finito positum, quod proprium est brevis et celeris et aperte terminatæ orationis, copulative coniungi cum subsequenti verbo finito ad idem subiectum relato, cum molesta inæqualitatis offensione et lectore in fraudem inducto, ut alterum participium exspectet (velut: præcipitatus multaque cum cæde elapsus substitit)[3]), in ea re me

[1]) [Woelfflinus et soni causa additum putat. Non offendebat Latinas aures velle vel, præsertim oratione ob sententiam insistente. Cap. 22, 5 paruit nunc Weissenbornius admonitioni.]

[2]) [Quæ sequitur disputatio, eam, servata sententiæ summa, refinxi, usus etiam materia ea, quam Wesenbergius meus a me dissentiens collegit (Annal. Philol. Dan. vol. IX p. 81 et 82), sed minus, ut mihi videtur, quam solet, distinxit.]

[3]) [Pluribus verbis rem nunc definivi, ut excluderetur error. Primum enim nihil ad hanc quæstionem ii pertinent loci, in quibus de diversis subiectis, ut conflari confundive orationis membra nequeant, participium pro verbo finito cum verbo finito copulatur, ut XXII, 5, 6, XXV, 11, 7 (fossa ingens ducta, et vallum intra eam erigitur), ibd. 16, 16, XXVII, 24, 5, XXVIII, 15, 9, removeturque etiam I, 37, 1 ob additum pleraque. Alius deinde generis sunt non solum, quæ disiunctive copulantur (III, 5, 14: portentaque alia aut obversata oculis aut vanas exterritis ostentavere species, IX, 38, 1, XXVII, 27, 9), sed etiam, quæ geminato et distrahuntur (XXXIII, 27, 10: id ægre et in præsentia hi passi et in futurum etiam metum ceperunt). In adversativa copulatione per sed exemplum non repperi apud Livium nisi XXXVII, 32, 7, ubi valet etiam additum tanquam

non valde moveri locis non ita multis ac potius, si cum infinita copia eorum, ubi aut præcipitatus est multaque cum cæde emersit aut præcipitatus multa cum cæde emersit dicitur, comparantur, paucis, præsertim aut accedentibus aliis mendi indiciis aut perspicua errandi causa, velut quod in hoc ipso libro c. 45, 8 Alschefskius et Weissenbornius [hic nunc additis uncis] codices secuti ediderunt: precatus deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset, et secundum precationem caput pecudis saxo elisit, ubi nemo non, unde ortum sit et, videt. Geminum huic mendi origine est, quod IV, 1, 6 retinetur, correctum olim in ed. Frobeniana: Tum C. Canuleius pauca in senatu vociferatus, —nunquam eos—dilectum habituros, antequam — plebes scivisset, et confestim ad contionem advocavit. V, 25, 8 (Matronæ — communi decreto pollicitæ — aurum et omnia ornamenta sua in ærarium detulerunt) quum in concursu duorum accusativorum non animadverteretur, alterum ad pollicitæ, alterum ad detulerunt pertinere (vid. p. 120), addita est copula. XXII, 16, 7 prave separatim hæc ponuntur: Faces undique ex agris collectæ fascesque — aridi sarmenti, tanquam de collectione facum agatur ac non de usu, tum additur, mutato tempore, prælig anturque cet. Particula errore addita est, quod sæpius in P factum esse ostendi supra p. 208. Nullam nisi hanc, quam arguo, suspicionis causam habet XXV, 39, 2 (ceteræ copiæ—ad proximos hostes ductæ et, quum — essent, velut in sua castra — penetravere), XXVI, 38, 7 (multum ac diu cunctatus et tum quoque—appellat), XXVII,

---

novum subiectum undique omnes; magis etiam distrahuntur membra per ceterum, multis ante interiectis (XXIV, 45, 12: Quibus nequaquam offensus Poenus, quia — vendendique; ceterum cet).]

27, 4 (tum undique omnes exorti et clamore sublato impetum fecere), et tamen ter et errore ortum puto (XXVI, 38, 7 cunctatus est; tum scripsi). XXXII, 14, 2: Inde Gomphos adortus et per aliquot dies summa vi urbem tuentes, quum iam scalas ad moenia erexisset, — perpulit ad deditionem. Scribendum: Gomphos adortus est. Per aliquot dies cet., ut primum suscepta res per se ponatur. XXXVII, 24, 7 manifesto vitiosa est oratio in tria membra sic descripta: consurrexere — contemplatique (sunt) — ac prope una voce — exclamaverunt, quum causa exclamandi contineatur in contemplati; itaque recte ac in codicibus deterioribus sublatum est. Restat XLIII, 21, 4, ubi editur: App. Claudius — Phanotam — adortus oppugnare et auxilia Athamanum Thesprotorumque — secum adduxit, codex habet oppugnari est auxilia, ex quo efficitur, recte descripto narrationis progressu: adortus oppugnare est. Auxilia cet.[1]) Sed eandem rationem, quam habet lapsus multaque cum cæde emersit, habere videtur in infinita oratione: lapsum multaque cum cæde emersisse. Huius igitur formæ tria video adnotari exempla Liviana: IV, 46, 4 (dicitur Q. Servilius — precatus ab dis — et — institisse filio), VI, 17, 3 (fingerent, mentitum ante atque ideo non habuisse cet.), XXIV, 12, 5 (Hannibalem Arpis profectum et regredi in Campaniam adlatum est); nam in quarto (I, 58, 4) obstinatam

[1]) [Non posui in numero XXIII, 18, 4: Maharbal — missus nec ipse eruptionem cohortium sustinuit, ubi nec ipse est ne ipse quidem (v. ad Cic. Fin. p. 808), nec XXXIV, 14, 6 (sed in dextro extemplo pulsi cedentesque trepidi etiam pediti terrorem intulere) aut XXXVIII, 15, 1 (per agros Sindensium exercitus ductus transgressusque Caularem amnem posuit castra); nam utroque loco participia copulata verbo finito adiunguntur.]

prorsus pro adiectivo est et interposito videbat dirimitur. Huic copulationis formæ: lapsus et — emergit (lapsus facileque emergit), quam coarguisse mihi videor non usu receptam fuisse, respondet e contrario hæc: castra movit et — profectus (statimque profectus), quæ eandem habet inæqualitatem, in altero membro curta, et interdum exspectationis frustrationem, quamquam, ubi perbreve et simplex alterum membrum est (velut huiusmodi: statimque in Campaniam profectus), offensio minor est. Itaque ne eam quidem suspicione iusta carere puto, quum præsertim aliæ quoque in nonnullis locis accedant dubitandi causæ et correctio plerumque perfacilis sit. Sunt autem hæc apud Livium huius copulationis exempla[1]): VI, 25, 1 (ad tribunos adducuntur, percontantibusque fassi, ubi præsens præcedit), VII, 1, 10 (par — titulo tantæ gloriæ fuit, dignusque habitus, quem — ferrent), IX, 10, 2 (Magistratu inde se extemplo abdicaverunt, traditique fetialibus cum ceteris Caudium ducendi), XXII, 31, 6 (classis — cursum tenuit, traditaque Lilybæi — prætori), XXIII, 10, 1 (qua gratias egit —, et inter cetera magnifica promissa pollicitus; scr. pollicitus est) et 9 (perducitur, extemploque impositus — et — missus, post præsens), XXIV, 18, 11 (convenere ad eos frequentes, qui hastæ huius generis adsueverant, hortatique censores, ut omnia cét.; Phortarique, sed infinitivus historicus non minus offendit, longeque diversum est: iam tumultus erat —, sed — nemo scire (XXV, 10, 1); scribendum videtur: censores sunt, ut —; facile inter s

[1]) [Removendi hic quoque ii loci, in quibus diversa subiecta sunt, V, 49, 6 (castra capiuntur, et ne nuntius quidem relictus, ubi præterea præsens tempus præcedit), IX, 12, 7, XXIII, 10, 9 (obvolutum caput est, ociusque rapi — iussus), XXV, 32, 10, etsi in hoc loco in comparanda ex æquo duorum hominum actione vehementer offendit inæqualitas.]

et ut excidit sunt), XXVII, 16, 2 (terga dederunt, dilapsique —) et 28, 13 (abiit, profectusque ad Locrorum solvendam obsidionem, quam L. Cincius — oppugnabat, ubi ex scriptura Pm.1: oppugnas suspicatus sum: oppugnabat, est), XXX, 15, 14 (His honoribus mollitur regis animus, erectusque in spem, ubi facillime fit mollitus), XXXI, 21, 5 (Galli clamore suorum ex agris revocati — castra repetivere, et postero die in aciem progressi, ubi male rei altero die actæ narrationis initium superioribus per et adiungitur; scribendum repetivere. Postero die cet. De et post e orto dixi paulo ante ad c. 24, 3), XXXIII, 28, 8 (errare ait homines, qui — crederent, multaque in eam partem probabiliter argumentatus cet.; recte Iac. Gronovius argumentatur), XXXIV, 25, 8 (sensit, proditum consilium esse, hortatusque coniuratos, qui aderant, ut — caperent; Kreyssigius: hortatusque est coniuratos), XLII, 9, 2 (Romam rediit, senatuque extemplo — vocato, — invectus in prætorem; scribendum: invectus est in prætorem) et 64, 3 (faces — parari iubet, atque ita media nocte profectus, ut prima luce adgressus falleret; scr. profectus est).[1]) In infinita oratione (I, 30, 5: in lucum confugisse ac Romæ retentos, XXIII, 11, 5: rem divinam fecisse iussumque —) multo minus sentitur offensio.[2])

*Cap. 27, 8 quoniam, quam feceram emendationem (naves pro nantes), eam Weissenbornium secutum video, ex quo cognovi Heerwagenium in eandem a. 1854 incidisse, brevissime rationes exponam, profectus a codicum bonorum (216)

---

[1]) [De est a librariis post us omisso v. Adv. Crit. II p. 278, 607.]

[1]) [Aliam habet et hinc seiunctam quæstionem dure omissum est apud participium in sententia non copulata, sed particula demonstrativa adnexa (ibi XXXVI, 6, 3, deinde VII, 26, 4, XXXVII, 36, 2, ergo VIII, 25, 3).]

(CM) et aliorum aliquot scriptura (eques, non equites). Apparet, Livium primum significare, quemadmodum pedes et eques paratus ad transmittendum fuerit, deinde ipsum transitum fluminis describere. Itaque his verbis: Iam paratas aptatasque habebat pedes lintres respondere simile debet: eques — naves. Deinde (in quo post Gronovii admonitionem errari potuisse miror) non equites neque equi nantes, quorum perexigua vis fuisset ad vim aquarum frangendam, sed naves ipsa magnitudine et pondere et continua serie (agmine) tranquillitatem præbuere lintribus infra transmittentibus. Tum equitibus naves datas fuisse, quibus et ipsi transirent et equos traiicerent, partim navibus impositos, partim pone naves loris tractos, ex iis, quæ sequuntur, prorsus perspicuum est; ipsi quidem equites non narunt; nam si nando ab hominibus flumen transiri potuisset nandique omnes periti fuissent, inanis fuisset omnis navium et lintrium apparatus. Scribendum igitur est: Iam paratas -- habebat pedes lintres, eques fere propter equos naves. Navium agmen cet. (Plerasque naves, non omnes equitibus datas significat additum fere.)[1])

Cap. 28, 5: tradunt ferocissimum ex iis (elephantis) irritatum ab rectore suo, quum refugientem in aquam nantem sequeretur, traxisse gregem. Iure Walchius hæsit; nemo enim eodem tempore et refugit in aquam et iam nat, quod tamen ista participiorum sine copula coniunctio significat. Debebat dici: deinde nantem aut saltem: et nantem; nec tamen erat, cur hoc adderetur; unum enim illud quærebatur, quo modo elephantus ad aquam ex ripa ingrediendam illectus esset. Itaque vereor, ne nantem adscriptum sit

---

[1]) [Cap. 27, 7 fortasse scribendum: — significant, transisse se et haud procul abesse. 1862.]

declarandi causa ad illa refugientem in aquam.[1]) Paulo post (§ 8), ubi in codicibus ita scribitur: Altera ratis — huic copulata est, ut, cum elephanti per stabilem ratem — prægredientibus feminis acti ubi in minorem applicatam transgressi sunt, extemplo — ad (217) alteram ripam trahitur, alii ubi sustulerunt, pro ut reposito et cum deterioribus aliquot codicibus, sine ulla probabilitate (neque enim quum — transgressi sunt hoc loco ferri potest pro transgressi essent), alii ut cum; mihi est ut cum ortum videtur ex hac scriptura: — copulata **est**; **tum** elephanti, — acti, ubi — transgressi sunt, extemplo cet.

Cap. 33, 4 quod in codicibus scribitur: (Alpini) perversis rupibus iuxta invia ac devia adsueti decurrunt, depravatum esse manifestum est; nam neque, perversæ rupes quæ sint, intellegitur, neque decurrere invia ac devia in prosa oratione dicitur, etsi poeta dixit decurrere vada (hinüber gleiten); nam spatium decurrere (hoc est, conficere) longe aliter dicitur. Videtur Livius scripsisse: transversis rupibus per iuxta invia ac devia decurrunt præpositioque per nescio quo casu traiecta alteri (trans) nocuisse. [Transversis iam Bauerus.]

Cap. 34, 4 quoniam et ceteri turbant et Weissenbornius Drakenborchium sequens incredibilem fingit omissionem particulæ sed, dicendum est, verba sic coniungi debere: agmine nequaquam ut inter pacatos composito (sed quemadmodum componitur inter hostilia et infesta, caute et ad aciem celeriter efficiendam apte).

Cap. 35, 12 in codicibus sic scribitur: ut neque sustinere se ab lapsu possent nec, qui paululum

---

[1]) [Heræus: in aquam sequeretur, nantem traxisse. Ego quoque suspicatus eram nantem ex nans ortum, quum nansequeretur scriptum esset.]

titubassent, hærere adflicti vestigio suo, aliique super alios et iumenta in homines occiderent; recteque Weissenbornius in homines restituit, quum vulgo ederetur et iumenta et homines; neque enim illud alii super alios ullo modo iumenta comprehendere potest,
(218) sed primum homines alii super alios, deinde etiam iumenta in homines incidisse dicuntur. Sed quod Weissenbornius occidere in aliquem vult esse incidere, ceteri autem occidere pro præcipitari accipiunt, prorsus incredibiliter verbo in alia re de eodem subiectorum genere usitatissimo inauditam adfingunt significationem. Livius scripserat: et iumenta in homines succiderent (auf die Menschen herunterstürzten). Littera s semel scripta, ex homines-ucciderent ortum est occiderent prorsus eodem errore, quo XXII, 12, 7 ex occultus subsistebat factum est: occultus obsistebat et XXXIV, 29, 6 murus obruebatur ex murus subruebatur [et apud Iustinum VII, 3, 6: in quarum locum iuvenes opponit, quod nuper revocatum est, ex iuvenes supponit]. Sed præterea restituendum, quod Drakenborchio in mentem venit, adfixi. Qui vel paululum titubassent, Livius negat in lubrica glacie facere potuisse, quod alioquin, qui titubarint, facere soleant, ut vestigio firmiter presso quasi adfixi hæreant, ne prorsus cadant. Mire Livius eos, qui titubassent, negaret adflictos ad terram iacere potuisse; id enim ipsum, ne adfligerentur, vitare conabantur.[1])

Cap. 37, 5: Inferiora (Alpium) valles apricosque quosdam colles habent rivosque prope silvas et iam humano cultu digniora loca. Probabilius Weissenbornius copulam addidit (apricosque) quam superiores

---

[1]) Cap. 36, 7 quod Weissenbornius a Sauppio sumpsit via, expellendum est; non agitur de via lubrica glacie (nulla enim in Alpium cacuminibus et iugis via erat), sed de ipsa glacie lubrica. Litteræ uta ortæ videntur ex vicinis (erat lubrica).

(et apricos cum Cantabr. et Lov. 3); mihi quosdam pronomen in locorum forma universe describenda tam incommodum videtur, ut considerandum videatur, scripseritne Livius apricosque etiam colles. In hac inferiore parte ipsi colles (contrarii cacuminibus illis summis) aprici sunt. Sed certius est, a Livio non commemoratos esse rivos prope silvas, quæ propinquitas ad rem nihil omnino pertinet; nec rivi Alpini prope silvas, sed per ipsas silvas decurrunt. Recta hæc erunt, si scripserimus: rivosque et prope silvas. Non audet Livius arbores primum raras et diffi- (219)
culter provenientes silvas appellare, sed prope silvas. Et post que excidit XXVI, 19, 2 et 46, 4.

*Cap. 38, 5. Quod huius loci constituendi initium est, ut recte ea, quæ de numero copiarum Hannibalis Alpes traductarum dicuntur, separentur ab alia prorsus novaque disputatione de transitus loco, quam Livius à commemoratione primi populi Hannibali ab Alpibus descendenti obiecti orditur, id post alios meque (apud Ingerslevium) Weissenbornius secutus est, ut de eo plura dicere nihil opus sit. Huius autem novæ sententiæ initium in optimis codicibus sic scribitur: Taurinisnegalli (M; in C inter Taurinis et Galli aliquid erasum est) proxima gens erat in Italiam digresso. Id cum inter omnes constet cet. (In C eadem manus, quæ prima scripsit, dicitur deinde gallie fecisse.) Pro Taurinisnegalli in codice Cantabrigiensi, e melioribus, sed sæpe licenter aberranti, est Taurinis quæ Galliæ, in ceteris multiplici errore conatuque factum: Taurinisne Gallis, Taurinisque Gallis, alia. Iam forma ipsa sententiæ, dubium esse nequit, quin hæc fuerit, quam et ego demonstravi et Weissenbornius tenuit: Taurini — proxima gens erat in Italiam degresso; quæritur, quid lateat in illis snegalli (nam Galliæ ob proxima scriptum est; non de Galliæ propinquitate agitur, sed quid proximum primumque Hannibali occurrerit). Et ipsas litteras consideranti et

quid in sententiam apte includi illo loco possit et quæ de Taurinis tradita sint, veri simillimum videtur, Livium scripsisse: Taurini Semigalli. Nam Taurinos Strabo (III p. 204 Cas.) Liguribus ille quidem adiungit (ut Plinius H. N. III, 17, 132), sed tamen alibi (p. 209) a Liguribus separat; Appianus autem (Hannib. 5) Taurasiam, urbem eorum, Gallicam appellat; et ipsæ sedes a septentrione Appennini adducunt, ut antiquæ stirpi Gallos admixtos cre-
(220) damus.[1]) Paulo post (§ 7), ubi editur: qui ambo saltus eum non in Taurinos, sed per Salassos montanos ad Libuos Gallos deduxerint, Salassorum nomen Lipsii et Cluverii coniecturæ debetur; in codicibus scribitur: per saltus montanos, in antiquissimo (quoniam P caremus), M, a prima manu: per saltos montanos. Livius, opinor, nullum certi populi nomen posuerat, sed: per **alios** montanos. Si Salassos nominasset, montanos non addidisset. Ceterum residet mendum in deduxerint, quæ verbi forma neque cum dubitatione de præterito tempore unquam dicitur (nisi addito forsitan, forsan, ut forsitan fecerit sit: fieri potest, ut fecerit), neque, si diceretur, hoc loco poni potuisset, ubi condicionis requiritur significatio, quoniam Livius non ipse dubitat, sed ut falsum hoc redarguit. Itaque audacter, sed tamen recte veteres editores deduxissent substituerunt. Quod negavi fecerim de præterito tempore dubitative dici, eodem modo erratur c. 47, 5, ubi fuerint (petenda fuerint) ortum est ex fuerunt propter travexerint, quod præcedit. Aliter dicitur in concedendo et fingendo: fuerit Carbo sceleratus. (Eodem cap. § 9: Neque hercule montibus his — ab transitu Poenorum ullo — incolæ iugi eius norint inditum, sed ab eo, quem — Poeninum montani appellant. Sic codices boni; editur e Lov. 3:

---

[1]) **Quæ Polybius II, 15, 8 de Tauriscis dicit, non erant ad Taurinos trahenda.**

norint nomen inditum; et nomen Livium scripsisse, certum est; sed et coniunctivus pravus est (neque enim Livius ex sua coniectura, si eam coniunctivus significat, argumentatur, sed ex fama apud illos populos certo obtinente) et verbum ineptum (neque enim, quid nossent, quærebatur, sed quid putarent dicerentque, neque sane a Poenino deo montem appellatum norant). Itaque Livius scripsisse videtur: **nomen ferunt** inditum. Utrum Sedunos Veragros unum populum putarit an Seduni Veragrique scripserit, non definio. Cap. 40, 10 (in oratione Scipionis) quoniam codices habent: ac nihil magis vereor nec unquam vos cum pugnaveritis, Alpes vicisse Hannibalem videantur, ex necumquam, transposito, ut omnes faciunt, quam, fit quam ne, cum. Hoc corrupto superadditum est alterum cum. 1862.)[1])

Cap. 44, 7 (in Hannibalis apud milites oratione): Parum est, quod veterrimas provincias meas, Siciliam ac Sardiniam, adimis? etiam Hispanias? et inde cessero: in Africam transcendes; transcendes autem, dico? Duos consules huius anni unum in Africam, alterum in Hispaniam miserunt. Sic hic locus multo sane melius, quam antea ferebatur, a Gronovio constitutus est, codicis Puteanei vestigia premente, nisi quod scripsit: et, si inde cessero, in Africam cet. Sed tamen restat aliquid dubitationis et, nisi fallor, mendi. Nam illa etiam Hispanias? non recte superioribus adiunguntur, ut inde audiatur adimis; et res enim postulat, ut (221)

[1]) Cap. 39, 1 armare (codd. armari) exercitum admodum insolenter dicitur non de instruendo armis, sed de eo ad arma vocando et movendo. (Nam quod XXII, 14, 14 eodem modo copiæ armari dici videntur, quale illud sit testimonium, apparebit, quum eo ventum erit.) Fuitne: sed ad arma vocare exercitum? (Ibd. § 8 scribendum videtur, uno verbo transposito: Nam et Hannibalis apud Romanos — celeberrimum nomen erat, et Scipionem Hannibal — præstantem virum credebat. 1862.)

Hispaniæ, in quibus nondum quisquam Romanorum pedem posuerat, a Sicilia et Sardinia seiunctæ cum Africa coniungantur et ad idem verbum (transcendes) referantur, et ita a Livio orationem compositam fuisse ostendit, quod sequitur de utroque consule, altero in Hispanias, altero in Africam misso, hoc est, de transcensu iam in utramque terram facto. Itaque retracta præpositione in, quæ, ut alibi sæpe (vid. ad IX, 41, 8), præcedenti littera m hausta est, scribi debet: Etiam in Hispanias et, si inde cessero, in Africam transcendes? Nam in hac orationis forma, quoniam mediæ certe sententiæ illa pro condicione adfirmatio ficta inseri non posse videtur, necessario simul addendum si puto.[1]) Deinde autem interrogationis correctionem indicantis forma scite animadversa a Gronovio (transcendes autem dico?) habet tamen, in quo iure hæreas; nam aut transcendes autem? aut transcendes dico? dicendum videtur fuisse; ubi utrumque coniungatur (autem dico?), frustra, opinor, quæras. (Locis quinque de autem sic posito ab Handio Turs. I p. 576 excitatis ex Ciceronis epist. ad Attic. V, 13, 3, VI, 2, 8, VII, 1, 4, orat. pro Rab. Post. 5, 10, Plinii Paneg. 28 addi possunt Ciceronis duo, ep. ad Fam. I, 9, 10 et in Pison. fragm. 2 ex initio orationis: —ingenii? ingenii autem? imo ingenui hominis ac liberi, et nonnihil inflexum Terentii ex Hecyr. I, 2, 25, ubi, postquam Philotis dixit: uxorem habere, Parmeno corrigens subiicit: habere autem? hoc est: habere dicis?) Auget suspicionem, quod in codicibus (P et ceteris)
(222) scribitur: transcendisse autem dico. Valde vereor, ne, quum ter id verbum Livius posuisset, bis eadem forma, altero loco exciderit. Sic enim Livius scripsisse videtur: Etiam in Hispanias et, si inde cessero, in Africam transcendes? Transcendes autem? Transcendisse

[1]) Video nunc, etiam Freudenbergium in annalium philol. vol. LXXI p. 726 sqq. in Hispanias scribendum esse intellexisse.

dico; duos consules huius anni unum in Africam, alterum in Hispaniam miserunt. Interrogationi subiicitur ipsa correctio (transcendisse iam dico), huic additur explicatio. (§ 6 e codicum scriptura: ad Hiberum est Saguntum facilius efficitur at non ad Hiberum — quam at cis Hiberum —. 1862.) Quod in proximis verbis codicum mendum vindicaremus pro vindicarimus Weissenbornius enarrando tueri conatur, vera enarratio esset, si scriberetur: nihil nobis relinqueretur, non (nihil) relictum est; huic enim si addas: nisi quod armis vindicaremus, hanc unam sententiam Latini sermonis usus efficit: es ist uns nichts übrig gelassen als etwas zu vertheidigen, hoc est, ridiculam. Extremo capite (§ 9), ubi in codicibus scribitur: si hoc bene fixum omnibus destinatum in animo est, neque destinatumque neque si destinatum scribendum videtur, sed destinatum tollendum ut interpretandi causa adiectum. Cap. 45, 3 e codicum scriptura avicotumulis efficitur [ut iam Gronovius viderat] eadem nominis scriptura, quæ apud Strabonem est: ab Ictumulis; b in v transiit. (De c. 45, 8 dictum ad c. 25, 9.)

*Cap. 49, 7 (ubi agitur de consiliis et institutis M. Æmilii prætoris in Sicilia, quum ab Hierone admonitus esset, Carthaginienses adventare) sic scribitur in P, a quo ceteri meliores, etiamsi eos seorsum testimonium facere putemus, nihil, quod ad rem pertineat, deflectunt: Extemplo et circa prætore a civitate missi legati tribunique suos ad curam custodiæ intenderent ante omnia Lilybæum teneri apparatum belli edicto proposito ut socii navales decem dierum coacta ciuaria ad naves deferrent et ubi signum datum esset ne quis moram conscendendi faceret perque omnem moram qui ex speculis prospicerent adventante hostium classem simili. Itaque cet. (223)
Primum apparet, omnem curam cautionemque in duas

partes dividi, quarum altera pertineat ad ceteras civitates, altera ad Lilybæum, ubi prætor ipse res administrabat; deinde manifestum est, circa civitates missos legatos tribunosque dici, illa autem prætore a alieno loco inserta esse, quum aut a Livio scripta omnino non essent (— nam a prætore hæc facta esse, poterat ex superioribus et ex ipsa re intellegi —) aut potius a librario suo loco prætermissa, quod genus frequens in hac decade esse constat (vid. ad XXII, 2, 6). Post tribunique excidisse qui pervagatissimo errore, iam ante artem typographicam inventam intellectum est. Deinde et per se (commemorata iam Hieronis admonitione, ut Æmilius Lilybæum firmo præsidio teneret) nimis nude dicitur Lilybæum teneri et ad hæc verba necessario adiungenda aliquo modo illa sunt apparatum belli, quoniam inepte edictum proponi dicitur sive ad paratum belli, vocabulo dubii apud Livium usus (X, 41, 3), sive ad apparatum belli (— utraque enim correctio tentata est —), quamquam edicti propositio pars est illius apparatus. Itaque aut scribendum: Lilybæum teneri apparatu belli aut alius infinitivus aptior reperiendus (et ante omnia Lilybæum strepere apparatu belli, coll. XXVI, 51, 7), forma tamen verbi nullo modo mutanda; rectissime enim cum illo et missi legati (de re semel facta) coniungitur infinitivus historicus de statu et facie rerum Lilybæi effecta. Tum vero plane certum est, quod iam recentioris ætatis codicum correctores intellexerant, hac sententia: ubi signum datum esset, ne cet. non contineri edicti partem, sed declarari edicti de decem dierum cibariis coctis consilium; nemo enim imperator separatim edicit, ne quis, quum signum proficiscendi dederit, moram faciat et imperium contemnat, sed ut ea ante præparentur, quæ ad moram tollendam pertineant. Postremo apparatus belli, qui ad ipsam urbem Lilybæum pertinebat, duæ præcipuæ partes et exempla a Livio po-
(224) nuntur, cibaria, ut naves celeriter conscendi possent, præ-

parata et homines per speculas dispositi; itaque pro simili non missi scribendum, ut cum teneri coniungatur, sed missis, ut cum edicto proposito. Nam missis aut missi subesse et ab Itaque novam periodum incipere, perspicuum est. Totus igitur locus sic scribendus est: Extemplo et **a prætore circa civitates** missi legati tribunique, **qui** suos ad curam custodiæ intenderent, **et** ante omnia Lilybæum teneri (strepere?) **apparatu** (Mm. 2, 3) belli, edicto proposito, ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent, ubi signum datum esset, ne **quid** (codd. recc.) moram conscendendi faceret, perque omnem oram, qui ex speculis prospicerent adventantem hostium classem, **missis.** [a præt. circa civit. etiam Weissenb. apud Alschefskium.] Illud addo, et post intenderent excidisse non infrequenti exemplo (post nt; cfr. X, 21, 6, XXIV, 4, 5), post deferrent additum esse, quod sententiarum coniunctio non animadverteretur.[1] Potuit etiam scribi: ut, ubi —, ne quid cet.

Cap. 51, 3 et 4: nec quisquam hostium circa eas insulas (Vulcani) inventus; iam forte transmiserant ad vastandam Italiæ oram. Scribendum esse nam, ipsum adverbium forte demonstrat, quod rem casu factam, non consilii ante capti exsecutionem significat, de qua sola poni iam poterat; etsi vel sic Livius scripsisset: iam enim.

Cap. 52, 9: Sempronius — censebat cum collegam cunctantem equitatum suum — mittit. Ex hac scriptura factum erat: Tum collega cunctante, incommoda temporis notatione. Recte Ussingius sensit, scribendum tantum: Collega cunctante. (1862.) Tum § 10 pro eo, quod codices et editiones habent: Sparsos et incom-

[1] Hæc totius loci emendatio iam apud Ingerslevium exposita est, nisi quod ibi ad apparatum belli edicto proposito scribitur. Pro simili Weissenbornius posuit missi a se inventum.

positos — quum inopinatos invasissent, restituendum inopinato. Nemo enim inopinatum pro inopinante dixit. Librarius ad præcedentes accusativos hoc quoque accommodavit. (1862.) Deinde § 11 quum in codicibus (PC)
(225) scriberetur: Varia inde pugna sequentesque cumque (M et recentiores aliquot sequentes quæcunque, alii s. quacunque aut s. quocunque) ad extremum æquassent certamen, maior tamen hostium Romanos (recentiores, ut videtur, Romanis) fama victoriæ fuit, in primis verbis facile intellectum est aliquid excidisse, probabiliterque editur iam, coniuncta Heusingeri coniectura et codicis Colbertini altera scriptura (cum pro cumque): Varia inde pugna sequentes cedentesque quum ad extremum cet. [vel: varia inde pugna sequentes inter cedentesque, quumque —, eo verborum ordine, qui est XXII, 3, 3]. Extremis verbis prorsus incredibiles interpretandi machinas admovent, velut Weissenbornius (qui pro Romanis ex Romanos effecit Romano) hæc sic enarrat: maior hostium fama victoriæ fuit fama Romano, in qua enarratione quid maxime mirer, nescio, comparationisne ipsius absurditatem (qua duæ victoriæ famæ inter se componuntur), an in hac comparatione variatum numerum in hostium et Romano, an novam illam ablativi in comparando et genetivi (fama victoriæ) omissionem. Quanto fuerat melius fateri, verba intellegi non posse! Nimirum hic quoque excidit aliquid; scripserat enim Livius ad hanc formam: maior tamen hostium **cædes, penes** Romanos fama victoriæ fuit. Initio capitis (§ 2) satis certum videtur, Latine non dici hominem equestri proelio et vulnere suo sive minutum sive deminutum, ut animi demissio significetur; spes enim et animus minuitur, non homo, frustraque Homerus a Gronovio arcessitur testis, qui ne dixit quidem ita μινύθειν de homine, ut esset animum frangere. Quid restituendum sit (pro etminutus), dubium est; fuitne admonitus?

Neque enim fractum Scipionis animum Livius dicit, sed cautiorem factum.

Cap. 54, 1 quod scribitur: Quem ubi equites quoque tegendo satis latebrosum locum — perlustravit, vereor ne cum cod. Lov. 3, Mureto aliisque equiti scribendum sit. (C. 48, 4 P ceterique meliores equites pro equiti.) Nullum enim prosæ orationis certum exemplum novi, ubi dativus gerundii accusativum regat; apud Sallustium Cat. 4 verba sic cohærent: agrum colendo aut venando vitam agere, servilibus officiis intentum, ut ablativus sit. (1862.)[1]) Eodem capite § 6 (de Sempronio pugnam ad Trebiam committente): postremo omnes copias ad destinatum iam ante consilio avidus certaminis eduxit. Neque ad destinatum educere copias hic placet (locus enim sic significari videtur; Sempronius autem non locum delegerat, sed, quo Hannibal pro- (226) liciebat, ruebat) neque ablativus consilio in absoluto hoc participii usu additus; omninoque ad destinatum consilio facere aliquid pro eo, quod est destinato consilio, prorsus inusitate dicitur. Idem sine dubio hic error versatus est, qui IV, 25, 7 consilia ad bellum pro consilia de bello effecit, aut prorsus similis. Nam quum Livius scripsisset: a destinato iam ante consilio avidus certaminis, suo illo præpositionis ab usu (hoc est: avidus certaminis propter consilium iam ante destinatum), geminato d factum est ad, deinde, casu accommodato, destinatum. Consilium destinatum Livius dixit XLII, 48, 1, ab eodem consilio XXXII, 14, 8.[2])

[1]) [Woelfflinus nullum dativi exemplum profert, sed, si equiti scribatur, „totum" equitatum significari. Prudenter cauteque scripsisset coniecturam subaudacem esse, istiusmodi perfugia excusationum et calumnias aliis relinquere debebat. Eques singulari numero genus significare, vel ille, quem ob aliam causam adscripseram, locus cap. 48 admonere poterat.]

[2]) Apud Ciceronem ad Att. XII, 18, 1 pro eo, quod editur: refugio a te admonendo, sententia necessario requirit: refugio (a re-

Cap. 55, 5 (in descriptione proelii ad Trebiam): quibus (Balearibus) quum maiore robore legiones obsisterent, deductæ propere in cornua leves armaturæ sunt. Adeo hic pluralis (leves armaturæ) insolens est, qui ne tum quidem ponitur, quum duorum exercituum levis armaturæ milites simul commemorantur, ut non dubitem restituere (quod Alschefskio in mentem venit, sed statim omissum est): diducta pr. in c. levis (sic P) armaturast; erroris origo ex st pro sunt accepto (ut sæpe in Ciceronis libris) nata est. [IV, 8, 3 in M scribitur initium sunt rei pro st.] Diductæ iam Drakenborchio placuerat; divisa enim levis armatura altera pars in dextrum, altera in sinistrum cornu abducta est. [Seneca de Vita Beata 8, 2 armaturas leves de variis generibus levis armaturæ dixit, si tamen is locus sanus est. Ad Livium non magis hoc pertinet quam eadem verba apud script. bel. Afric. c. 59 posita.]

Cap. 56, 2 (de Romanis in proelio ad Trebiam): decem milia ferme hominum — media Afrorum acie, (227) quæ Gallicis auxiliis firmata erat, cum ingenti cæde hostium perrupere. Media Afrorum acies in hac pugna non solis Gallis constitit, sed, ut ipse Livius c. 55, 2 dixit, omni peditum robore; Hispanos, Gallos, Afros di-

---

cordationibus dolorem efficientibus) at (ad) te admonendum (de fano Tulliæ exstruendo). Mutata præpositione litteræ detractione etiam casus mutatus est. (Eo capite, de quo dixi, § 4, ubi in codicibus est: Ita mille equitibus Magoni, mille peditibus dimissis, A. Perizonius autem pro Magoni coniecit cum Magone, scribendum videtur: Ita cum mille equitibus Magone, mille peditibus dimisso; errore participium ad peditibus accommodatum est. Neque enim dimittuntur milites, qui cum duce aliquo mittuntur, et potius de Magone agitur. 1862.) Extremo denique capite (§ 9) iniuria e cod. revocatum est: ut vix armorum tenendorum potentia esset pro essent. Nam potentiam tenendi pro viribus ad tenendum nemo Livii ætate dixit; nec eiusdem generis est, quod Seneca ad Marciam c. 7, 3 dixit secandi potentiam (Schneidevermögen).

stincte Polybius nominat (III, 72, 8); ex hac tota acie per eam partem Romani perruperunt, quam Galli expleverant. Polybius (74, 4) Gallos et partem aliquam Afrorum victam a perrumpentibus dicit. Itaque scribendum est: media Afrorum acie, **qua** (ubi) Gallicis auxiliis firmata erat, — perrupere. [Sic Rupertius.] Neque ablativus localis (media A. acie) apte poneretur, si, ipsa acies quorum hominum esset, significaretur, sed mediam aciem (sie durchbrachen das Centrum, das aus Galliern bestand; alterum est: sie brachen im Centrum durch, da wo es aus G. bestand). Lib. XXII, 47, 7 recte editur: media, qua Galli Hispanique steterant, -- acie; sed P habet quæ falli, ceteri mediaque Galli. (Initio capitis, ubi in P est: fecere fugam quoque novus additus terror Romanis cet., eadem, quæ non raro alibi tenetur, transpositio, de qua ad XXII, 2, 8 et 9 dicam, novo mendo aucta est. Fuerat enim scriptum: fugam, novusque additus terror cet. 1862.)

Cap. 57, 2 et 3, ubi exponitur de terrore urbi iniecto post pugnam Trebiensem sermonibusque hominum anxiorum, insidet mendum orationis et sententiæ forma meo iudicio manifestissimum et ad corrigendum certissimum, sed tamen eiusmodi, quod fallere diu possit et in quo coarguendo nonnulli ægre sibi persuaderi patiantur quum propter antiquitatem et quod nihil omnino vestigii in ulla discrepantia codicum relictum est, tum quod non ex oculorum, sed ex animi errore ortum et in interpolatione positum est. Sic enim homines conquesti narrantur: Uno consule ad Ticinum victo, altero ex Sicilia revocato, duobus consulibus, duobus consularibus exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones esse, quæ arcessantur? Apparet, omnia, quæ ad rem pertineant, contineri his postremis: duobus consulibus — victis, superiora illa: uno — victo, altero — revocato non solum supervacua esse, sed etiam vitiosa; illud enim

unum quæritur, utroque consule, utroque exercitu victo, (228) ecquid supersit auxilii; ad hanc interrogationem nihil pertinet unius consulis adversum proelium, multo minus alterius consulis ex Sicilia revocatio, quæ, ut nunc locus scribitur, inter calamitates numeratur, quum reapse inter auxilia fuerit. Ad hæc attendenti perspicuum fit, comparari inter se superiorem calamitatem, quum, uno tantum consule victo, aliquid tamen superfuerit spei et copiarum, et eam, quæ nunc rem publicam obruerit. Hoc animadverso, simul patefit, ut inter se contraria sint: uno consule — victo et: duobus consulibus — victis, sic hæc duo: altero ex Sicilia revocato et: quos alios duces cet. ita contraria esse debere, ut in altero præsidii alicuius reliqui, in altero omnium deletorum nec ullius spei relictæ significatio sit. Atque sic hæc inter se referri et comparari, perspicue ostendunt ipsa verba revocato et arcessantur. Scripserat igitur Livius: Uno consule ad Ticinum victo, alterum ex Sicilia revocatum; duobus consulibus, duobus consularibus exercitibus victis, quos alios duces, quas alias legiones esse, quæ arcessantur? Post Ticinense Scipionis incommodum Sempronium arcessi potuisse dicunt; quem nunc posse? Librarius antiquus, sententia rhetoricaque orationis forma non animadversa, audacter dicam an dormitans? accusativos inter ablativos interpositos ad hos accommodavit: uno — victo, altero — revocato, duobus — victis [prorsus quomodo IV, 43, 12 pro tribuni pl. scriptum est tribunos ob præcedens tribunos mil.][1])

Cap. 59, 4: Hannibal — ceteros confertos in media castra recepit intentosque signum ad erum-

[1]) Vetus hæc apud me emendatio casu apud Ingerslevium omissa est. Infra hoc capite (§ 10) oratio sic interpungenda est: Id emporium Romanis Gallico bello fuerat; munitum inde (non: fuerat munitum; inde) locum frequentaverant ac-

pendum spectare iubet. Non enarrando („fast exspectare“, Weiss.), sed corrigendo effici debet signum — exspectare. Signum spectatur, quum iam propositum est (eodemque significatu gloria, præmium spectari dicitur, quia ea proposita ob oculos versantur), nondum propositum tantum exspectari potest aut, si anxie quæras et, unde venturum sit, ignores, circumspectari. De frequentissima confusione utriusque verbi nihil opus est dici. Eodem capite (§ 7), ubi agitur de pugna ingentibus utrimque animis coepta, sed nocte, quum etiamtum incerta victoria esset, dirempta, quæ ex codicum vestigiis (P pugna raro magis ullaaeaut utriusque partis pernicie clarior fuisset) ab aliis effecta sunt, non satisfaciunt; requiritur enim aliquid, quod illis: aut utriusque partis pernicie clarior contrarium sit, quoniam ex ingentibus pugnantium animis prævideri non potest, utriusque partis pernicie clarum proelium fore; proximum occurrit, alteram partem, etiamsi cum multo sanguine, victricem fore, alteram interituram; præterea pugna raro magis ulla sæva (aut si quod aliud adiectivum ponitur) vitiosum habere videtur verborum ordinem (pro ulla magis). Videtur Livius scripsisse: pugna raro magis sæva et aut **alterius aut** utriusque partis pernicie clarior fuisset. De sæva, quod aliorum est inventum, dubito; sed tamen, s semel scripto, ex æva videtur ulla oriri potuisse.[1]) (229)

Cap. 62, 4, ubi corvum in ædem Iunonis devolasse atque in ipso pulvinario consedisse nuntiatum

---

colæ mixti cet. In munimentis causa fuit frequentiæ. Ex prava interpunctione natum, quod e deterioribus codd. olim edebatur: a Romanis; nunc hic quoque dativum illum habemus, qui pro ab positus fingitur extra eos fines, quos huius ætatis prosa oratio servavit arctissimos.

[1]) [Æqua aut dubia falso scribitur; nam æquo et dubio eventu reapse discessum est; si nox non intervenisset, certus eventus fuisset et sævus, vix æquus.]

narratur, non dubito, quin inauditum, si Plauti locum dubium excipias, usitati vocabuli et a Livio sæpe positi ablativum genuerit • littera et secundæ declinationis ablativi forma ex ipso inhærens librarii animo scribendumque sit, ut est in Lov. 3: in *ipso pulvinari*. Sed molestior superest in hoc capite dubitatio. Nam infra (§ 9), ubi commemoratur, quæ prodigiorum procurandorum causa decreta factaque sint, hæc leguntur: *Romæ quoque et lectisternium Iuventati et supplicatio ad ædem Herculis nominatim, deinde universo populo circa omnia*
(230) *pulvinaria indicta.* Unum hoc exstat exemplum lectisternii Iuventati facti. Habet aliquid admirationis aut, si voces *ad ædem* H. et ad lectisternium et ad supplicationem pertinent, lectisternium ad ædem Herculis non ipsi Herculi factum, aut, si loci mentionem tantum ad supplicationem pertinere putamus, hæc in eadem re lectisternii Iuventati, supplicationis Herculi factæ separatio. Verum hæc inter multa alia in sacris Romanis ignota et obscura prætermitti possunt; illud præterire non possum, quod ex eo, quod sequitur: *universo populo* (*circa omnia pulvinaria*, quod contrarium est illi: *ad ædem Herculis nominatim*), certum est, quamquam id neminem aut ex Livii enarratoribus attingere video aut ex iis, qui hoc loco usi sunt, lectisternium illud et supplicationem ad ædem Herculis tantum parti populi indicta fuisse. [Nam *universus populus* coniuges liberosque adfuisse parum apte significat.] Ea pars quæ fuisset, non poterat Livius in hac partis et universi populi distinctione tacere; nam si quis dixerit, ipso deæ nomine satis significari, qui supplicatum ierint, parum tamen hoc respondet dativo, qui sequitur, *universo populo*; habebimus autem nomen, si sic scripserimus: *Romæ quoque et lectisternium* **iuventuti** *et supplicatio ad æd. H. nominatim, deinde universo populo* cet. Et tamen vix audeo, dea expulsa, *iuventutem* Romanam (cum recentioribus codd.) substituere, nec

diffiteor, supplicationem iunioribus indictam magis placere quam lectisternium, quod sacerdotes curabant; semel senatores lectos stravisse legimus (XXII, 1). (§ 7 necessario scribendum nam (pro iam) primum. Explicatur, quod significatum breviter erat, non transitur ad novam rem. Lib. I, 1, 1 Livius a prooemio ad ipsam rem transit. 1862.)

Lib. XXII.

Cap. 1, 16, ubi in P est cordi esse divinis carminibus præfarentur, quoniam esse divis et profarentur alii restituerunt, præpositio restat addenda (e carminibus). Neque enim decemviri versibus loquebantur, sed ex libris et carminibus prodebant, quæ ibi legerant. (1862.)

Cap. 2, 8 et 9 nihil mihi relictum esset, quod emendarem, si Weissenbornius obiectam animo speciem tenuisset limassetque. Scribitur enim sic de Hannibalis militibus inundatione camporum Etruriæ vexatis: Quum — nihil, ubi in sicco fessa sternerent corpora, inveniri posset, cumulatis in aquas sarcinis insuper incumbebant; iumentorum itinere toto prostrato- (231) rum acervi tantum, quod exstaret aqua, quærentibus ad quietem parvi temporis necessarium cubile dabant. Duo apparet distingui requiescendi genera, super cumulatas sarcinas et super iumentorum cadavera; sed sic narratur, tanquam iisdem, qui sarcinas cumularant, iumenta cubile præbuerint. Hoc animadverso orationis vitio Dukerus ante iumentorum desiderari vel scripsit; Weissenbornius, orationem sine alii vel aut dure continuari. Nimirum id ipsum aut restituendum est, interceptum ob trium extremarum litterarum verbi incumbebant similitudinem (incumbebant, aut iumentorum). Quod præterea dicturus eram, scribendum esse sublata litteræ s geminatione: cumulatis in aqua sarcinis, occupavit Finckhius (Zeitschr. f. d. Alterthumswiss. 1855 p. 168). In aquas cumulari fortasse dici possent, quæ in conclusas

aquas ad locum totum explendum coniicerentur; quæ in aquarum undique circumstrepentium exiguo loco exstruuntur, ea *in aqua* cumulantur. Postremo Creverii quoque in hoc capite scitam emendationem commendemus; nam supra (§ 6), ubi hæc leguntur: *Galli neque sustinere se prolapsi neque assurgere ex voraginibus poterant*, is intellexit, homines nondum prolapsos sese sustinere studere, quum prolapsi sint, tum assurgere; itaque facta transpositione scribendum esse: *neque sustinere se neque prolapsi assurgere* cet.[1]) Immutati eodem modo apertissime vocum ordinis (quum librarius omissam primum incuria vocem post proximam insereret) in Puteaneo et inde in ceteris (nisi ubi correctio accessit) permulta sunt exempla, velut in hoc ipso libro c. 7, 14 (*aut copiis quibus* pro *aut quibus cop.*), 8 extr. (*ac penatibus pro urbe*, quum scribendum esset *pro urbe ac pen.*), 24, 6 (*haud quia dubie* pro *quia h. d.*), 27, 7 (*solum non* pro *n. sol.*) et 10 (*se inter* pro *inter se*), 35, 7 (*quem iam non antea*, quod in editionibus retinetur, quamquam Weissenbornius pravum esse sensit, pro *quem non iam*
(232) *antea*), 39, 17 (*cives tibi quam magis hostes* pro *cives tibi magis quam hostes*), 52, 1 (*brachio flumine obiecto* pro *obiecto flumine*). Ex proximis tribus libris hæc e pluribus notavi: XXIII, 16, 4 (*Romanorum coeptæ*, quod Alschefskius tenuit), 32, 14 (*ad diem conveniendum*), XXIV, 28, 9 et 39, 9 (de quibus locis dicam), XXV, 13, 8 (*circa ad consules Bovianum* pro *ad coss. circa B.*) et 40, 1 (*ornamenta signa urbis* pro *ornamenta urbis signaque*).

Cap. 3, 13: *abi, nuntia, effodiant signum, si manus — præ metu obtorpuerit.* Neque futurum exactum neque coniunctivus ferri potest (*effodi signum, si manus*

---

[1]) [Recte tamen Woelfflinus ordinem in codicibus traditum defendit, collatis his locis: I, 56, 12 et 58, 11, V, 21, 16 et 47, 5.]

obtorpuit) neque singularis, ubi plures effodere iubentur. Edd. vett. obtorpuerint; scribendum obtorpuerunt. (1862.)[1])

*Cap. 4, 4: Flaminius — id tantum hostium, quod ex adverso erat, conspexit; ab tergo ac super caput deceptæ insidiæ. Sic in codicibus scribitur, excepta unius et alterius recentissimi levi aberratione; ex quo quod Lipsius fecit decepere, neque erroris probabilis origo demonstrari potest neque decipere unquam in prosa oratione est fallere, latere, λανθάνειν. Quodnam lateat participium, in quo significatio non animadversarum insit, difficile est dictu. Nam relictæ longius abit. [Nuper alii haud dispectæ. Mihi postea suspicio oborta est, potuisse Livium, qui XXI, 33, 6 (præeunte quodam modo Vergilio Æn. VIII, 23) valles repercussas dixit, quæ sonum repercuterent, etiam deceptus participium brevitatis studio nove dicere de re, quæ decipiat nec animadvertatur et in qua aliquis decipiatur, usu pæne poetico, quemadmodum Ovidius Trist. IV, 1, 14 dixit: fallitur ancillæ decipiturque labor (idemque et fallere laborem), eodemque referendum esse in VIII, 7, 18, quem locum antea coniectura tentaveram, specimen virtutis deceptum vana imagine decoris, hoc est, in quo quis deceptus sit vana imagine, quo modo idem Ovidius ex Pont. IV, 6, 15 culpam deceptam dixit, in quam quis deceptus inciderit.][2])

---

[1]) Cap. 3, 9 non expletur lacuna uno verbo dedisset. Neque enim Livius Flaminium induxisset, postquam se ex consilio proripuisset, apud eos homines, qui consilio non interfuerant (— qui præterea ne verbo quidem significantur —), orationem ab his verbis: imo sedeamus ordientem, in quibus imo, quo referatur, non habet.

[2]) In transcursu dicam, apud Polybium III, 83, 4 in harum ipsarum insidiarum descriptione, pro κατὰ ταύτην τὴν εἴσοδον e codicum (DEF apud Bekkerum) vestigiis (καὶ ταύτην) scribendum esse: κατ' αὐτὴν τὴν εἴσοδον. Apud Livium c. 7, 4, ubi nunc in PC repertum est: nihil austum (non haustum) ex vano velim, vera est Walchii coniectura auctum scribentis. Habebat et altera fama, qua nu-

Cap. 5, 3: ut sua signa atque ordinem et locum nosceret miles. Put. et omnes boni: ordinem sed locum nosceret, omisso miles. Primum fit ordines et; nam cum signis conveniunt ordines, non ordo; s ad et tracto (set) additum est m, ut c. 6, 2 pro hostes summa (hostesumma) scriptum est hostem summa. Deinde scribendum noscerent; ex eo propter poterat, aberat, competeret factum nosceret, tum additum miles. (Noscerent iam Pal. 1 et Aldus.) (1862.) § 8 in his: fors conglobabat et animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat, tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnæ animus, ut cet. vix dubium videtur, quin animus tertio loco a mala manu sit. (1872.)

(238) *Cap. 8, 6 cogor veterem ignoti hominis coniecturam (in editione Ascensiana a. 1513, ut aiunt, primum proditam), in qua ceteri omnes acquieverunt, loco movere et gravius vulnus, quam quod illa sanatum putarunt, aperire, coniunctum etiam cum Livii aliqua neglegentia. Nam postquam Livius ad dictatoris dicendi consilium civitatem confugisse narravit, de dictatura ad Q. Fabium Maximum delata sic scribit: et quia et consul aberat, a quo uno dici posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium aut litteras mitti, nec dictatorem populus (Put. populo) creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat, dictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum et magistrum equitum M. Minucium Rufum. Quum aperte hæc inter se repugnarent, populum, quia creare dictatorem non posset, creasse, ille, quem dixi, ignotus homo

meri augebantur, auctores; itaque Livius, si eam secutus esset, non ex vano hausisset (si omnino dicitur recte ex vano haurire); nec Livius scriptorum animos insimulat nimis inclinare, ut ex vano hauriant, hoc est, res ipsas fingant, sed ut res et numeros in maius augeant. (Valerius Antias quin significetur, dubium non est.)

substituit: prodictatorem pop. creavit Q. Fabium,
coniectura ducta ex iis, quæ Livius hoc ipso libro c. 31
scribit, Cælium Antipatrum et alios reprehendens. Ne di-
cam, satis audax hoc esse corrigendi genus, quod nulla
syllabæ maxime necessariæ omissæ causa excogitari potest,
utque omittam, non minus promagistrum equitum ap-
pellandum fuisse, quoniam nihilo magis magister equitum
a populo creari poterat, omnino non credo Livium pro-
dictatorem creatum scribere potuisse. Nam quum, qui-
bus aut prorogatum imperium erat aut extra ordinem da-
tum, diu tantum pro consule (pro prætore) esse dice-
rentur nec haberent proprium, quo appellarentur, nomen
(substantivum; nam M. Tullius pro consule dicebatur),
sensim tamen eo perventum est, ut pro uno nomine dicere- (234)
tur proconsul, proprætor; ea, quorum rarior usus erat,
nondum Ciceronis Liviique ætate ne quotidiano quidem usu
recepta fuisse, ostendit pro magistro semper appellatus,
qui magistri vice fungeretur, et vitatum (ut hoc utar) a
Cicerone in commemoranda Verris in Cilicia administratione
quæstorii muneris (Verr. I c. 36 sqq.) proquæstoris nomen.
Prodictatoris quidem appellatio ex uno illo homine, qui
dictatoriam potestatem extra ordinem ea ætate habuit, qua
nondum quisquam proconsulis nomen (substantivum per
casus declinatum) audiverat, nasci vix potuit. Itaque et
ceteri et Livius in reliqua narratione Fabium dictatorem
sine ulla varietate appellant; ac ne illo quidem loco, quo
Livius ceterorum errorem castigat, prodictatoris nomine
utitur, sed creatum, qui pro dictatore esset, dicit.
Atque mihi illum locum legenti et cum superiore narratione
comparanti contendentique illum libri quarti locum (c. 19
et 20), quo Livius primum satis multis et splendidis verbis
spolia opima a Cornelio Cosso tr. militum capta narrat,
omnes ante se auctores secutus, deinde autem critici
personam suscipit, probabile ac potius certum fit, Livium
usque ad illum in cap. 31 locum, secutum omnium prope

annales et Cælium, simpliciter de Fabio tanquam dictatore creato narrasse, ibi autem subito id, quod interea alicubi adnotatum repperisset, interposuisse cum gravi illa accuratæ investigationis specie, quam subinde ei placuit narrationi ex proximo ductæ et interdum incaute verbis exornatæ obducere. Itaque hoc, de quo agimus, loco nondum quidquam Livium de *prodictatore* cogitasse puto, quod si fecisset, hic illam aliorum reprehensionem posuisset et ea verborum proprietate usus esset, qua illic utitur. Atque *dictatorem* Livium scripsisse, perspicue etiam ostendit præposita illa sententia: *quod nunquam ante eam diem factum erat*, quæ non superiorum causam continet (dicendum enim tum erat *quod id*, nec iuris illa causa erat), sed ad id, quod sequitur, pertinet; non erat autem profecto, cur Livius *prodictatorem* nunquam antea a
(235) populo creatum adnotaret, quum nemo omnino prodictator ante fuisset. Repugnantiæ autem manifestæ et intolerabilis causa non in dictatoris nomine posita est, sed in superiorum verborum depravatione, quam arguit gravi indicio cod. P, *populo*, non *populus* habens, cum magna lacunæ suspicione. Quum enim senatus dictatorem creandum censuisset nec adesset, qui eum diceret, consul, proximum occurrere poterat, ut ab ipso senatu crearetur; id quum non liceret, ad populum, cuius summum ius erat, ventum est. Videtur igitur Livius scripsisse: *nec dictatorem populo* **non consulto senatus** *creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat, dictatorem populus* cet., similive modo. De lacunis in hac decade frequentibus dixi supra p. 208, exemplis ex hoc ipso libro positis.[1]) Paulo ante (§ 3) non posse post *æstimare* (id

[1]) [Pravam esse coniecturam vulgo receptam, Woelfflinus mihi assensus scripsit: *nec dictatorem prætor* (pro *populo*) *creare poterat*, — *dictatorem*. Verum nihilo magis consul quam prætor dictatorem illo, quo intellegi vult, sensu *creare* poterat, tantum *dicere*;

est, æstimabant) inter sentiretur et aggravaret — possent ferri medium interpositum inciderit, sed unam litteram mutandam esse, ut sit incideret, apparet; ineptissime in hoc uno membro figura aliqua fingitur.

Cap. 9, 2 (de Hannibale a Spoletio, quod oppugnaverat, cum magna suorum cæde repulso): coniectans ex unius coloniæ haud nimis prospere tentatæ viribus, quanta moles Romanæ urbis esset. Figura ea, quæ λιτότης appellatur, Livium usum putant, quæ in hoc loco esset, si pro valde infeliciter dixisset minus prospere; quum ea urbs, a qua quis cum magna cæde discessit, haud nimis prospere tentata dicitur, acerba et prope scurrilis irrisio est, parum Livii narrationi apta. Sed scriptura nullum habet testem locupletem; nam in PC scribitur: haudminueprospere (in C a sec. manu haud minu' prospere), in M (Harl., Lov. 3[?]) haud minus prospere; in recentioribus longius aberratur. Verum est minus prospere tentatæ, sed haud præpositum ostendit, Livium ad hanc formam scripsisse: ex unius coloniæ haud **maximæ** minus (vel potius cum Lov. 3[?] minime, ad rem aptius et vestigiis P propius) prospere tentatæ viribus, aptissime ad Hannibalis coniecturam. (236) [Minime probabiliter deletur minus.] Paulo post (§ 6) recte Gronovius in prima notarum editione scribi voluerat: levibus proeliis — factis pro actis. Nam proelium, pugnam agere in prosa oratione nemo bonus aut mediocris scriptor dixit (non magis quam bellum agere, de quo admonui breviter p. 108 not.), quamvis corradantur (ut a Drakenborchio ad Liv. epit. 49) pauci librariorum in permutatione non rara (factus, actus) errores aut locus unus et

suffragiis populi prætorem, quum ipse comitiis præesset, hoc ipso tempore consule absente dictatorem creasse ipse Livius significat. Mommsenius (Corp. Inscr. Lat. I p. 288, Roem. Staatsrecht II, 1 p. 131) omnia hæc: nec dictatorem populus (populo) creare poterat tollit, prorsus violenter et sine ulla probabilitate.]

alter a poeta versu cogente aut cum singulari aliqua significatione scriptus.

In cap. 10, § 2, ubi narratur de voto ob rem publicam suscepto, quoniam in P ceterisque bonis codicibus scribitur: si res p. p. R. Quiritium ad quinquennium proximum sic uelim eamque salvam servaverit, primum efficitur, quod pridem restitutum est: si res p. — salva servata erit. Deinde autem ex sic uelim eamque fit sicut velim voveamque, retractis tribus litteris, quibus omissis natum est eamque et ad id accommodatum est salvam servaverit. Prorsus incaute corrigendo tollitur que, praveque ad velim adiungitur eam salvam; debebat saltem dici sicut eam servari velim, servata erit. Diligenter prætor duobus verbis cavet, ut ita votum intellegatur, quemadmodum ipse mente conceperit. (1862.) *Deinde § 3 Lipsii emendationem, qua, transpositione facta, ea coniunguntur, quæ sententia et narrationis natura cohærent (hisce duellis, quod duellum, tum: donum duit, quod ver attulerit), post Gronovium non commendabo, neque explicabo, quam perversa sint, quæ excogitata sunt ad defendendam codicum scripturam omni orationis legi et iuncturæ repugnantem (in qua post apodosin interponitur sententia relativa ad nomen in protasi positum adnexa, deinde autem altera sententia relativa adhæret nomini in apodosi posito accommodata), velut quod nuper Weissenbornius, etsi dubitat, tamen hanc confusionem antiqui aliquid habere putat et fortasse ex vetusto fonte a Livio retentam esse, quasi quidquam sit antiquius et veterum formularum magis proprium quam hæc ipsa in substantivo geminando diligentia: hisce duellis, quod duellum — quæque duella. (Prorsus eiusdem generis exemplum sententiæ loco suo motæ in hoc ipso libro c. 38, 2 a Creverio et Drakenborchio notatum est, ubi Weissenbornius iniuria additamentum subesse putat, cuius nihil in codice archetypo huius decadis simile reperitur, tertium

plurium etiam verborum c. 32 initio a Frobenio a. 1531 correctum est, quem omnes sequuntur, quartum in libro XXVIII, 7, 3 animadvertit Creverius, quintum coarguam in libro XXX, 12, 3; in prima decade eiusdemmodi transpositio notata est libro VIII, 10, 12 et 13, ubi etiam e quarta et quinta exempla posui.) Hoc igitur misso minorem rem agam. Nam quod sic scribitur: datum donum duit, quidquid Gronovius molitur, plane perversum est datum donum dare longissimeque distant, quæ comparantur, in quibus aut simpliciter repetita actio significatur (ut quum perdi- (237)
tum iam aliquis iterum perdere dicitur) aut recte gradus actionis distinguuntur (ut quum aliquis primum prolapsus deinde prorsus cecidisse dicitur); quid de eo dicam, quod Gronovius datum dare vult esse nunc votum postea dare? aut quod Weissenbornius datum (donum) dare comparat cum eo, quod dicitur facinus facere? Simile enim esset, si diceretur factum facinus facere. Verum non solum datum pravum est, sed et in vulgata totius loci scriptura et multo magis restituto recto sententiarum ordine deesse aliquid admoniti sentient periti; nam in his votorum, iuris iurandi, precationum formulis, posita pluribus verbis condicione, ipsius voti precumve initium cum gravitate quadam et simplicitate notatur particula tum, ut in hoc ipso libro c. 53, 10, etsi ibi perbrevis est condicio, lib. I, 24, 8 et 32, 7, XXXVI, 2, 4, qui locus huic simillimus est. Ex illa particula natum est participium; Livius scripserat: — qui cis Alpes sunt, **tum** donum duit, quod ver cet. [Quam in § 6 a. 1862 commendaveram Strothii coniecturam ac transponentis, nunc et Weissenbornius et Woelfflinus sequuntur. 1875.][1])

---

[1]) Cap. 12, 6 (et prudentiam quidem, non vim dictatoris extemplo timuit; constantiam hauddum expertus — tentare animum — coepit) certa est Gronovii coniectura novi pro non. vim. Nam vis Fabii inepte excipitur, quoniam eius neque ulla erat apud Hannibalem exspectatio neque ulla apud

Cap. 13, 6: per Allifanum Calatinumque et Calenum agrum (Hannibal) in campum Stellatem de-
(238) scendit. Recte intellectum est nuper, Calatinum agrum, qui ultra Vulturnum amnem ad meridiem versus situs erat, in hoc itinere Hannibalem attingere nullo modo potuisse. Sed quod Weissenbornius Stierii coniecturam (Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1852 n. 26) secutus Caiatinum posuit, ipse sensit, etiam Caiatiam longius ad meridiem remotam esse nec itineris rationem constare; et aliud multo aptius nomen ipsorum codicum (PC) vestigia manifesta offerunt, in quibus est: per alifanum allifanumque et cet. Scripserat igitur Livius una littera c plus: per Allifanum Callifanumque aut (si cui id aptius videtur, Callifarum situm non prorsus, ut opinor, certum coniectanti): per Callifanum Allifanumque, eorundem oppidorum vicinorum nominibus coniunctis, quæ etiam VIII, 25, 4 coniunguntur.

*Cap. 14, 14 (in oratione M. Minucii Q. Fabii belli gerendi rationem exagitantis): Stultitia est sedendo aut votis debellari credere posse; armari copias oportet, deducendas in æquum, ut vir cum viro congrediaris. Posui, omissa Alschefskii perversitate, eam scripturam, quæ vulgo circumferebatur, coniectura adiuta, ut intellegi utcunque posset, in qua tamen (ut omittam copias hoc loco incommode pro militibus commemoratas) neque

---

Livium in superioribus significatio est; neque vis Fabii cum prudentia quasi animi qualitas aliqua comparari potest; quumque et ex tota sententia et ex ipsis verbis (prudentiam extemplo — constantiam hauddum expertus) manifestum sit, quæ inter se contraria referantur, ea contrariorum relatio tollitur et perturbatur illis non vim. Sed quod Gronovius præterea ductoris scribi vult, quod nulli superiores dictatores sint, quibuscum Fabius comparari possit, non puto necessarium esse. Novus enim dictator sic dicitur nuper creatus, ut simul subsit significatio pro aliis magistratibus substituti. [§ 5 ex eo, quod in P scribitur: Flaminissempronioque, fit duce haudquaquam Flaminii Semproniique simili. 1862.]

consilii significatio in deducendas apta est et vehementissime offendit secunda persona singularis numeri (ut vir cum viro congrediaris) post illud armari copias oportet. Sed in codicibus omnibus scribitur: armari copias oportet et deducendas in æquum et vir cum viro congrediaris, nisi quod P una littera a ceteris discrepans (armari capias) verum monstrat. Scribendum est enim elegantissima et aptissima orationis forma et sibi ab initio ad extremum constanti: **Arma capias** oportet et **descendas** in æquum et vir cum viro congrediaris. Ex arma ob præcedens debellari ortum armari, tum capias, quod P servavit, in ceteris in copias (239)
mutatum. Descendas facillime in deducendas transibat.[1])

Cap. 17, 3 (de bubus fasces virgarum et sarmentorum cornibus adligatos portantibus et ante exercitum per saltum et montes actis): quo repente discursu, haud secus quam silvis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere. Si sic Livius scripsit, non solum parum

---

[1]) Hanc emendationem quum Weissenbornius totam ab Ingerslevio sumere posset, maluit partem posteriorem (et descendas) ab Heerwagenio accipere, relicta hac inæqualitate: armari copias oportet et descendas. In capitis 15 initio frustra Weissenbornius se torquet, ut ex mendosa codicum scriptura sententiam efficiat. Nam ut omittam intentum inter suos Latinum non esse et obscurissime dici illud prius ab aliis invictum (et in prius pro antea vitiose), prorsus perversum est præstare animum prius invictum, quoniam animi invicti præstatio ad id, quod nunc agitur, tempus pertinet comparatioque superioris temporis longe aliter significanda fuit. Quid sententia postulet, perspicuum est. Fabio et contra cives et contra hostes pugnandum erat; prius præstitit, quod ordine rerum prius erat, ne illorum pravis iudiciis et rumoribus moveretur. Inter pro in ex male repetita extrema syllaba vocis pariter ortum est, aliis pro illis pervagato errore. [§ 5 post Numidas excidit non vidit, sed vidit et. 1862. Cap. 16, 4 ex situas recte Weissenbornius silvas fecit; sed quæ præcedunt litteræ, rectius separandæ, ut scribatur: per horridas silvas, non perhorridas; neque enim inter silvas hibernaturus erat Hannibal. 1872.]

considerate scripsit, sed confuse et inconstanter. Primum si omnia virgulta arsissent, non vano terrore (quod tota narratio significat), sed vero ac gravi periculo conflictatum Romanum præsidium esset. Neque profecto, si omnia virgulta arsissent, flammæ arboribus pepercissent (in quo hæsit etiam Weissenbornius). Sed nihil arsisse, nisi fasces in cornibus boum et speciem tantum incendii fuisse, et ceteri scriptores (Polybius, Appianus, Plutarchus, Silius Italicus) tradunt, uno excepto Zonara (VIII, 26: πολλαχῇ τὴν ὕλην ἐνέπρησαν), qui non virgulta, sed, ut par erat, silvas arboresque incendio correptas narrat, et hoc Livius ipse perspicue in iis, quæ subiicit (§ 4 et 5), sequitur; nam densas flammas
(240) ibi fuisse significat, ubi conferti boves essent, paucos tamen boves a ceteris palatos alibi flammas ostendisse; eodemque pertinet ipsum illud: haud secus quam — accensis. Recte igitur, ut opinor, Ant. Perizonius visa requirebat (virgulta ardere visa; malim virgulta visa ardere); potestque in hac speciei incendii significatione defendi virgultorum a reliqua silva separatio. Nam virgulta boves non alte eminentes æquabant et fere tegebant; itaque hæc flammis correpta videbantur; ex arboribus altioribus nihil collucebat. (Paulo ante § 2 calor ad vivum ad imaque cornuum inepte advenire dicitur. Fuit aut veniens aut deveniens. 1872.)

*Cap. 19, 3 (de Hasdrubale): quadraginta navium classem Himilconi tradit atque ita Carthagine profectus navibus prope terram exercitum in litore ducebat, paratus confligere, quacunque parte copiarum hostis occurrisset. Non recte coniungi profectus navibus, plures senserunt; nam neque dicitur ita (sed et proficisci navi de ea, in qua veharis, et proficisci multis, decem navibus de comitatu et classe), nec ipse Hasdrubal in classe, quam Himilconi tradiderat, sed ad terrestrem exercitum fuisse videtur, et apparet, hæc contraria inter se referri, quæ pertinent ad itineris formam:

navibus prope terram, exercitum in litore, præmisso seorsum: ita Carthagine profectus. Sed quod ad ablativum (navibus) ex ducebat aptum ei casui verbum audiri voluerunt, qui nuper hæc enarrarunt, fieri non potest in brevi hac et aperta orationis forma et membrorum coniunctione, quum præsertim per se ducebat utrique membro aptissimum sit. Restat, ut simpliciter scribatur: navis (naves) prope terram, exercitum in litore ducebat. [Sic Rupertius.] Eodem errore XXI, 43, 4 ex habentes factum est habentibus et 58, 1 haud longis inde temporibus ex haud longi inde temporis. Paulo post § 10, ubi in codicibus scribitur miles prohibebatur (pro prohibetur), video nuper edi coeptum miles prohibentur, genere dicendi Alschefskio auctore digno. Ea est enim ipsa origo et vis usus eius, quo eques, miles, Romanus, similia pro equestri ordine aut equitatu, militibus, (241) Romanis dicuntur, ut totus ordo et genus unius hominis specie animo concipiatur, quod totum tollitur et evertitur addito verbo plurali. [Æque prave III, 42, 5 Alschefskius Weissenbornio persuasit, ut miles — se — contulerant ederet. Nunc utrumque Weissenbornius abiecit. Aliud est in cursu orationis transiri ad pluralem, ut X, 35, 12: vallum secum portare Samnitem adfirmant, nec dubium esse, quin castra circumvallaturi sint, XXIV, 15, 6: eques — in hostes emissus; quibus quum cet.] (Prorsus contrarium hoc est collectivorum usui, quo pro una multitudine subiiciuntur plures homines; etsi in eo quoque gravissime interdum erratur, ut significavi ad IV, 58 p. 108.)

Cap. 20, 1 non puto Livium in aperta significatione rei longius spatium obtinentis dixisse: aciem toto prætentam in litore, hoc præsertim verborum ordine, sed toto prætentam litore, præpositionemque ortam esse ex littera m.[1])

---

[1]) Eodem capite § 7, ubi in codicibus (P ceterisque bonis) est: periectas oras, sed in Ebusum insulam transmissum, vellem

*Cap. 22, 13 (ubi Abelux Bostari suadet, ut Hispanis obsides reddat): Id et privatim parentibus, quorum maximum nomen in civitatibus est suis, et publice populis gratum erit. In obsidibus capiendis non nominis fama spectatur, ut eorum tantum liberi deligantur, qui factis et rebus gestis illustres sint, sed eorum capiuntur filii, qui natalibus, divitiis, cognationibus multum inter suos possunt. In barbaris quidem gentibus etiam ineptior est hæc nominis magni mentio. Abelux Bostari parentum illorum in suis civitatibus vires et auctoritatem proponebat, pro Carthaginiensibus staturam hoc accepto obsidum remissorum beneficio. Itaque non nomen, sed momentum agebatur, idque vocabulum a Livio positum fuisse prope certum est.

(242) Cap. 24, 8: Simul et per aversa castra e castris Hannibalis equitatus (Romanus) cum levi armatura emissus in frumentatores late cædem fugamque hostium palatorum fecit. In hac codicum scriptura quum iure displicerent aversa castra e castris Hannibalis, fere eo decursum est, ut omitterentur verba e castris Hann., nisi quod Weissenbornius aliquid excidisse suspicatus est, quæ suspicio hoc quidem loco, ubi nihil omnino ad sententiam explendam requiritur nec quidquam occurrit supplementi, in quod illa verba apte includantur, nullam habet probabilitatem. Sed omissis illis parum usitate per aversa castra dicitur de aversa castrorum parte vel potius de aversa castrorum porta; neque enim per castra (ne per partem quidem castrorum) emittuntur, qui castris egrediuntur. Mihi quidem multo probabilius videtur castra a mala manu accessisse, quum Livius scripsisset: per aversa

---

Weissenbornius tenuisset eam coniecturam, in quam ante inciderat quamque ego quoque feceram: nec continentis modo prælectast ora, etsi id compositum nunc Tacitum primum habet testem. Passiva orationis forma multo est rectior.

a (ab) castris Hannibalis equitatus — emissus, hoc est, per eam partem agri circumiacentis, quæ a castris Hannibalis aversa erat (pone Romana castra). Apparet, qui ad aversa, quod absolute positum librarius non intellegebat, adscribi potuerit castra; in reliquis unam litteram (a pro e) mutavi. Gravior dubitatio restat paulo post, eo difficilior explicatu, quod, quamquam per totum hoc caput, tamen ibi (§ 9 et 10) maxime apparet, quanto opere Livius dilucidam Polybii narrationem (III, 101, 102) quædam sine dilectu cohærentiæque cura excerpendo et flosculos rhetoricos addendo perverterit et obscuraverit. In tali enim loco quid dictum non dictumve sit et quibus verbis quoque ordine, difficile est iudicare. (Flosculos additos quum dico, significo et illud supra, § 4, emblema: quod minime quis crederet, in quo Creverius iure hæsit; — quid enim miri est, quum hostis propior sit, a bono imperatore minui pabulatorum, augeri præsidii nu- (243)
merum? — et Fabii artium mentionem.) Id tamen manifestum est et ex sententiæ orationisque forma et ex codicum indiciis, mendum hærere in § 10, quem locum PCM sic scriptum habent: Iamque artibus Fabiis pars exercitus aberat iam fame sedendo et cunctando bellum gerebat. Quod pro fame a Sabellico substitutum est (et fortasse iam ante ab aliquo, etsi in codd. Drakenborchianis plerisque fame fuit), ferme, pravum est; neque enim in tali tempore, quum Hannibal ob paucitatem militum vix castra tutari posset, pars exercitus ferme abesse, quasi subinde discedens et rediens, dici poterat. Sed præterquam quod famis mentio neque fieri hoc loco a Livio nisi per summum errorem potuit (nam dimissi milites ab Hannibale erant ad commeatus in futurum hiemis usum et ad pabulum pecori convehendum, cui soli fames timeri poterat) neque eius verbi tolerabiliter cum ceteris copulandi ratio apparet, ante omnia quærendum mihi videtur de verborum aliquot sede. Nam inter hæc arctissime

cohærentia: artibus Fabii, sedendo et cunctando, quid apte interponi possit, non video; certe causa belli ita gerendi incommodissime illic interiicitur, quæ recte sic præmitteretur: iamque — pars exercitus aberat — artibus Fabii, sedendo et cunct., b. ger. Contra paulo supra (§ 9) vehementer aliquid desiderari videtur; nam tanta illa paucitas (copiarum in castris Hannibalis omnino præsentium) quæ fuerit et quomodo effecta, Livius nec ibi nec supra dixit; hic demum brevissime significat (pars exerc. ab.); e Polybii narratione scimus, castris utrisque in propinquo conspectu positis, Hannibalem primum per aliquot dies totum exercitum continuisse, deinde partem eius eo, quo dixi, consilio dimisisse, tum demum a Minucio et in frumentatores et in castra impetum factum. Itaque in eam opinionem veni, idem hoc loco accidisse, quod ad c. 10, 3 aliquoties factum ostendi, ut verba aliquot suo loco mota alieno insererentur; Livium enim sic scripsisse: Nec acie certare Hannibal ausus, quia pars exercitus aberat
(244) (abierat?) iam et tanta paucitate vix castra, si oppugnarentur, tutari poterat. Iamque artibus Fabii, sedendo et cunctando, bellum gerebat cet. Ex iam et (vel iame, hausta extrema littera, quod eadem sequebatur) geminando ortum videtur iam fame. Sed hæc mihi inter incertas suspicio posita sit. [Non longe ab hac suspicione Creverius aberat. De transpositione non dubito; quid ex iam fame efficiendum sit, incertius est. Tentavi: quia tanta pars exercitus aberat et iam ea paucitate vix cet.][1])

[1]) Cap. 23, 7 quoniam in P numerus notis scribitur, ponendum puto: ducentis quadraginta septem quum plures cet., non ducentos. Non dixerim tamen pravum esse tres plures aut quos plures, ut est apud Gellium VI (VII), 18, etsi pravum esse iudico sex millia plus XXXVIII, 55, 6. (1862.) Cap. 25, 3 necessario reponenda est, quam Gronovius eumque secuti ceteri expulerunt, vetus nescio cuius emendatio: id enimvero ferendum pro: id enim ferendum; excidit vero ante fere. Quod Gronovius

*De cap. 28, 4 dictum est supra p. 200. In eodem capite paulo post (§ 9, de Minucio, magistro equitum) editur: ad arma vocat et vanis animis et minis increpat hostem; in codicibus antiquis (PC) est: et vanis animis et nimis. Sed neque vani animi de uno homine recte dicuntur (— nam plurali huius nominis, quum de superbia ponitur, adiectiva eiusmodi nunquam adiunguntur ad genus superbiæ notandum —) neque, quemadmodum minis, quæ sunt in verbis, aliquem increpamus, item animis. Recte in deterioribus aliquot codicibus (Voss., Haun., Gærtn. apud Drakenborchium) coniectura restitutum est: et vanis minis increpat. Quum enim in codice archetypo (ante P, ut opinor) pro minis (aut nimis, si iam ita aberratum erat) scriba posuisset animis (ut proximo capite, 29, 4 in (245) PCM cet. pro ab nimis est ab animis), animadverso errore alterum (nimis) additum est, tum (fortasse in P) copula interposita. Plura sunt in P exempla mendi sic correcti, quæ duplex scriptura interdum ipsa in alios codices transiit, interdum solum mendum; interdum novus error accessit. Hoc libro c. 23, 6 quum pro Romanum Poenumque primum (ob duces) scriptum esset Romanos, tum additum um (Romanosum), in ceteris, quod um non intellegebatur, mansit solum Romanos; XXI, 36, 2 pro in pedum scriptum (in MCm. 2, quoniam P deest) in peditus, dein factum impeditusdum; XXIII, 17, 4 pro uidet scrip-

---

enim particulam pro adversativa positam putat Plauti exemplo, nihil hic adversativi est; quo significatu h. l. accipitur enim (in vehementi indignabundi confirmatione), nusquam positum puto, a Livii æqualibus certo scio non ita poni propriumque esse enimvero (id enimvero, tum enimvero). Quod ellipsis commemoratur, adscriptis duobus Livii locis, VII, 32, 13 et III, 39, 9, in priore enim ponitur notissimo usu in respondendo, omissa adfirmatione (ja, denn cet.), in altero non minus usitate ponitur in interrogando, ut significetur, de causa et ratione eius, quod præcedat, interrogari (was hatten si denn —?). Utrumque ab h. l. alienissimum est. [§ 13 excidit et post referret. 1862.]

tum est inde, tum additum ipsum uidet; XXIII, 9, 11 quum scribendum esset defectionis ab Romanis, primum positum est defectione (ob cum male intellectum), deinde in addendo nis sic aberratum, ut nasceretur defectioneinissaab R. Atque hæc non in P orta (saltem non omnia), sed in antiquiore codice, apertissimum fit in huius libri c. 41, 7; ibi enim ex mediam factum aberrando et corrigendo mediumam; deinde novus scriba, quum non haberet, quid syllaba am faceret, effecit, quod in P est, medium amnem, ex quo in C a manu sec., in M aliisque factum medium agmen. Illud mirum, uno et altero loco rectæ syllabæ postpositam pravam, ut in hoc libro c. 35, 4 isius pro is et XXIV, 16, 3 (pugna) inexpeditior pro impeditior, quod vocabuli monstrum Weissenbornius retinuit comparavitque cum eo, quod est inexsuperabilis. (Inexsuperabile dicitur, quod, exsuperari nequit, a verbo composito, pugna expedita et impedita est, non expeditur.) Fuitne in archetypo is in / ius ex?

(246) § 12 prorsus inusitate et vitiose dicitur: præoccupatum inferiore loco succedens tumulum pro eo, quod est: **ex** inferiore loco; nam neque tumulus inferiore loco præoccupatur neque inferiore loco succedimus tumulum. Ceterum miror, cur Livius sic scribere voluerit: levis armatura — succedens tumulum, pulsa detrusaque terrorem in succedentem intulit equitem, quum liceret, vitata repetitione, subsequentem scribere, quod ipsum de ordine agminis et itineris (qui unus significatur, non equitem levis armaturæ loco pugnam excepisse) longe est usitatius. (Cap. 29, 11 quoniam asyndeton perversum est, scribendum arma **ac** dexteræ texerunt. 1862.)

*Cap. 30, 9, ubi editur: cuius terribilem eam famam a patribus accepissent, scribendum est terribilem famam. Recte enim diceretur in demonstranda re clara terribilem illam famam; is pronomen poni ita

non potest. Pro fam scriptum est eam, deinde eo, quo proxime dixi, modo additum verum fam; sic natum eam-famam.) [Sic iam vir doctus in mg. ed. Curionis.][1])

Cap. 32, 1: Consules — Minuciano exercitu accepto, hibernaculis mature communitis (medium autumni erat), Fabii artibus cum summa inter se concordia bellum gesserunt. Ita e coniectura Gronovii scribitur; nam in codicibus antiquis erat: quom (Pm.1; Pm.2 GM cum, quemadmodum coniunctio etiam in P semper scribitur) autumni erat. Et sententia melior erit (neque (247)
enim medio tantum autumno, sed per totum, qui supererat, usque ad hiemem ita bellum gestum est) et mendi origo apparebit, si scripserimus: hibernaculis mature communitis, **quod reliquum** autumni erat, Fabii artibus cet. *Paulo post (§ 3) in codicibus PC (Pal. 2) scribitur, Hannibalem eo inopiæ redactum fuisse, ut, nisi cum fugæ specie (Pm.1 speciem) abeundum timuisset, Galliam repetiturus fuerit; in quo timeo abeundum pro ne abeam (aut pro vereor abire) ferri nequit. Editum fere est: nisi tum fugæ speciem abeundo timuisset, nescio qua auctoritate, ceterum vitiose; nam neque tum, quod agat, habet neque speciem abeundo timeo Latine dicitur pro eo, quod est: timeo, ne abe-

[1]) Principio capitis (§ 1) potius per (dictatoris castra) quam ad addendum. In § 5 tenenda erat vera Gronovii coniectura (me magisterium equitum, hos ordines suos quemque tenere iubeas), non efficiendum inauditum et incredibile loquendi genus, ut magister equitum, quibus ordines suos servat, eos suis ordinibus tenere dicatur, quum præsertim non magister equitum id facere iubendus esset, sed a dictatore ipse primus (si dis placet) suo ordine tenendus, deinde ceteri essent. Neque c. 31, 10 inter fuisse et obtinuisse ferendum est in re nihilo magis certa, quam reliqua erant, nec magis isto modo pro certo posita quam in altera scriptura (Cælium — fugit — decursum esse). Infinita huiusmodi finguntur.

undo speciem præbeam. Scripserat Livius: nisi cum fugæ specie abeundum **ei fuisset.**[1])

Cap. 33, 5, ubi narrantur ad Pineum — in Illyrios (248) legati missi ad stipendium, cuius dies exierat, poscendum aut, si diem proferre vellet, obsides accipiendos, manifestum est, scribendum esse proferri. Nam ipse debitor diem proferre non poterat, sed rogare tantum, ut a creditore proferretur. Mendi genus breviter notavi p. 38 not. 2. Sed simul in iis, quæ sequuntur (nullius usquam terrarum rei cura Romanos, ne longinqua quidem, effugiebat), necessario scribendum longinquæ et propter sententiam (nam res longinqua est, non cura) et quod hoc — ne quidem superadditur illis: nullius usquam terrarum rei. [C longinque; correxerat iam Rupertius.][2])

*Cap. 34, 11 (in Q. Bæbii Herennii tr. pl. oratione): consulatum — populum — daturum ei, qui magis vere vincere quam diu imperare malit. Mendum arguit non solum magis malle (dicitur interdum potius malle, nec tamen temere in tam brevi ac facili verborum complexu), sed multo magis vere vincere sic positum, quasi ex adverso cogitetur victoriæ species, nec ullo modo

---

[1]) [Quod Woelfflinus edidit: ni sibi cum fugæ specie abeundum timuisset, neque, quod timeo facturum aliquem Livius dixit, sequitur, dixisse etiam timeo faciendum, neque timebat Hannibal, ne sibi cum fugæ specie (aliquando) abeundum esset, sed ne nunc cum ea specie abiret.]

[2]) [De § 2 huius capitis quam posueram suspicionem, sustuli a. 1862, assensus Ussingio significari servos, qui consequendæ libertatis causa se fraudulenter militibus sacramentum dicentibus et coniurantibus immiscuissent, quod genus fraudis etiam imperatorum tempore capitale fuit (Plin. Epist. X, 29 [38]). De coniurandi verbo in hac re cfr. c. 38, 3, Cæs. B. G. VII, 1. Dilectum in Capitolio haberi solitum, constat e Liv. XXVI, 31 extr. et Polyb. VI, 19; coniuratio tamen iuventutis in campo Martio fieri poterat. Ipsum dilectum inferiore ætate ibi habitum, Varro R. R. III, 2 significare videtur, nisi ibi pro ad dilectum scribendum est a dilectu.]

ei, quod sequitur, diu imperare contrarium. Poterant inter se comparari, nullo adiecto, vincere et imperare; quoniam diuturnitatem imperii Fabio et patriciis propositam Bæbius significavit, etiam victoriæ aliquid in eodem genere (temporis) contrarium adiungendum erat; id sic efficietur: qui **mature** vincere quam diu imperare malit. Ex ture factum vere, deinde magis ex ma, quomodo hoc libro c. 14, 2 quidam fuerant ex quieverant et 16, 4 fortunæ (minas) ex For (miana), de quo genere dixi p. 207. [Sic iam Kiehlius.][1])

Cap. 36, 7 (in enumeratione prodigiorum a. 216 a. Chr. nuntiatorum) in P ceterisque bonis sic scribitur (quod ad nostram rem pertinet): Nam et Romæ — et Ariciæ nuntiatum erat — lapidibus pluvisse, et multo cruore signa in Sabinis cædes aquas fonte callidos manasse; id quidem etiam — magis terrebat; et in via fornicata — tacti exanimatique fuerant. Prodigii, quod in aquis fuit, rectam significationem Alschefskius repperit: fonte calido gelidas manasse. Difficilius est inventu, quid sub cædes lateat. Bezzenberger nuper loci nomen subesse ratus, quum apud Plinium Cædicii vicus, Cædicius campus, et in inscriptione aliqua coloni Cædiciani, cum Sinuessanis coniuncti, nominentur, scripsit in Sabinis, Cædiis aquas, secutusque est Weissenbornius. Sed præterquam quod a Cædiis oppido Cædicius, Cædicianus non recte fingitur (itaque Woelfflinus Cædiciis aquas scripsit, paulo longius discedens), neque in Sabinis et Cædiis, totius regionis nomen et unius viculi, recte con-

---

[1]) C. 36, 4 necessario requiri infinitivum fuisse, sensit Iac. Perizonius; huius enim verbi, ubi pro prædicato præpositionem adiunctam habet, neque indicativus neque infinitivus (præteriti præsertim) omitti ullo modo potest. Sed quod Weissenbornius summæ universæ ex singulorum generum numeris collectionem recte et ordine significatam tolli totam vult, longe ea suspicio aberrat ab additamentorum, quæ in Livii codicibus deprehenduntur, genere.

traria referuntur neque, quod caput est, ullo modo verbum manasse variata structura et significatione ad duo subiecta referri in duorum prodigiorum significatione potest. Desideratur igitur verbum, quod ad signa referatur. Itaque dubitanter, sed suspicor tamen scribendum esse: et multo cruore signa in Sabinis **sudasse, et** aquas cet., ut utrumque prodigium in Sabinis factum putetur. Semel scripto **s** ex udasseet oriri poterat cædes, etsi vellem propius ad litteras accedere. (1872.)

(249) *Cap. 38, 3 dixi ante multos annos (Opusc. Acad. alt. p. 360) scribendum esse: ubi ad decuriandum aut centuriandum convenissent pro eo, quod codices et editiones habent: ad decuriatum aut centuriatum, gerundio passive accepto (ut decuriarentur aut centuriarentur), nec sententiam muto. Nam quod multa dicuntur esse huiusmodi substantiva, quæ uno tantum aut altero loco reperiantur, id de ablativo cum genetivo aut pronomine posito verum est; si decuriatus aut centuriatus pro veris substantivis (ad dec. convenire) de militum in decurias centuriasque descriptione usitata fuissent, vix hoc uno loco reperirentur. (Initio capitis editiones: consules paucos morati dies, dum socii ab nomine Latino venirent. Milites tum (tunc) cet., vitiose; nam et nova sententia a tum incipere debet et socii a nomine Latino nove pro Latinis dicuntur. Put. habet: dum sociis ab nomine Latino venirent milites tum. Efficitur: dum **ab** sociis **ac** nom. Lat. venirent milites. Tum cet. § 4 Ussingius animadvertit inepte copulari nisi teli sumendi aut petendi et aut hostis feriendi aut civis servandi causa particulamque et recte in edd. vett. omitti. Sed præterea aut substantivum excidit apud petendi aut cum Creverio scribendum repetendi; nimis enim putida est sumendi teli et petendi distinctio. 1862.)

Cap. 39, 3 (in oratione, qua Q. Fabius Maximus L. Æmilium Paulum adloquitur): tecum — quem video

nequicquam et virum bonum et civem fore, si altera parte claudicet res publica. Malis consiliis idem ac bonis iuris et potestatis erit. Prava est hæc postrema sententia; neque enim hoc tanquam certum poni potest, potiusque Æmilium Fabius exhortatur, ut mala consilia vincat. In interpunctione Weissenbornii: si — claudet res publica, malis — erit, apparet deesse et aut quæ; nam in hac quidem duplicis condicionis coniunctione ferri asyndeton nequit. P(M): si altera parte claudet rei p. (C: clauderet rei p.), in quo re p. significari Ussingius vidit recteque scribendum iudicavit: si, altera parte claudente re publica, malis consiliis — erit. (1862.)[1])

*Cap. 40, 4: Ab hoc sermone profectum Paulum tradunt, prosequentibus primoribus patrum; plebeium consulem sua plebes consecuta, turba con-

[1]) Eodem capite § 5 non potuit Livius Fabium sic loquentem facere, ut, quæ ad confirmandam hanc sententiam: nescio, an infestior hic (Varro) adversarius quam ille hostis maneat te (sic pro maneat et scribendum, non maneat et te) cum asseveratione addenda erant (nam cum illo cet.), ex illo nescio an necteret (nescio an — cum illo in acie tantum — certaturus sis). Recte olim edebatur: certaturus es — tibi est (tibi st) — te est (te st) oppugnaturus. Et in primo quidem membro ambigua Puteanei scriptura non minus indicativo quam coniunctivo favet, C indicativum habet. [Pro pugnandum tibi est edidi p. tibi erit, non necessario; nam apud gerundivum non semper futurum exprimitur; v. Cic. Verr. V, 151, pro Cluent. 70, Fin. II, 74 (indic.), Liv. VIII, 11, 4, XXIII, 19, 7, XXV, 23, 15 (infin.). 1872.] § 14 certissimum est, quod apud Ingerslevium e mea coniectura in textu positum est, absumpti (PM absumsit, non absumpsit), in quod video etiam Heerwagenium incidisse. Non minus certum, § 16, ubi mirificissimam (nam Terentiano superlativo utendum est) in sedata per interrogationem demonstratione ἀποσιώπησιν unius verbi fingunt, scribendum esse, quod, quum a Valla præceptum non animadverterem, ipse inveni: Quamdiu pro Gereonii — moenibus sedet! Ne adversus cet. Etiam sed per se pravum erat. § 21 ante sed ut excidit suadeo. [§ 18 si non ante satis, sed ante adversus addendum esse, ostendit anaphora. 1862.]

spectior, quum dignitates deessent. Dignitates appellari ipsos homines dignitate et honestate insignes, prorsus inusitatum est [— nec enim, quod Plinius H. N. V, (250) 12 sic dixisse videtur, ad Livium pertinet —]; nec simile est, quod Cicero (pro Sest. 51, 109) in rhetorica enumeratione omnes honestates civitatis, omnes ætates, omnes ordines consentire in aliqua causa dicit, non singulos homines demonstrans, sed genera et classes honestatis, quidquid sit honesti et integri. [Læl. 69 multum abest ut ipsi homines excellentiæ dicantur, sed excellentiæ dicuntur esse hominum.] Accedit, quod turbæ non recte dignitates (plurali numero) contrariæ ponuntur. Livius scripserat: turba conspectior, quum dignitas deesset.

*Cap. 41, 7 (de Hannibale insidias Romanis struente): transque proximos montes læva pedites instructos condit, dextra equites; impedimenta per convallem medium agmen traducit. Non elegantissima hæc appositio: impedimenta medium agmen (hoc est, tanquam medium agmen); sed nullum erat omnino medium agmen, quoniam pedites equitesque non ab utroque impedimentorum latere transibant, sed traducti iam post montes instructi stabant. In P est: per cornuallem mediumamnem traducit, hoc est: per convallem mediam traducit, correcto, quod primum scriptum erat, medium, addito deinde nem, ut dixi paulo ante ad c. 28, 4.

Cap. 45, 7 (in descriptione aciei Romanæ ad Cannas, postquam de sociorum peditibus equitibusque dixit): —tenuerunt; iaculatores cum ceteris levium armorum auxiliis prima acies facta. Codices (etiam deteriores) iaculatores ex ceteris. Nihil desiderabitur, si scripseris: tenuerunt; ex ceteris — prima acies facta. Levis armaturæ auxilia separantur ab Latinis et Italis equitibus peditibusque. Iaculatores explicandi causa adscriptum videtur (e cap. 46, 1: Baliaribus). (1862.) Cap. 46, 5 ex antetalius (P) faciendum erat: **ante alios** (habitus

gentium harum — terribilis erat). Alienum est sane nec et (sane et alius) habet, quo referatur. Prope accesserat Douiatius. (1862.)

*Cap. 47, 4 (in descriptione proelii Cannensis): Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. Primo et viribus et animis pares constabant ordines Gallis Hispanisque; tandem Romani, diu ac sæpe connisi —, impulere hostium cuneum cet. Qui sic primi scripserunt posteaque tenuerunt, videntur significari putasse, initio Gallos Hispanosque Romanis pares fuisse; sed neque Romanorum nomen tum omitti poterat neque alioquin ea sententia ex verbis (pares ordines constant Gallis) ullo modo efficitur, quæ potius significant, omnes Gallorum Hispanorumque ordines æquali longitudine servatos esse. Verum longe alio codices ducunt, in quibus (P, tum C, Voss., Harl., Lov. 2, 3, 4) non pares (251) scribitur, sed parum (in tribus deterioribus par). Atque hanc ipsam scripturam quemadmodum Alschefskius enarret, legat, qui aut ridere aut philologiæ huiusmodi attrectationem patientis misereri velit; nulla est enim sententiæ ne species quidem. Sed efficietur ex his vestigiis, una littera addita, ceteris recte divisis, sententia omnibus numeris absoluta et rei apta: coorta est peditum pugna, primo et viribus et animis **par, dum** constabant ordines Gallis Hispanisque; tandem Romani cet. Quamdiu ordines Gallorum Hispanorumque integri servabantur, æqua virtute pugnatum est; sed tandem Romanis contigit, ut cuneum hostium perfringerent ordinesque perturbarent. Id autem Romani effecerunt non, ut vulgo de Gronovii coniectura scribitur: æqua fronte acieque densa (— nihil enim minus ad cuneum perfringendum aptum est quam æqua frons, quæ perexigua parte ipsum caput cunei, præcipuum robur, attingit —), sed obliqua fronte in alterum latus cunei prominentis incumbentes; et obliqua fronte scribi Lipsius voluerat

proxime codicum vestigia; nam in P a manu pr. est sæpe consiliæqua fronte, a manu sec. o supra æ positum, inde in ceteris bonis (CMCant.) quique iis h. l. adhærent, sæpe consilioqua, hoc est: conisi obliqua; intercidit una littera b. Paucis post verbis recte Gronovius scribi voluit institere pro insistere; infinitivus historicus in hac
(252) serie (impulere — insistere — ac tenore uno — pervenerunt) locum non habet, nec (quod ipsum illud uno tenore ostendit) describitur status pugnæ aliquantisper eodem loco manens. Pervagatum est hoc in Livii codicibus mendi genus in ire et iere, tum in compositis verbi stare (consistere pro constitere, ut II, 30, 11).

*Cap. 49, 12: Hæc exigentes (L. Æmilium Paulum et Cn. Lentulum) prius turba fugientium civium, deinde hostes oppressere. Nihil inter Æmilium et Lentulum exigebatur, hoc est, examinabatur, quam esset recte factum; codices (PM alii) habent hæc exagentis, ex quo fit: Hæc eos agentis. (Weissenbornius suo nomine hæc agentes posuit.) Paulo post (§ 15), ubi editur: XLV millia D pedites, MMDCC equites, et tanta prope civium sociorumque pars, cæsi dicuntur, apparet, alterum e duobus Livium dixisse, aut parem prope civium sociorumque numerum cecidisse, aut utrorumque pro portione (— neque enim æque multi in exercitu erant, sed socii plures —), neutram autem sententiam e verbis effici (et tanta — pars), in quibus offendit etiam et sic additum, tanquam aliquid novi adiungatur; longe enim aliud est: tanta civium quanta sociorum, aliud: tanta civium sociorumque. Itaque Gronovius priorem sententiam secutus dubitavit, an scribendum esset: et æqua; mihi alteram sequenti et propius codicum vestigia prementi in mentem venit: — equites, **rata** prope civium sociorumque pars. Aptissimam effici orationem, apparet.

Cap. 51, 5: Postero die, ubi primum illuxit, ad spolia legenda foedamque etiam hostibus spec-

tandam stragem insistunt. Non esse Latinum insistere ad aliquid faciendum, constare debet; sed ne spectare insistunt quidem h. l. apte diceretur, quod (253) incipiendi et conandi significatio aliena est. In PC est: spectandainstrageinsistunt, hoc est: spectandam stragem sistunt (ut XXIII, 6, 2 in P scribitur: inafricaindecedat). Latet aliud verbum videturque fuisse exeunt (e castris). [§ 6 P quostracta — frigore vulnera pro stricta. Potest fuisse etiam tacta. 1862.][1])

Cap. 54, 11: Compares cladem ad Ægates insulas Carthaginiensium proelio navali acceptam — aut pugnam adversam in Africa, cui postea hic ipse Hannibal succubuit; nulla ex parte comparandæ sunt cet. Et paulo durior orationis forma, quod parum aperta est significatio rei, quæ fortasse alicui in mentem venire possit, et codicis Puteanei scriptura (comparessetcladem) facit, ut dubitem, an Livius scripserit: compares scilicet cladem cet. Sed incerta suspicio est; nam potuit comparesset ex præcedenti esset oriri (Paulo post, ubi in P est: — Sardinia cessere invecti Gallis ac stipendiarios fieri se passi sunt, neque hinc (hinc vestigales) neque inde ferri potest; eiusdem enim temporis utrumque fuit. Scribendum cessere et vectigales; quum vecti Gallis scriptum esset, ob dativum factum invecti. 1862.)

*Cap. 59, 9 (in oratione M. Iunii, legati captivorum): Sunt etiam de nostris quidam, qui ne in acie quidem refugerunt, sed, præsidio castris relicti, quum castra traderentur, in potestatem hostium venerunt. Quid in his vitii esset, sensit Ant. Perizonius; in tollendo mendo parum felix fuit. Nam qui ne in acie quidem refugisse dicitur, eum credas (præter aliam

[1]) C. 53, 8 apud Ingerslevium scribi iusseram: nulla verius — hostium castra esse; occupatum erat ab I. H. Vossio.

proxime codicum vestigia; nam in P a manu pr. est sæpe consiliæqua fronte, a manu sec. o supra æ positum, inde in ceteris bonis (CMCant.) quique iis h. l. adhærent, sæpe consilioqua, hoc est: conisi obliqua; intercidit una littera b. Paucis post verbis recte Gronovius scribi voluit institere pro insistere; infinitivus historicus in hac
(252) serie (impulere — insistere — ac tenore uno — pervenerunt) locum non habet, nec (quod ipsum illud uno tenore ostendit) describitur status pugnæ aliquantisper eodem loco manens. Pervagatum est hoc in Livii codicibus mendi genus in ire et iere, tum in compositis verbi stare (consistere pro constitere, ut II, 30, 11).

*Cap. 49, 12: Hæc exigentes (L. Æmilium Paulum et Cn. Lentulum) prius turba fugientium civium, deinde hostes oppressere. Nihil inter Æmilium et Lentulum exigebatur, hoc est, examinabatur, quam esset recte factum; codices (PM alii) habent hæc exagentis, ex quo fit: Hæc eos agentis. (Weissenbornius suo nomine hæc agentes posuit.) Paulo post (§ 15), ubi editur: XLV millia D pedites, MMDCC equites, et tanta prope civium sociorumque pars, cæsi dicuntur, apparet, alterum e duobus Livium dixisse, aut parem prope civium sociorumque numerum cecidisse, aut utrorumque pro portione (— neque enim æque multi in exercitu erant, sed socii plures —), neutram autem sententiam e verbis effici (et tanta — pars), in quibus offendit etiam et sic additum, tanquam aliquid novi adiungatur; longe enim aliud est: tanta civium quanta sociorum, aliud: tanta civium sociorumque. Itaque Gronovius priorem sententiam secutus dubitavit, an scribendum esset: et æqua; mihi alteram sequenti et propius codicum vestigia prementi in mentem venit: — equites, **rata** prope civium sociorumque pars. Aptissimam effici orationem, apparet.

Cap. 51, 5: Postero die, ubi primum illuxit, ad spolia legenda foedamque etiam hostibus spec-

tandam stragem insistunt. Non esse Latinum insistere ad aliquid faciendum, constare debet; sed ne spectare insistunt quidem h. l. apte diceretur, quod (253) incipiendi et conandi significatio aliena est. In PC est: spectandainstrageinsistunt, hoc est: spectandam stragem sistunt (ut XXIII, 6, 2 in P scribitur: inafricaindecedat). Latet aliud verbum videturque fuisse exeunt (e castris). [§ 6 P quostracta — frigore vulnera pro stricta. Potest fuisse etiam tacta. 1862.][1])

Cap. 54, 11: Compares cladem ad Ægates insulas Carthaginiensium proelio navali acceptam — aut pugnam adversam in Africa, cui postea hic ipse Hannibal succubuit; nulla ex parte comparandæ sunt cet. Et paulo durior orationis forma, quod parum aperta est significatio rei, quæ fortasse alicui in mentem venire possit, et codicis Puteanei scriptura (comparessetcladem) facit, ut dubitem, an Livius scripserit: compares scilicet cladem cet. Sed incerta suspicio est; nam potuit comparesset ex præcedenti esset oriri (Paulo post, ubi in P est: — Sardinia cessere invecti Gallis ac stipendiarios fieri se passi sunt, neque hinc (hinc vestigales) neque inde ferri potest; eiusdem enim temporis utrumque fuit. Scribendum cessere **et** vectigales; quum vecti Gallis scriptum esset, ob dativum factum invecti. 1862.)

*Cap. 59, 9 (in oratione M. Iunii, legati captivorum): Sunt etiam de nostris quidam, qui ne in acie quidem refugerunt, sed, præsidio castris relicti, quum castra traderentur, in potestatem hostium venerunt. Quid in his vitii esset, sensit Ant. Perizonius; in tollendo mendo parum felix fuit. Nam qui ne in acie quidem refugisse dicitur, eum credas (præter aliam

[1]) C. 53, 8 apud Ingerslevium scribi iusseram: nulla verius — hostium castra esse; occupatum erat ab I. H. Vossio.

laudem) in acie quoque fortiter locum tenuisse significari; debet autem significari, eos omnino aciei fugæque participes non fuisse; nec ullo modo recte dicitur in acie refugere. Itaque Weissenbornius secutus alteram Perizonii coniecturam e duabus ex acie scripsit, violenter; ac ne sic quidem vera efficitur sententia; neque enim quæritur, unde fugerint, qui omnino non fugerunt. Unum Livius scribere potuit scripsitque, quod quum Alschefskio in mentem venisset, non tenuit: ne in acie quidem **fuerunt** (ut de eorum in proelio virtute ignaviave omnino non agatur). [§ 17 tollendum **a** ante vobis, quod necessario cum visi simus coniungitur. 1862.]

(254) De cap. 60, 11 (in oratione T. Manlii Torquati contra captivos), ubi pro sicut bis restituendum est si, ut, dictum est ad libr. VII, 13, 8. Sed plura in hoc capite commemoranda sunt, primum in § 15, ubi sic scribitur: Sero nunc desideratis, deminuti capite, abalienati iure civium, servi Carthaginiensium facti. Etiamsi Latinum sit abalienari iure pro eo, quod est abalienari a iure, de quo valde dubito, tamen, qui ius aliquod amittit, neque abalienari eo iure neque ab eo iure dici potest; longe est enim aliud ab aliqua re abalienari (velut a studio aliquo). Ius, ut agrum, vectigal, similia, abalienamus, hoc est, amittimus eoque cedimus. Itaque non abalienati, sed abalienato iure civium Livius scripsit; id propter præcedens deminuti capite mutationi opportunum fuit. [§ 17, ubi editur: Quam ego ignaviam istorum accuso, quum scelus possim accusare?, Ussingius vidit, neque, quæ ignavia accusetur, recte interrogari posse neque hoc quidquam pertinere ad ignaviæ et sceleris comparationem, requiri autem correctionis figuram, ut ipse se Manlius reprehendat, quod leniore nomine utatur; geminata igitur syllaba scribendum: quamquam ego —, quum — possim accusare? § 19, ubi editur: neque his XL (aut tot) millia hostium obstitere, e scriptura codicum (P:

neque hiis sescenta millia hostes obstitere) efficitur: neque his sexcentis hostes obstitere. Millia natum est ex præcedenti: ex millibus septem. 1862 et apud Ingerslevium.] Paulo exquisitior emendatio facienda est § 21, ubi (quod ad ea attinet, de quibus agitur) sic in codicibus scribitur: Nunc autem quemadmodum hi boni fidelesque (nam fortes ne ipsi quidem dixerint) cives esse possunt? Nisi quis credere potest fuisse ut erumpentibus, qui, ne erumperent (P quinecrumperent, CM qui nec erumperent) obsistere conati sunt, aut non invidere eos quum incolumitati tum gloriæ illorum per virtutem partæ, quum sibi timorem ignaviamque servitutis ignominiosæ causam esse sciant. Ut sententia aliqua ex istis: fuisse ut erumpentibus eliceretur, Weissenbornius (nam aliorum conatus omitto, quorum vix quisquam sibi ipse satisfecit), quum scripsisset: fuisse tum erumpentibus, audiri ex superioribus voluit bonos fidelesque. Sed neque fuisse nude sic dici potest (ut sit tales fuisse), neque bonus fidelisque erumpenti Latinum est, neque omnino prædicatum ex superiore interrogatione sumi potest, repugnante tota orationis figura, quæ aperte postulat, ut, (255)
quemadmodum in altero fit membro (aut non invidere eos quum incolumitati tum gloriæ illorum — quum cet.), ponatur per ironiam (sed in hoc membro adfirmative) aliquid, in quo illa bonitas et fides appareat, deinde id ipsum, adiecta sententia relativa, tollatur et evertatur. Certissimam medicinam graviori vulneris parti una littera addita adferet: Nisi quis credere potest, **favisse** erumpentibus, qui, ne erumperent, obsistere conati sunt, aut non invidere cet. Ne illud quidem credi posse Torquatus dicit, hos homines, quod bonorum et fidelium civium fuerit sitque, etiamsi non fortium, aut vota fecisse pro erumpentibus et favisse forti consilio, cuius ipsi participes esse non auderent, aut nunc incolumitate et gloria

eorum gaudere. Aptissime inter se respondent favisse et non invidere. Sed tamen, addito a, præterea, quod in codicibus scribitur fuisse ut, ex eo faciendum, adhibita transpositione (de qua dixi ad huius libri c. 2, 6): aut favisse; neque enim recte abest particula disiunctiva in hac duarum rerum diligenti separatione, ut utrumque per se tollatur. Ut hic fuisse pro favisse, sic fuerit pro faverit scribitur III, 45, 1 in M et aliis, fuimus pro favimus XLV, 22, 10 in Vindob. Postremo loco ponam rem minimam sed certam, § 26 Livium in hac orationis forma: Quum erumpere e castris oportet, cunctamini ac manetis, quum manere, castra tutari armis necesse est, et castra et arma et vos ipsos traditis hosti, non usum esse asyndeto in altera protasi, sed scripsisse: quum manere et castra tutari. Et excidit post e. [Sic cod. Haverc.][1])

(256)

Lib. XXIII.

Cap. 2, 6 (ubi Pacuvii Calavii in senatu Campano oratio refertur): quippe qui liberos ex App. Claudii filia haberet filiamque Romam nuptum Livio dedisset. Nec per se in certo homine significando nec post App. Cl. omitti prænomen poterat; fuit: nuptum M. Livio.

Cap. 3, 2 (in eiusdem ad plebem oratione): Clausos omnes (senatores) in curiam accipite, solos, inermes. Necessario scribendum in curia, multo magis (si quid recto rectius est) quam in cap. 2, 9: claudam in curia vos; hic enim iam clausi tenentur, perversissimeque (ut aperte dicam de toto hoc genere acuminis obtusi) Weissenbornius hoc loco, ubi Calavius clausos senatores populo

[1]) Infeliciter hunc locum tentavit Wexius Mus. Rh. vol. (n. s.) XII p. 632. [§ 23, ubi in Put. est: quum omnia subsidia vitæ abdesunt, editur — abessent aut deessent, subesse potest absumpsissent. 1862.]

tradit, cogitari vult de senatoribus ante ab eo in curiam accitis. Et hæc similiaque in aliis locis excogitantur, quum in codice P, a quo uno pendemus, videamus ita neglegenter litteram m extremæ vocali addi detrahive, ut pauca sint capita, in quibus non in hoc genere erretur, non pauca, in quibus sæpius.[1]) Itaque Weissenbornio in mentem non venit retinere c. 5, 13 genito in Italiam (PCVoss., Harl., cett.) aut 13, 1 facilius scitum est (quod tamen amatorem habuit fortem hominem, Alschefskium); sed ecce subito in cap. 12, 15 defenditur: in defectionem totam Italiam esse, quia nondum absoluta defectio sit. Itaque posthac non in opere, in itinere, in expeditione, in cogitatione aliqua similibusve esse dicemur, in quibus mediis versamur, sed in cogitationem esse; sed tamen in (257) maximos motus esse non dicemur; nam hoc librarii lineolæ adiectione fingere non potuerunt. (Vid. supra p. 8.) Quando hæ nugæ saltem Alschefskiis relinquentur? Alios errores persequi neque vacat neque opus est, semel admonitione posita. Eadem enim pravitate et inconstantia tenetur (nisi quod antiquissima neglegentia esse potest) XXII, 25, 6 in custodiam habitum, in XXIV, 1, 13 in potestatem Locrensium esset, sed eodem capite § 6 et c. 21, 12 et c. 22, 10 in potestate, et XXIV, 8, 1 spernitur pacem in Italiam — haberemus, eodem cap. § 18 tenetur stantibus vobis in aciem. Neque minus vitiosa detractio litteræ est in hoc libro c. 48, 3 (Luceriam in Apulia legiones ducere) aut in superiore (XXII), 57, 6, ubi recte Dukerus scribi voluit: sub terram vivi de-

---

[1]) In uno capite 23 libri XXII (ponam enim exempla pauca casu notata) scribitur § 2 Hannibale pro Hannibalem, § 4 unam pro una, § 6 in milite pro in militem, in cap. 22, 16 fidem accepta dataque, 18 per eundem ordine; in XXI, 42, 1 circumdato ad spectaculum exercitum, c. 49, 8 adventante hostium classem, in XXV, 28, 3 cum libertatem.

missi sunt. De eodem errore paulo longius progresso (**u** pro um, deinde **o**) cfr. p. 9 ima et ad XL, 34, 2.[1]) Redeo ad XXIII, 3. Ibi paulo post (§ 6) scribitur: Citari singulos senatores iubebo, de quorum capite vos consulam. Relativa sententia adiecta aut eos senatores, de quibus consulturus Calavius est, a ceteris separat aut, si consulam coniunctivi modi putatur, consilium significat; verum neque divisio ulla est et de omnibus deinceps Calavius consulturus est, neque consilii significatio apta est (consilium enim positum erat in iudicio) et omnino excluditur addito singulos; ordinem rei agendæ Calavius exponit. Ni fallor, Livius scripserat: citari singulos senatores iubebo **deque eorum** capite vos consulam.

Cap. 4, 4 (de senatu Campano): Hinc senatores — plebem adulari; salutare, benigne invitare, apparatis accipere epulis, eas causas suscipere, — secundum eam litem iudices dare, quæ magis popularis — esset. Iam vero nihil in senatu actum aliter, quam si plebis ibi esset concilium. Prave ab
(258) infinitivo historico ad perfectum transitur (actum est), quoniam non descriptioni universæ rerum condicionis una aliqua res semel acta subiungitur, sed ipsa descriptio continuatur transferturque a privata vita et iudiciis ad senatus actiones. In PC (nisi quod in C altera manus actum substituit) scribitur: nihil in senatu actaliter, hoc est: agi aliter. In P sæpe **g** in **c**, nec raro **i** in **t** transiit.

Cap. 6, 8: Quia nimis compar Latinorum quondam postulatio erat, Cæliusque et alii id haud sine causa prætermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus. Prætermiserant rem cum Cælio alii; id eos non facturos Livius indicat, nisi causam habuissent.

---

[1]) [Nonnulla ex his postea W. abiecit, alia tenuit.]

Hoc iudicium plusquamperfecto (prætermiserant) significari nequit (ut sit prætermisisse mihi videbantur). Scribendum prætermissuri erant, quod facile in illud transire poterat. (1862.)

Cap. 7, 1 (de legatis Campanis ad Hannibalem missis): pacemque cum eo condicionibus fecerunt cet. (in quibus enumerantur condiciones). Scribendum: condicionibus **iis** fecerunt. Pronomen, quod post us excidit, veteres editores recte desiderarant (his condic.). Omnis pax condicionibus fit, hæc vel illa pax his vel illis condicionibus. Prave ad defendendam pronominis omissionem eiusmodi adscribuntur loci, in quibus addi non potuit, quod non certæ condiciones significantur, sed universe aliquid actum (v. c. urbs dedita) condicionibus pactove dicitur, non vi confectum victorisve arbitrio permissum.

Cap. 8, 7 (in descriptione convivii apud Ninnios Celeres, apud quos Hannibal Capuæ deversabatur): Unus nec dominorum invitatione nec ipsius interdum Hannibalis (P Hannibicus, a manu 2 litteræ bicu inductæ et **l** supra scriptum) Calavius (P man. 2 et C Calavi) filius perhola (P. m. 2 et C perholla) vinum potui ipse (C vini impotui ipse, m. 2 vini impotu ipse) valetudinem excusans, patre (P patrem) animi quoque haud mirabilem perturbationem (P iterturbationem) causante. Posui locum, quemadmodum in P scribitur, adnotata varietate codicis C, ut appareret, hic quoque eum a manu 2 Puteanei pendere, suos errores et conatus addere; ceterorum scripturæ monstra hinc orta, etiamsi Drakenborchius non omisisset, nihil tamen ad rem pertinerent. Edebatur ad nostrum tempus: Calavii filius Perolla vinci potuit. Nomen, quod infeliciter fictum Calavii filio impositum erat, recte Weissenbornius sustulit; satis is gentili nomine significatur et, si prænomen (259)
Livius ponere voluisset, iam in superiore id narratione posuisset. Quod autem idem dubia suspicione edidit: per-

pelli vinum ut potaret, prorsus alienum est vini nomen, ita præsertim positum, ut singulare aliquod pondus habere videatur; neque enim nisi vinum (sive merum sive temperatum) potabant; itaque potandi verbo, non vini strenua convivii participatio apud veteres significanda erat, latetque id verbum in litteris foede distractis et perturbatis holavinum, hoc est, potandum. Habemus igitur hæc fundamenta et hanc formam loci supplendi: Unus nec dominorum invitatione nec ipsius int. Hannibalis Calavius filius per †† potandum potuit. Excidit infinitivus et ad; itaque adscito, quod in codice recenti (Berolinensi) scite excogitatum legitur, verbo satis, ut in re incerta, probabiliter edi poterit: Calavius filius perpelli ad potandum potuit.[1]) Eodem capite § 9 sic in codicibus fide dignis scribitur: Consilium, inquit (Calavius filius), adfero, pater, quo non venia solum peccati, quod defecimus ad Hannibalem, impetraui (sic P m. 1; man. 2 CM ceterique impetrari) ab Romanis et in multo maiore dignitate et gratia simus Campani quam unquam fuimus. Recte, opinor, Valla et editiones ad nostram ætatem: veniam (veniā) impetraturi (cfr. de similibus mendis codicis Vindob. ad XLII, 25, 8); sed iure negatur, simus simul cum impetraturi coniungi et in altero membro absolute sine participio dici posse, quum præsertim idem tempus utroque loco poni debeat. Itaque sic scribendum puto: quo non veniam solum — impetraturi ab Romanis, set in multo
(260) maiore dignitate et gratia simus Campani, quam

---

[1]) [Recte Valla perturbationem. Interturbare apud solos comicos legitur de iis, qui interpellant et interventu turbant.] Paulo ante (§ 6) vere Kreyssigius: in — domo diti ac luxuriosa, quod prorsus efficitur ex vestigiis veteris scripturæ (mododiuaduariosa), nihilo incertius quam infinita alia, quæ ex perturbatis P litteris eruuntur; domus diu luxuriosa pro eo, quod est veteris luxuriæ, dici nequit.

unquam fuimus, **futuri**. Excidit facile futuri post fuimus. Qui possit addiderunt (impetrari ab Romanis possit), non animadverterunt, sequi debere aut in gratia esse aut simus futuri.

Cap. 9, 3 (in Calavii patris oratione filium a cæde Hannibalis tentanda dehortantis): Paucæ horæ sunt, intra quas iurantes per quidquid deorum est, dextræ dextras iungentes fidem obstrinximus, — ut sacratas fide manus digressi a colloquio extemplo in eum armaremus? Sic edunt inde a Gronovio, codicibus melioribus consentientibus (nisi quod mansis pro manus scribitur), itaque enarrant, ut rei narratæ adiungi putent, rariore apud Latinos figura, interrogationem de actionis consilio, negandi et dehortandi vim habentem. Verum eam figuram (de qua exposui ad Cic. de Fin. p. 248) non solum omnia exempla, sed rei ipsius natura ostendit ita tantum poni, ut ad ut adiungatur pronomen aut adverbium interrogationem indicans (quid ut, ubi ut, ut quo —?); neque enim aliter animadverti figura et a vera consilii significatione distingui poterat; neque hoc in Latino magis sermone observatur quam in Græco, ubi multo latius patet huius figuræ usus.[1]) Hoc igitur remoto artificio, restat in scriptura non interpolata (— nam codicum deteriorum depravationes attingere inutile est —) mendum manifestum nec tamen aut late patens aut, ut opinor, ad corrigendum difficile. Scribendum est enim: Paucæ horæ sunt, intra quas — fidem obstrinximus. Uis sacratas fide manus — extemplo in eum armemus? Ex ut feci ui, geminata simul littera sequenti s (c. 8, 9 Romanis et pro Romanis set codices habere vidimus).

[1]) Weissenbornius, cuius animum scrupulus pupugit, nimis fortiter se expedit; negat opus esse interrogativa voce. Prorsus nihil huc pertinet figura absolute per ut interrogandi de re, quam fieri posse negamus (tu ut —?).

pelli vinum ut potaret, prorsus alienum est vini nomen, ita præsertim positum, ut singulare aliquod pondus habere videatur; neque enim nisi vinum (sive merum sive temperatum) potabant; itaque potandi verbo, non vini strenua convivii participatio apud veteres significanda erat, latetque id verbum in litteris foede distractis et perturbatis holavinum, hoc est, potandum. Habemus igitur hæc fundamenta et hanc formam loci supplendi: Unus nec dominorum invitatione nec ipsius int. Hannibalis Calavius filius per †† potandum potuit. Excidit infinitivus et ad; itaque adscito, quod in codice recenti (Berolinensi) scite excogitatum legitur, verbo satis, ut in re incerta, probabiliter edi poterit: Calavius filius perpelli ad potandum potuit.[1]) Eodem capite § 9 sic in codicibus fide dignis scribitur: Consilium, inquit (Calavius filius), adfero, pater, quo non venia solum peccati, quod defecimus ad Hannibalem, impetraui (sic P m. 1; man. 2 CM ceterique impetrari) ab Romanis et in multo maiore dignitate et gratia simus Campani quam unquam fuimus. Recte, opinor, Valla et editiones ad nostram ætatem: veniam (veniā) impetraturi (cfr. de similibus mendis codicis Vindob. ad XLII, 25, 8); sed iure negatur, simus simul cum impetraturi coniungi et in altero membro absolute sine participio dici posse, quum præsertim idem tempus utroque loco poni debeat. Itaque sic scribendum puto: quo non veniam solum — impetraturi ab Romanis, set in multo
(260) maiore dignitate et gratia simus Campani, quam

---

[1]) [Recte Valla perturbationem. Interturbare apud solos comicos legitur de iis, qui interpellant et interventu turbant.] Paulo ante (§ 6) vere Kreyssigius: in — domo diti ac luxuriosa, quod prorsus efficitur ex vestigiis veteris scripturæ (mododiuaduariosa), nihilo incertius quam infinita alia, quæ ex perturbatis P litteris eruuntur; domus diu luxuriosa pro eo, quod est veteris luxuriæ, dici nequit.

unquam fuimus, **futuri**. Excidit facile futuri post fuimus. Qui possit addiderunt (impetrari ab Romanis possit), non animadverterunt, sequi debere aut in gratia esse aut simus futuri.

Cap. 9, 3 (in Calavii patris oratione filium a cæde Hannibalis tentanda dehortantis): Paucæ horæ sunt, intra quas iurantes per quidquid deorum est, dextræ dextras iungentes fidem obstrinximus, — ut sacratas fide manus digressi a colloquio extemplo in eum armaremus? Sic edunt inde a Gronovio, codicibus melioribus consentientibus (nisi quod mansis pro manus scribitur), itaque enarrant, ut rei narratæ adiungi putent, rariore apud Latinos figura, interrogationem de actionis consilio, negandi et dehortandi vim habentem. Verum eam figuram (de qua exposui ad Cic. de Fin. p. 248) non solum omnia exempla, sed rei ipsius natura ostendit ita tantum poni, ut ad ut adiungatur pronomen aut adverbium interrogationem indicans (quid ut, ubi ut, ut quo —?); neque enim aliter animadverti figura et a vera consilii significatione distingui poterat; neque hoc in Latino magis sermone observatur quam in Græco, ubi multo latius patet huius figuræ usus.[1]) Hoc igitur remoto artificio, restat in scriptura non interpolata (— nam codicum deteriorum depravationes attingere inutile est —) mendum manifestum nec tamen aut late patens aut, ut opinor, ad corrigendum difficile. Scribendum est enim: Paucæ horæ sunt, intra quas — fidem obstrinximus. Uis sacratas fide manus — extemplo in eum armemus? Ex ut feci ui, geminata simul littera sequenti s (c. 8, 9 Romanis et pro Romanis set codices habere vidimus).

[1]) Weissenbornius, cuius animum scrupulus pupugit, nimis fortiter se expedit; negat opus esse interrogativa voce. Prorsus nihil huc pertinet figura absolute per ut interrogandi de re, quam fieri posse negamus (tu ut —?).

Quod armemus pro armaremus posui, eadem correctio
(261) perspicue et necessario adhibenda est in proxima sententia (§ 4), ubi editur: Ab hospitali mensa surgis, ad quam tertius Campanorum adhibitus es ab Hannibale, ut eam ipsam mensam cruentares hospitis sanguine? Itane? eo consilio adhibitus mensæ erat? Imo quærit Calavius e filio, surgatne, ut eam cruentet. Scribendum igitur [cum Rupertio] cruentes. [Ferri aliquo modo posset: obstrinximus; **utue** — armaremus? Sed vis et ad litteras propius accedit et rectius respondet ei, quod sequitur: — surgis, ut —.][1])

Cap. 12, 1: ut metientibus dimidium super tres modios explesse —. Pm.1: utmeut metientibus super patris modios —, ex quo fit: ut metientibus supra tres modios —. Nam pa ex pra ortum est; et solet Livius in excessu numeri notando supra ponere. Dimidium manus secunda addidit, nescio quo errore, fortasse quod ad explesse accusativus requirebatur. Tres solos modios Valerius Maximus, Plinius Maior, Florus, Dio ponunt. (1862.) § 4 inter frumenti pecuniæ addendum et aut scribendum pecuniæque (1862.) Sequitur § 10: Respondeam, inquit (Hanno), Himilconi, non desisse pænitere me belli cet. Neque condicionali con-

---

[1]) Mirifice hic quoque W. veri sensum obruit inanissimis argutiis, imperfectum præsenti (surgis) subiici potuisse iudicans, quod actio surgendi nunc absoluta sit aut quod Calavius iam surgens id consilium habuerit. Adscribit deinde Catulli locum 101, 3, in quo donarem refertur ad præteriti notionem in vectus inclusam, et Ciceronis de Orat. II, 33, 142, ubi in his verbis: video nominatim referri, quid responderint, quæ de superioris ætatis libris ponuntur, aperta est præteriti temporis significatio (relatum est). Quid simile in Calavii interrogatione? Et quanta perversitas nascitur ex interposito adhibitus es? [Quam dissimile sit, quod legitur VIII, 7, 13: ut — ferrent — provocatus — porto, hoc est, provocatus pugnavi et nunc porto, nihil opus est explicari.] (Cap. 11, 3 scribendum (post servataque) e lucris — donum mittitote, non lucris. 1862.)

iunctivo Hanno uti potest (respondeam, si quis quærat), aperte ad dicendum provocatus, neque exhortari se ipsum. P m. 1 respondead; puto subesse ipsum respondebo aut respondeo, sed fortasse simul aliud.[1])

Cap. 17, 7. Hic locus in codicibus (PCM aliis) sic scribitur: Hannibal, Acerris direptis atque incensis, quum a Casino dictatorem Romanum legionesque nimis accipi nuntiassent, ne quis, tam propinquis hostium castris, Capuæ quoque orerecurrunt, exercitum ad Casilinum ducit. In postremis potius cum Bekkero alteram Gronovii coniecturam sequendam puto: ne quid, tam pr. h. c., Capuæ quoque moveretur, quam priorem, quam nuper prætulerunt: ne quis — oreretur motus. Sed maior est in superioribus dubitatio, in quibus (262) quid subesse posset ad rem et Livianam narrationem aptum, non satis considerasse mihi videntur, qui coniecturas tentarunt; nam neque de arcessitis legionibus quidquam dictum esse potuit, quum nulli significentur, qui arcessierint, neque de eminus aspectis, quum Hannibal inter Capuam et Vulturnum fuerit in meridiana Vulturni parte, Casinum autem in Volscis, octo milliaria Germanica ad septentrionem a Capua distans, in Romanorum potestate fuerit (nam Lirim Hannibal hoc omni tempore post Cannensem pugnam non transgressus est, ne ad eum quidem accessit), neque, nominato Casino ad significandam exercitus Romani sedem exspectatur alius oppidi, quo processerint, nomen (de receptis aliquo oppido Romanis cogitari omnino nequit). Unum videtur significari, Hannibali nuntiatum esse, exercitum dictatoris, qui ad Casinum congregatus esset[2]) necdum quidquam movisset, moveri coep-

[1]) Cap. 14, 13 tollendum est que (perque agrum); non possunt ex æquo copulari traiecto amni et per agrum hunc et illum. [Sic Otto.]

[2]) Proximo anno longius etiam ad meridiem versus Cales ad conveniendum dies edicitur legionibus urbanis, c. 31, 3.

tum esse in Campaniam versus. Apparet etiam ex activa verbi forma, nominatos fuisse, qui nuntiassent; neque enim nuntiarunt pro nuntiatum est, ut vulgo homines intellegantur, Livius dicere solet aut hic dicturus erat. Id nomen erui puto satis certa coniectura posse ex nimisaccipi. Itaque ad hanc formam Livium scripsisse opinor: quum a Casino dictatorem R. legionesque venire **Numidæ citi** nuntiassent. Vagati Numidæ erant ad speculanda, quæ apud Romanos agerentur.[1])

(263) Cap. 18, 5 (de oppugnatione Casilini): Postremo Hannibal, castris ante ipsa moenia oppositis, parvam urbem — oppugnare parat. Castra non opponuntur, nisi quæ hosti progredi conanti obiiciuntur; in tali re, qualis hic narratur, alibi, ni fallor, semper castra ante ipsa moenia posita dicuntur. Vereor, ne op ortum sit ex geminatione litteræ **p** et præcedenti **a**. [Positis Lov. 4.]

Cap. 19, 18: cum titulo — inscripto, M. Anicium pro militibus — votum vovisse. P uotumuoluisse. Significatur votum **solvisse**. Inscriptum erat: M. Anicius — votum solvit lubens merito. (1862.)

*Cap. 20, 6: (Patres Romani Petelinos) consulere sibimet ipsos in reliquum præsenti fortuna iusserunt. Quid sit consulere sibi præsenti fortuna et quod hoc ablativi genus, doceri velim. Nisi id fit (nec futurum opinor ita, ut assentiri possim), Livium dicam scripsisse **pro** præsenti fortuna, hoc est, ut præsens for-

[1]) *Cap. 16, 16 mendum frustra excusatum coarguere possum, corrigere probabiliter non possum. Neque vincentes intellegi possunt illi, qui tum vicerunt, omissa voce maxime necessaria et posito pravo tempore, neque omnino vincentes appellari, qui non vicerant (quod postea demum factum est), sed tantummodo victi non erant, et ridicule omnino vincentibus difficile dicitur esse non vinci. Venerat in mentem: Non vinci enim ab Hannibale vincere discentibus difficilius fuit quam postea vincere.

tuna sineret. [Ibidem pro iam fortasse scribendum tam, Forchhammer animadvertit. 1862.][1])

Cap. 25, 3: tum Ti. Sempronius — patres est adhortatus, ne, qui Cannensi ruinæ non succubuissent, ad minores calamitates animos submitterent; quod ad Carthaginienses hostes Hannibalemque attineret, prospera modo essent, sicut speraret futura, Gallicum bellum et omitti tuto et differri posse. Non puto recte dici, nullo subiecto: prospera sunt, quod ad Carthaginienses attinet, pro eo, quod est prospera res, prospera omnia; ipsumque illud: quod ad Carth. h. Hannibalemque attineret, si absolute et extra reliquæ orationis nexum ponitur, videtur pertinere ad omnia, quæ sequuntur, maxime (264) ad apodosin (Gallicum bellum — posse), sententia perversa. Itaque dubito, an scribendum sit: quæ ad Carthaginienses hostes Hannibalemque attinerent, prospera modo essent, Gallicum cet. [Ita recte contraria ponuntur quæ ad Carthaginienses attinerent et Gallicum bellum.] Facile substitui poterat usitatior forma, qua absolute dicitur: quod (ad hoc aut illud) attinet. Paulo post (§ 6) editur: nec, unde consulares exercitus satis firmi ad tantum bellum efficerentur, inibatur ratio. Ex hoc fieri debuisse videtur, ut aut prætorios pro consularibus aut consulares minus firmos scriberent. Sed aliud Livius narrat. Gallia omissa, uni

[1]) Quam de cap. 22, 5 coniecturam feceram (binis senatoribus, quibus cet.), eam Weissenbornius a Vossio sumptam posuit. Fugerant me illæ Vossii emendationes. [Sed simul pro atque in demortuorum locum in senatum legerentur scribendum geminatis duabus litteris: atque ei in cet. Non potest pronomen in conversione sententiæ et structuræ abesse. 1862.] Eodem cap. § 8 miror actum præferri certissimæ Gronovii coniecturæ iactum (codd. tactum). Nulla eius rei fuerat actio, sed mentio inconsiderate iacta.

tantum consuli illo anno exercitum esse decretum. Itaque de numero exercituum agitur. In P a priore manu est necundo, ex quo altera fecit nec secundo, quod in C et alios transiit. Livius scripserat: nec, unde duo consulares exercitus cet. Ex unde duo factum undo. (Drakenborchius in suis aliquot codd. fuisse scribit nec duo vel ne duo consulares exercitus; videtur aliquid correctoribus suboluisse veri.)[1] Postremo § 8, postquam Livius dixit, senatum decresse, ut ex Marcelli exercitu Cannenses milites in Siciliam traducerentur ibique militarent, donec in Italia bellum esset, hæc addit, ut fere inde a Gronovio scribitur: Eodem ex dictatoris legionibus (placuit) reiici militem minimi quemque roboris, nullo præstituto militiæ tempore, nisi qui stipendiorum legitimorum essent. Codices habent qui — esset. Exceptio certi militum generis sive, quod ordo verborum iubet (præsertim sic posito nullo — nisi), ad tempus militiæ sive ad traiectionem in Siciliam refertur, pravam habet sententiam; nam neque tempus præstituendum erat iis, qui emerita stipendia habebant, sed ipsi dimittendi (itaque, quod tempus præstitutum sit, non indicatur), neque opus erat dici, in Siciliam non missos, qui dimitterentur. Conficit rem, quod legitimorum esse stipendiorum, si de milite dicitur, non emerita stipendia significat, sed aliquem legitimorum stipendiorum perfunctione
(265) teneri. Quum Cannenses milites sic in Siciliam mitterentur, ut, quamdiu in Italia bellum esset, militarent, adempta missionis legitimo tempore spe, ceteris Livius nullum nisi legitimum et commune præstitutum militiæ tempus scripsit: nullo præstituto militiæ tempore, nisi **quod** legiti-

[1] [Ridicule (quidni enim dicam?) Weissenbornius, ut emendationem vitet, pondus esse dicit in firmi. Nihil erat, cur non firmus consularis exercitus scriberetur; alioquin enim nullum scribi Sempronius iussisset; sed duobus efficiendis sufficere homines negabat.]

morum stipendiorum esset. Quod pro qui iam in recentioribus aliquot codicibus scriptum est, recteque hanc scripturam, quæ ante Gronovium tenebatur, Creverius prætulit.[1])

Cap. 26, 7: equitum partem ad depopulandum per agros passim dimisit. Nusquam aut Livius aut ceteri absolute depopulari dixerunt (non magis quam depasci pro pasci). Scrib. ad populandum. Nocuit geminata littera d (ad). (1862.) C. 27, 11 possit in serie imperfectorum et præcedentium et subsequentium in posset mutandum esse, Forchhammer attendit. (1862.)

Cap. 29, 7: Itaque velut quibus reditus in patriam eo discrimine pugnæ verteretur, obstinaverant animis vincere aut mori. Alibi Livius in hoc genere loquendi (utitur autem eo sæpe) in præpositionem addit (verti in aliqua re), idemque ceteri faciunt scriptores, neque sine ea ablativi ratio constare videtur. Loci notio magis etiam eminet apud Livium XXX, 3, 1 (ibi) et apud Ciceronem ad Att. VIII, 14, 1 (Brundisii). Dixit Livius (III, 27, 7): puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti; sed temporis notio suam habet proprietatem. Hic quidem post m (patriam) facillime in excidere potuit, neque minus ante m in altero loco X, 39, 7, ubi item ut hic scribitur: quo maiore discrimine res vertebatur. [Cap. 30, 15, ubi in codd. est: Et M. Æmilio — ludos funebres per triduum et gladiatorum paria duo et viginti per triduum in foro dederunt, alterum per triduum recte Creverius notavit.

[1]) *Quod c. 26, 10 apud Ingerslevium emendaveram, ut pro his: in collem satis arduum, tutum flumine etiam obiecto, tum copias subducit scriberetur: in collem satis arduum, flumine etiam obiecto tutum, copias subduxit, id W. etiam Heerwagenio placuisse scribit. Notabile est exemplum interpolationis (tutum) ante cod. Puteaneum mendo (obiecto tum pro obiecto tutum) superinductæ.

Sed valde vereor, ne aliud simul turbatum sit et post prius triduum exciderit fecerunt. Nam neque ludos funebres alicui dare Latine dicitur (ludos quidem alicui dare longe alia significatione) et permire mortuo ludi et gladiatorum paria data dicuntur. Per occasionem ludos funebres Lepido faciendi gladiatores dati sunt, populo scilicet. 1862.][1]) Etiam cap. 31, 12 notandam saltem insolentiam dicendi in his verbis puto: comitia consuli uni rogando in locum L. Postumii edicuntur. Potestne hoc ortum esse ex hac scriptura: cos. subrogando in locum cet.? Nam et uni vitiosė abundat nec rogare in locum alicuius usitatum est. [Lib. XLI, 17, 5 non minus vitiose abundat unius, verbum proprium ponitur; nam XLIV, 13, 7 prorsus rectum est unius de altera ex duabus urbibus, de quibus agitur.]

Cap. 32, 16 (ubi agitur de exercituum et imperiorum in annum 215 distributione): Terentianum mitti cum aliquo legatorum. Quod caput erat, Dukerus vidit, Tarenti
(266) nomen excidisse; sed quoniam proxime non exercitus nec miles nominatus est, sed legiones, locus ita erat supplendus: Terentianum **exercitum Tarentum** mitti.[2])

Cap. 34, 12 (ubi A. Cornelius in senatu de statu rerum in Sardinia exponit): exercitumque ibi ut satis firmum pacatæ provinciæ præsidem esse, ita parum bello, quod motum iri videretur. Vitiose dicitur exercitus esse parum bello, multo vitiosius: est ibi exercitus parum bello, quia, est cum adverbio coniuncto, magis perspicue requiritur adiectivum; auget vitium, efficit certe, ut magis emineat, hæc comparatio: ut satis firmus — præses, ita parum bello. Apparet, Livium scripsisse:

[1]) [Quin ludos dare (edere) absolute recte dicatur, quis dubitavit?]
[2]) Quod c. 32, 1 conieceram, pro volonesquefierent scribendum esse: volones, qui ibi erant (apud Ingersl. male expressum: cui ibi erant), Weissenbornius a se quoque inventum posuit.

ita **imparem** bello, quod cet. [Frustra ex his satis firmum præsidem solum firmum audire conantur nec firmus bello dativo casu sic dicitur.] (Initio capitis (§ 2) fortasse scribendum firmandum fide (foedus); iure enim Dukero insolens videtur firmare fidem alicuius de eo, qui ius iurandum ab eo accipit, nec exempla contra prolata rem attingunt. 1862.)

Cap. 37, 11 de Ti. Sempronii Longi ad Grumentum (267) cum Hannibale proelio sic scribitur: — prospere pugnat. Supra duo millia hominum occidit et ducentos octoginta milites amisit, signa militaria ad quadraginta unum cepit. Quis non sentit, in declarando prospero proelii eventu permire cum hostium occisorum numero copulari (et) amissorum ipsius Sempronii militum numerum (— recte enim comparatio poni poterat: quum ipse non plus CCLXXX milites amisisset —) et interponi inter cæsorum hostium et captorum signorum mentionem? Manifestum est, ni fallor, Livium scripsisse: Supra MM hominum occidit et CCLXXX milites, signa militaria ad XLI cepit, ab aliquo autem, qui non animadvertisset, medium quoque numerum ad cepit pertinere, et suum quodque membrum verbum habere voluisset, additum esse amisit. Apparet iam, cur Livius post hominum addiderit milites; contrarium enim hoc signis ad idem verbum (cepit) refertur; in vulgata scriptura vitiose distinguuntur homines occisi, milites amissi. Solet Livius, ubi signa capta commemorat, etiam hominum captorum mentionem facere. cuius rei in extrema huius libri parte quattuor sunt exempla, exigua orationis varietate (c. 40, 12: tria millia et septingenti capti et signa militaria septem et viginti; 46, 4; 49, 11 et 13: supra duo capta cum signis duobus et quadraginta; cfr. XXIV, 41, 10; 42, 4 et 8, tum, ubi participium captus geminatur, X, 14, 21, XXIV, 16, 4, XXXV, 1, 10); neque sane veteres annalium conditores, qui has summas nume-

rosque concipere audebant, maxime Valerius Antias, signa magno numero capta omissis hominibus narraverant; neque tamen in hac consuetudine Livius sibi constat; signis enim commemoratis captivos omittit IX, 35, 8, X, 30, 2, XXVI, 6, 8, XXVII, 40, 11, XXX, 18, 13, XXXI, 49, 7, XXXIII, 36, 13; nam XXIII, 35, 19 recte Weissenbornius e scriptura codicis P suspicatus est captivorum numerum excidisse.[1]

(268) *Cap. 40, 9 (de T. Manlio in Sardinia contra Hasdrubalem bellum gerente): Primo castra castris modico intervallo sunt obiecta; deinceps procursationes levia certamina vario eventu inita; postremo descensum in aciem. Sic codices (PCM Cant., cet.); sed neque deinceps in enumeratione inter primo et postremo positum ulla ratione ullove exemplo defenditur, neque asyndeton (procursationes, certamina, addito præsertim alteri nomini adiectivo) ferri potest, neque procursationes ineuntur, sed certamina, quorum illæ occasionem præbent. Necessario igitur scribendum: **dein per** procursationes levia certamina — inita.

Cap. 41, 11: App. Claudius — Messanam raptim exercitu ducto æstuque suo Locros traiecit. Sic in codicibus scribitur. Neque illud raptim exercitu ducto (de itinere terrestri ante traiectum) copulative cum æstu suo (qui ad navigandi commoditatem pertinet) coniungi potest neque in navigandi commoditate significanda æstus solus commemorari, omisso vento. Itaque hic, ut alibi sæpe, que indicium facit vocis omissæ, scripseratque Livius: Messanam raptim exercitu ducto, **vento**

[1] Cap. 36, 2 Alschefskius in editione minore in verum incidit: tironum magna ex parte et servorum. Omissi a librario et post e exempla ante posui; c. 46, 6 iam Weissenbornius scripsit: mixti Numidæ et Hispani. [C. 37, 2 scribendum videtur: Adversus ligneam ingentem admotam urbi turrem aliam (pro aliam turrem) ex ipso muro excitavit; necessario enim nomen cum superioribus adiectivis coniungendum est. 1862.]

æstuque suo Locros traiecit. Causa erroris fuit syllaba to duo vicina verba claudens. (Æstus summus nullus est; est aliquis vehemens.) [Sic iam ante Weissenbornius.]

*Cap. 42, 13 (in oratione Samnitium ab Hannibale ad Nolam sedente auxilium contra populatores Romanos petentium): Numidarum paucorum illi quidem præda erunt, præsidiumque misul nobis et Nolæ ademdemeris. Sic P; manus altera supra l (in misul) m scripsit et litteras dem alteras induxit, unde in C aliisque (269) factum est: præsidiumque missum nobis et Nolæ ademeris, sententia prava, sive utrumque dativum, quod sermonis natura postulat, ad missum referas sive et Nolæ cum ademeris coniungas. Omnino tenendum est, non posse eandem Hannibalis actionem idem et apud socios (Samnites) et apud hostes (Romanos et Nolanos) efficere, sed necessario contraria (simul alteris prodesse, alteris nocere); ex quo fit, ut alterum verbum eiusdem formæ desideretur, ad quod contrarium referatur ademeris. Iam quum nulla minima sit causa de extremis (Nolæ ademeris) dubitandi et ex misul facillime eruatur, tribus litteris transpositis, simul, quod sententia pæne postulat, excidisse videtur verbum eiusmodi, quod cum simul confundi conflarique scribendi errore potuerit. Efficitur igitur scriptura admodum probabilis: præsidiumque miseris simul nobis et Nolæ ademeris. Occisis enim Romanis, qui Nola palati erant, imminutum Samnites dicunt fore Nolæ præsidium.[1])

Cap. 45, 10 (in Hannibalis cohortatione militum in proelio ad Nolam): Romam vos expugnaturos, si quis

---

[1]) Prorsus non intellego, cur Weissenbornius maluerit etiam sana attrectare et: missum simul — ademtum erit scribere. Quid habet offensionis oratio a re ad personam Hannibalis traducta? [Pro eo, quod est liberare aliquem præsidio (imposito), non potest dici adimere alicui præsidium, nec Samnitibus præsidium Romanum impositum erat. Ad Livium transferri vix

duceret, fortes lingua iactabatis; enim minor res est hic experiri (P m.1 periri) vim virtutemque
(270) volo. Expugnate Nolam cet. Pravum esse enim manifestum est, cui ne a comicis quidem ullus color arcessi potest; sub eo latere en Valla intellexit. [Sic etiam cod. Bamb.] Sed nimis infinite illa dicuntur: minor res est; debebat saltem dici: minor hæc res est; nec ab his recte separantur, quæ sequuntur; ex coniunctis enim demum oritur recta sententia: minor hæc res est, in qua experiri — volo. Itaque adhibita altera parte mendosi illius enim, quod alii aut tollunt aut in nunc mutant, primaque codicis P scriptura (hicperiri), efficiendum videtur: en in minore re experiri vim virtutemque volo. (XXIV, 8, 13: In minore te experti, T. Otacili, re sumus.)

Cap. 46, 9 ex hac codicum scriptura: præsidio, quod per hiberna ad petendum locum satis esset, relicto nec tuendum recte effici videtur nec tenendum, sed ad optinendum.

Cap. 47, 8: adiiciunt quidam annales — (Claudium) — patenti hostium portæ invectum per alteram — intactum evasisse. Video adnotari, sæpius dici invehi portam (quod falsum est; portum, urbem invehimur, in quæ intramus) aut in portam. Sed et in portam et portæ invehitur, qui in eam irruit et irrumpit, ut oppugnet vimque faciat (stürzt auf das Thor los); qui per portam urbem intrat, ut Claudius fecit, is per portam aut porta invehitur; et hoc (porta) Livium scripsisse puto.[1])

---

potest Plautinum eadem pro eadem opera, ut fiat: miseris nobis et Nolæ eadem ademeris.] (Cap. 44, 2 de scriptura codicis P: mutare eam dedituris detracto, quod geminando ortum est, e, nascitur ipsum, quod sententia postulat: — mutare. An dedituris cet. 1862.)

[1]) In loco ducto ex proverbio in § 6 valde dubito de scriptura et enarratione verborum; nam quod demitte (demiseris) audiunt,

Cap. 48, 8: tributo sumptus suppeditari; eum ipsum tributum conferentium numerum — imminutum. Tributo nominato transitur ad ipsum numerum conferentium; pronomen eum, quod prave significat, aliquid ante de hoc numero dictum esse, tollendum est, nisi quid aliud mendi sub eo latet. (1862.) § 12 prorsus inepte sine copula ponuntur vestimenta, frumentum, in quibus nihil rhetorici ponderis aut artificii est; excidit ac post a. (1862.)

Lib. XXIV.[1]

(271)

Cap. 2, 9 (ubi perfuga Bruttiis exponit, quam opportuna urbs Croto occulte aggredientibus sit): et in vasta urbe lateque omnibus disiectis moenibus raras stationes custodiasque senatorum esse; quacunque custodiant plebis homines, ea patere aditum. Raras stationes recte Gronovius e codicis P scriptura (paraset stationes) effecisse videtur. Sed præterea omnibus non solum redundat, sed vitiosam sententiam efficit; neque enim in hac re ulla totius partiumque separatio est, quasi etiam pars aliqua late disiecta esse potuerit. Verum in eo vocabulo nihil, opinor, aliud subest nisi ipsa vox moenibus suo loco prava scripta, deinde recte posita, quemadmodum XXIII, 26, 10 quum ex obiecto tutum factum esset obiecto tum, deinde tutum etiam flumine obiecto tum scriptum vidimus. In vasta urbe lateque moenibus disiectis Livius scripsit ordine apud Latinos in prosa oratione non prorsus vulgari, qua tamen Livius non raro utitur, ut ab adiectivo participiove attributive

---

neque, omisso imperativo, sis poni potuisse videtur (quum præsertim hæc familiariter precandi forma per se parum apta proverbii brevitati et præcepto sit) nec minime in tali genere elliptice vetandi recte pro ne dictum esse. Sed nihil melius, quod adferam, est.

[1]) In hoc et ceteris libris non collatus est codex C, nisi ubi in XXX P deficit.

posito[1]) adverbium præpositiove cum casu aut casus nominis, quo adiectivum participiumve definitur, interposito substantivo, ad quod adiectivum pertinet, separetur proque eo, quod est moenia late disiecta (m. d. l.) aut disiecta late (l. d.) moenia, dicatur late moenia disiecta aut rarius (in adverbio vix unquam) constituta civitas legibus, quo fit, ut paulo maiore pondere voces separatæ insigniantur, quamquam persæpe id pondus vix appareat. (Eadem forma, sed usu communiore apud Græcos pro eo, quod est: αἱ ὑπ' Αἰσχίνου εἰρημέναι βλασφημίαι, dici etiam αἱ ὑπ' Αἰσχίνου βλασφημίαι εἰρημέναι aut αἱ εἰρημέναι βλασφημίαι ὑπ' Αἰσχίνου, notum est; v. Synt. nostra Gr. § 9 a n. 1.) Hic apud Latinos verborum ordo quoniam non fere animadvertitur adnotaturve et interdum cum fictis alius generis traiectionibus confunditur, primum exempla Liviana hic componere placet. Separatur igitur illo modo aut adverbium, ut I, 53, 4 (minime arte Romana), II, 20, 8 (tanto vi maiore, cfr. XXV, 26, 12), VI, 9, 7 (ægre oppidanos vim — arcentes), VII, 8, 4 (tam vires pares), XXVIII, 23, 3, XXXVIII, 20, 6, XLV, 37, 5, aut præpositio cum casu, velut I, 39, 5 (quacumque de causa tantus illi honos habitus), II, 41, 8 (pro Siculo frumento pecuniam acceptam), VI, 23, 4 (per se iam milites incitatos), IX, 45, 11, XXV, 17, 6, XXVI, 24, 2 (in Italia rerum secundarum), XXVIII, 5, 17 (in altitudinem ingentem cacuminis editi), XXX, 37, 6 (per priores indutias naves onerariæ captæ), XXXI, 13, 4, XXXIV, 29, 11 (haud procul distantis tumuli ab urbe), XXXVI, 27, 6, XXXVIII, 50, 4 (maius et cum maiore

---

[1]) Nihil enim ad hanc rem pertinet participium ad verbum spectans, velut audacter regem pugnantem videt (fere pro pugnare) neque ablativi absoluti, velut ita rebus gestis, quæ pervagata sunt, ne eiusmodi quidem exempla, quale est: Hæc Verginio vociferanti succlamabat multitudo (III, 50, 10).

viro certamen ortum), XXXIX, 4, 8 et 22, 8 et 30, 1, XLI, 5, 1, XLII, 20, 1, aut casus nominis sine præpositione, velut ablativus I, 10, 5 (factis vir magnificus), II, 60, 4 (varia fortuna annum exactum), III, 1, 4, IV, 24, 2 et 30, 8 (siti pecorum morientium), VIII, 29, 3 (bello poenæ expetitæ), IX, 7, 3 (e coni. Gron.) et 20, 5, XXI, 36, 2, XXIII, 11, 11, XXVI, 27, 1, XXVII, 36, 2 (ad mercede auxilia conducenda), XXXVII, 51, 6, XLIV, 33, 10, dativus II, 34, 12 (omnia invitis iura imposita), VI, 19, 1 (de imminenti mole libertati), XXI, 57, 12 (duci miles fidens), XXII, 42, 10, XXIII, 14, 1 (præter insitam industriam animis), XXXIV, 32, 9 (egentibus hominibus agri divisi crimina), genetivus II, 59, 9 (in proditorem exercitum militaris disciplinæ), accusativus VI, 21, 4 (Nepete coloniæ deducendæ), XXV, 5, 1 (fraudem audacia protegens), XXXVI, 24, 12 (decretum Ætolorum—T. Quinctio poscenti), XXXVIII, 33, 7. Semel infinitivus sic a participio separatur XXVII, 12, 5 (rapto vivere hominum assuetorum). Ante Livium hac traiectione, sed multo parcius, Cicero usus est, cuius hæc exempla ego et Siesbyeus adnotavimus: Orat. 77 (de re hominis magis quam de verbis laborantis), pro Quinct. 4 (multis incommodis veritas debilitata) et 11 (ceterarum rerum paterfamilias prudens), pro Rosc. Am. 68 (omnibus flagitiis vita inquinata), Verr. II, 174 et III, 206 (ob ius dicendum pecunias acceptas, cui geminum est apud Asconium p. 134 Hot. adversus leges pecuniarum captarum) et IV, 37 (pupillis bona patria erepta), de Leg. Agr. I, 2 (a maioribus possessiones relictas), II, 41 et 60 (captorum agrorum ipsius virtute), pro Sulla 45, Phil. VII, 19 (pacis nomine bellum involutum), ad Q. F. I, 2, 7 (raro litterarum missarum), ad Att. X, 4, 8 et XI, 14. 2 (ab isto salus data), de Fin. IV, 30 (æque vita iucunda) et V, 32, de Off. I, 45 et II, 34 et III, 99 (con-

sentientem Græciam ad bellum — inferendum), de R. P. I, 3 (bene constitutæ civitati publico iure); usus est etiam Cornelius Nepos (Datam. 3: magnifice Datamen donatum et 6: de male re gesta; cfr. Hann. 13, 2, Eum. 5: æque iumenta nitida), Cæsar quoque, opinor, bis (B. C. II, 32, 5: in Hispania res gestas Cæsaris[1]) et III, 96: recentibus cæspitibus tabernacula constrata). Post Livium L. Seneca aliquoties sic dixit, velut ad Marc. 18, 4 (summis cacuminibus nemora nutantia), ad Helv. 11, 3 (antiquis nominibus artificum argentum nobile), ad Polyb. 3, 5, de Tr. An. 1, 5, de Clem. I, 13, 5, de Ben. IV, 17, 3; apud alios perrara sunt exempla, velut apud Curtium (VIII, 1, 11 et 3, 20: nudo capite regem dimicantem) et Quintilianum (XII, 1, 16: integerrime provincia administrata) et Florum (II, 7, 11: interclusum hostem commeatibus) et Iustinum (XXXI, 3, 9: in Asia regi sedenti). Pæne oblitus sum, in actione vi bonorum raptorum apud ICtos eandem esse traiectionem. Simile est, quod dicitur eius Quintus filius, eius Anchialus servus (Cic. ad Fam. XIII, 45). [Hæc in priore editione breviter significata uberius nunc persecutus sum. 1875.]

Cap. 3, 2 et 3 (de Crotone urbe): Post vastitatem eo (Pyrrhi) bello factam vix pars dimidia habitabatur. Flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat, et arx procul eis, quæ habitabantur; sex millia aberat ab urbe nobile templum (ipsa urbe erat nobilius) Laciniæ Iunonis, sanctum omnibus circa populis. Sic inde a Gronovio editur, scriptura ex eius Salmasiique coniectura

---

[1]) Etiam apud Livium sæpius hæc traiectio accidit in rei gestæ appellatione, quod res gesta quasi pro uno nomine erat et male gesta re pro mala re dicebatur. (VII, 38, 2, XXII, 28, 13, XXIII, 31, 7, XXV, 17, 6, XXX, 32, 6, XLIV, 18, 4; cfr. XXXI, 21, 3: egregie rei gerendæ.)

concinnata; nam in P sic scriptum est: præterfluebat
g i
etaros procul eis quae habitabantur sex millia (272)
i
aberat in urbe nobile templum ipsa urbe erat cet. Et aros quidem pro arx etiam paulo post (§ 8) in P scribitur, et aras XXIII, 30, 7. Sed alia molesta sunt. Primum in illis verbis et arx procul eis cet. vitiosissima est oratio; arx enim aperte præterfluxisse dicitur; nam neque per se ullo modo (quod iam supra p. 248 not. admonui) verbum substantivum omitti potest, ubi pro prædicato adiungitur præpositio (ut arx procul eis intellegatur: arx erat procul eis), et minime omnium id fieri potest in tali copulatione: flumen — extra frequentia tectis loca præterfluebat, et arx procul eis cet. Deinde violenter pro in urbe substituitur ab urbe, quod quum Weissenbornius intellexisset, longe coniectura aberravit. Postremo prave divellitur, quam codex integram offert, elegans augendi forma: in urbe nobili templum ipsa urbe nobilius, substituta prava in hac sententiæ forma parenthesi. Itaque tenenda est hæc orationis distinctio: et arx procul eis, quæ habitabantur, sex millia aberat; in urbe nobili templum ipsa urbe erat nobilius Laciniæ Iunonis cet. Postquam Livius flumen extra frequentia tectis loca (ita ut tamen extremas oras et rara ædificia attingeret) præterfluxisse dixit, primum universe arcem a loco omnino habitato longius abfuisse scribit, deinde ipsam mensuram addit. Hanc spatii notationem ab arce ad templum transferre mutato numero nec tamen æquato cum eo, quem Strabo VI, p. 262 C ponit, temerarium est. Unum aliquis mirari possit, quod in urbe (273)
dicatur fuisse templum tam remotum. Sed veteres sæpe multo latiores quam nos urbium fines animo comprehendebant, quæ in agris urbium erant publica sacraque ædificia, urbibus ipsis adnumerantes. Itaque quod ἐν τῇ Κροτωνιάτιδι

erat templum, Livius, figura orationis invitante (in urbe nobili ipsa urbe nobilius), in urbe fuisse dixit. In urbe a Livio templum esse dici, ex eo etiam apparet, quod eius descriptio hoc loco interponitur ante arcis descriptionem (§ 8). Tum § 7 in codicis P prima scriptura: cuius cinerem nullo unquam moueuentosedaros cet. apparet inesse illud ipsum, quod Gronovius restituit: nullo unquam moveri vento. Sed arx cet., non, quod nuper revocatum est: nullus unquam moveat ventus. Sed arx cet. (§ 8 pro qua fortasse fuit quia. 1871.) Postremo § 15 scribendum est: nam (pro iam) hoc ut sibi liceret, impetraverant ei (Locrenses, pro et) ab Hannibale, missis ad id ipsum legatis. (Iam locum haberet oratione sic conformata: Nam hoc iam ante cet.) [Pronomen necessarium est, quod ipsi Locrenses præter legatos ante nominati non sunt, sed significati nomine Locros.]

Cap. 4, 1 et 2 in codice P scribitur: — laturum aeetasit ingenium, supra **ee** posito **a**, supra **as te** manu aut prima aut altera. Hinc efficitur: Eam ætatem, id ingenium tutores atque amici — acceperunt. Eam, quæ pueri nomine iam significata est, ætatem, id ingenium, quod vix libertatem modice laturum erat, tutores acceperunt ad præcipitandum. Et (ante tutores) ex t natum est. (1862.)[1])

Cap. 5, 1: Vix quidem ulli bono moderatoque
(274) regi facilis erat favor apud Syracusanos, succe-

[1]) Cap. 4, 5 W. edidit: iuvenemque suis potissimum vestigiis insistere vellent disciplinæ (P, vulgo disciplinæque), in qua eductus esset. Asyndeton in hac sedata oratione et in coniunctione membrorum inæqualium verbo interposito separatorum contra sermonis naturam temere fingitur; excidit et post nt (vid. ad X, 21, 6). Non paucis locis asyndeta incredibilia in Livii orationem illata sunt propter errores codicis, qui alibi necessario corriguntur; conquirere ea supersedeo; exemplo rem notandam putavi.

denti tantæ caritati Hieronis; verum enimvero Hieronymus cet. Raro usu Livius vix quidem dixit, quemadmodum alibi non quidem (I, 29, 2, IX, 19, 14, XXV, 36, 2, XXXIV, 32, 9; cfr. Hirt. B. G. VIII præf. et 41; Senec. de Benef. II, 24, de Ira II, 10, 3 et III, 38; Curt. VI, 29, 3 et VIII, 14, 2; Tac. Hist. 1, 63; Plin. Ep. VI, 32 et Paneg. 32, al.), ubi Cicero aut pronomen addit (ut ipse Livius II, 24, 4) aut aliter sententiam conformat. Sed ulli prave ponitur, quasi hæc sit sententia, vix ulli omnino bono regi facilem futurum fuisse favorem, nedum certo, de quo agatur, bono regi, quum hanc esse oporteat, vix bono regi facilem futurum fuisse, nedum malo pravoque, qualis Hieronymus fuit; itaque in bono pondus orationis est; illa ullius ex toto genere significatio sententiam evertit. (Omissa boni moderatique regis significatione poterat dici, vix ullum regem placiturum fuisse, nedum talem, qualis Hieronymus fuit.) Unum præponi adiectivo potest vel: Vix quidem vel bono moderatoque regi cet. (cfr. I, 48, 8), et sic Livium scripsisse puto. Pro vel huius libri c. 22, 7 in P scribitur uelut (uelut munitissima.) [Quod Weiss. putat etiam numeri notionem intendi posse, non potest simul cum virtute; sic enim Hieronymus in bonis regibus poneretur. Longe alia est orationis forma VI, 34, 4.]

Cap. 6, 7: Hieronymus legatos Carthaginem misit ad foedus ex societate cum Hannibale faciendum. Pacto convenit cet. In P est pacta. Adhibita transpositione efficiendum videtur: cum Hannibale pacta faciendum. Convenit ut cet. Nam pacto prorsus abundat, ex societate cum Hannibale curtum sonat. (1862.)[1])

---

[1]) Cap. 7, 4 Weiss. e P edidit: ibi quum structi armatique ceteri — starent. Eodem modo I, 23, 6 recentissimi tres editores ex PMHl scripserunt: postquam structi utrimque stabant.

Cap. 8, 15 (in oratione Q. Fabii contra T. Otacilium): Sin autem te classem obtinente etiam velut pacato mari quævis Hannibali tuta atque integra ab domo venerunt cet. Neque etiam aptum sententiæ est neque quævis (Drak. quælibet) ferri potest, quoniam hoc pronomen non dicitur sic plurali numero pro substantivo et significationem habet omnis generis sine dilectu ab hoc loco alienam. In codicibus (P M Cant., aliis) pro eo scribitur quib. (P) aut quibus. Scriptum fuisse videtur: — obtinente **omnia** velut pacato mari **navibus** Hannibali cet. Omnia mutari potuit ob extremam syllabam vocis præcedentis. (1876.) § 10 exspectes: ut non **aut** deum aut belli deseramus causam. (1862.)

Cap. 9, 10 (de Q. Fabio consule iis comitiis creato, quæ ipse consul habebat): Tempus ac necessitas belli ac discrimen summæ rerum faciebant, ne quis aut in exemplum exquireret aut suspectum cupiditatis imperii consulem haberet. Quod me ante multos annos offendit, in exemplum exquirere, in eo etiam Weissenbornius hæsit; sed quod fortasse inquireret substituendum putat et exemplum tum in posterum proditum intellegit, neque exemplum nude positum sic accipi potest,
(275) neque inquirere in exemplum est quærere, quam bono malove exemplo quid fiat. Scribendum: ne quis aut exemplum exquireret aut cet. Nemo exemplum eius rei ante factæ exquirebat (ut, si non repperisset, rem nullo exemplo factam quereretur).[1])

Utroque loco præcedit in. In Vindob. tamen XLII, 51, 3 non præcedente in scribitur: armatos in campo struxit. Restituendum instructi, instruxit. Acies aliquo modo strui, hoc est, ordinari et componi dici potest (VIII, 8, 3, IX, 31, 9, XLII, 7, 4), milites tantum instrui.

[1]) Proxima paragrapho (11) receptum nuper est codicum mendum, quod omnes ad nostram ætatem recte spreverant: seque tum haud dubie esse; abesse pronomen, in quo ipsa vertitur sen-

Cap. 10, 11, ubi de prodigiis agitur, nihil omnino erat, cur Lipsio auctore ab omnibus deinceps editoribus quinque verba eiicerentur neque codicum ullo indicio suspecta neque a Livii animo et consilio aliena. Nam, ut erat eius in toto hoc genere instabile iudicium, nunc ad æqualium incredulitatem, nunc ad speciem quandam religionis cum antiquæ simplicitatis admiratione se inclinans, hoc loco non sine leni irrisione significat, miracula illa, quæ nuntiarentur, homines ipsos sibi, motis semel ad sollicitudinem et superstitionem animis, obiecisse et finxisse; unum quidem non fictum fuisse, sed, quum naturaliter accidisset, tantummodo, quod rarum esset, pro prodigio acceptum dicit: Quin Romæ quoque in ipsa urbe, secundum apum examen in foro visum (quod mirabile est, quia rarum) adfirmantes quidam, legiones se armatas in Ianiculo videre, concitaverunt civitatem ad arma, quum, qui in Ianiculo essent, negarent, quemquam ibi præter collis eius cultores (276) apparuisse. In his quoque extremis apparet lenis, ut dixi, irrisio, quæ c. 44, 8 acerbior est [1])

---

tentia, nequit; codicum scriptura ad Latinas aures nihil aliud significaret nisi Q. Fabium tum vivere. Sed eodem loco ab omnibus retinetur: si qua ex re oreretur, quod Latine significat: si ex aliqua re; nam re pro ea re dici nequit; itaque necessario cum pronomine coniungitur. Scribendum cum Dukero: si qua ex ea re. Etsi nova proferre propositum est, tamen subinde libet, exemplis ex proximo occurrentibus, monstrare, quid Livii editori restet faciendum aut ex nuper factis refingendum.

[1]) § 4, ubi in P notæ sunt: et $\overline{pr}$. prioris anni pro $\overline{pr}$., Forchhammer scribendum vidit: et prætores prioris anni pro prætoribus pro eo, quod editur: — pro prætore. (1862.) Cap. 13, 5 Weissenbornius ex P edidit: Philippum hunc portum, si transiret in Italiam, Brundisium Romani haberent, petiturum. Prorsus perverse, ut asyndeton omittam, verbum haberent subiicitur coniunctioni si. Sed pro quum, quod sine codicum mentione edebatur, potius supplendum est quoniam. (1862.)

Cap. 20, 5: Oppida vi capta Compulteria — Compsa, inde Fugifulæ et Orbitanium; ex Lucanis Blandæ et Apulorum Æcæ oppugnatæ. Temporis distinctio (inde F.) in hac celeri enumeratione exiguorum oppidulorum inepta est; itaque inde ad locum pertinet et ad oppida Samnitium a Lucanis separanda, quemadmodum dicitur capere ex hostibus (I, 46, III, 68, IV, 48, 51, V, 20, VI, 14), ex Tiburtibus, ex Volscis (VII, 18, VIII, 23), ipsum inde IX, 20, 9; deinde duo sunt ordines, alter oppidorum captorum, oppugnatorum alter. Blanda, non Blandæ, et apud Melam et apud Plinium et apud Ptolemæum appellatur; ex e fit et. Itaque totus locus sic distinguendus et scribendus est: oppida vi capta Compulteria — Compsa inde, Fugifulæ — ex Lucanis, Blanda et Apulorum Æcæ oppugnatæ. (1862.) § 9 e maliis (P) fit in aliis pro aliis. (1862.)

Cap. 22, 2 multos abhinc annos videram mendose scribi: servitudinis indignitatisque homines expertos, iisdem, quæ Weissenbornium moverunt, indiciis commotus, inaudito servitudinis nomine, quum præsto esset usitatissimum servitutis, et participii expertus cum genetivo coniunctione; corrigebam: servitutis onus indignitatesque h. expertos, nec tamen id supplementum aliis præfero. [§ 4 in iis, quæ Andranodoro denuntiantur: portum Insulæ aperiat, reddat præsidium, vix fieri potest, ut non scribendum sit tradat (aperiatradat); nam neque reddere est dedere neque ulla alia reddendi significatio h. l. esse potest. 1872.] Certiorem emendationem extremo capiti (§ 17) adfero, ubi sic editur: periculumque ingens manet, nisi paci et concordiæ consulitis, ne libera efferatur res publica. Nimis enim incertæ et aut ignavæ aut pravæ significationis verbum est efferatur, quod alii de insolenti superbia accipiunt, in qua significatione aut ablativus aut adverbium addendum erat, nec tamen satis exprimitur periculi magni-

tudo, alii de interitu et funere rei publicæ. Verum quod Livius (XXVIII, 28, 12) Scipionem negantem facit, suo funere rem publicam elatum iri, non sequitur, ut, nulla præcedente mortis funerisve significatione, recte dicatur periculum esse, ne res publica efferatur, hoc est, intereat; sepeliatur perspicue, sed inepte scriberetur. Una littera a vero aberratur. Scripserat enim Livius: ne libera **efferetur** res publica, hoc est, in feram et immanem crudelitatem et licentiam incidat. [Sic iam Doeringius. Nihil gravius quam universi populi feritas timeri poterat.]

Cap. 24, 6 sqq. Sublata particula et, quæ geminatis (277) extremis litteris verbi edocuisset orta orationem perturbat (ut XXI, 45, 8 mactasset et, de quo loco dixi ad XXI, 25, 9), scribendum est: Qui (index) quum ordine omnia edocuisset: principium coniurationis factum ab Harmoniæ Gelonis filiæ nuptiis, —; iam mercenariorum manum, adsuetam imperiis Andranodori, paratam fuisse ad Insulam rursus occupandam, singula deinde — ante oculos posuit. Anacoluthi, qualia vera esse solent, nec causa fuit nec vestigium est. [Sic Doeringius.]

Cap. 25, 8: Ea natura multitudinis est: aut servit humiliter aut superbe dominatur; libertatem, quæ media est, nec stupere modice nec habere sciunt. Poterat inter servitutem et dominationem una libertas, in qua ipsa modus comprehenderetur, media poni; nunc aperte habere modice Livius sic contrarium posuit superbæ dominationi, qui abusus est libertatis, quam populus habet, ut alterum verbum (pro quo stupere in PM Cant. scribitur) de carendo modice libertate contrarium referri debeat humili et abiectæ servituti. Verum sperni libertas nunquam debet, nec, qui non habent, spernunt. Potuit scribi proxime ad codicis vestigia: libertatem — nec exuere modice nec habere sciunt. Quum cogit res libertatem ad tempus exuere, in servitutem homines ruunt.

Cap. 26, 10 sqq. (postquam expositæ sunt miserabiles Heracliæ, Hieronis filiæ, pro se filiabusque apud interfectores missos preces): Aversis auribus animisque cassæne tempus terrerentur ferrum quosdam expedientes cernebat, tum, omissis pro se precipueuelis (h. e., precibus, puellis) ut saltem parcerent, orare institit. Sic in P scribitur. Varie corrigunt, omnes parum probabiliter (velut Weissenbornius: in cassum questa. Ne tempus tererent, ut f. qu. exp. cernebat, tum cet., ablativis vitiose divulsis ab eo subiecto, ad quod pertinent, ut coniunctione pravissime inter ne tempus tererent et ferrum expedientes interposita). Mihi et ad vestigia codicis proxime accedere et simul aptissima esse hæc videntur: Aversis auribus animisque adstare, ne tempus tererent, ferrum quosdam expedientes cernebat; tum, omissis cet. Universe interfectores aversis auribus adstitisse Livius dicit, quosdam etiam longius progressos. [Incerta tamen, maxime in adstare, correctio est. Casse pro in cassum barbarum est.][1])

(278) Cap. 27, 3: Prætores (qui comitia Syracusis habebant) dissimulare primo et trahenda re esse; postremo, victi consensu et seditionem metuentes, pronuntiant eos (Epicyden et Hippocratem) prætores. Non dici Latine trahenda re esse, alii iam exposuerunt; nec in trahenda re esse (quod occupationem significat) pro eo, quod est rem trahere conari, hoc loco recte diceretur. Scripserat Livius: — dissimulare primo extrahenda re; set postremo cet.[2])

---

[1]) § 15 videndum ne scribendum sit festinatum id supplicium. (1862.)

[2]) Cap. 28, 9 recte Roëllius pro his: pacem fieri placuit mittique cum eis (qui nulli sunt) legatos scribi voluit: p. f. placuit cum eis mittique legatos. Vid. ad XXII, 2, 6.

Cap. 29, 8 (in oratione Epicydis, qua Leontinis suadet, ne Syracusanis pareant): Renuntiandum igitur eis (Syracusanis) esse, Leontinos quoque æquum censere liberos esse, vel quod in solo urbis suæ tyrannus occiderit, vel quod ibi primum conclamatum ad libertatem relictisque regiis ducit ab Syracusas concursum. Sic P. Olim edebatur: relictisque regiis ducibus Syracusas sit concursum; verum in oppido Leontinorum (ibi) Syracusas concursum non est. Weissenbornius scripsit: rel. reg. ducibus ab Syracusanis concursum sit; verum non, a quibus concursum sit, agitur (in quo etiam tollitur omnis Leontinorum laus, nominatim ad Syracusanos traducta), sed quo. Itaque scribendum est: relictisque regiis ducibus ad Syracusanos concursum sit, hoc est, ad coniuratos Syracusanos, ad quos post Hieronymi cædem imperium translatum (279) esse, Livius c. 21, 4 significavit. Sit ante itaque excidisse videtur.[1])

Cap. 30, 9: exercitum ducunt Megaram. Non puto Livium hic et 31, 5 Megaram urbem appellasse, § 11 et c. 31, 9 et 35, 2 et XXXI, 22, 6 et 25, 2 Megara; m detrahitur atque additur a librariis; in Megaris non erratur neque hic neque apud Ciceronem de Divin. II, 135. Megaram editur apud Cic. de Div. I, 57, apud Sulpic. in epist. ad Fam. IV, 5, 4, apud script. ad Herenn. I, 9, 14,

[1]) [Quod in priore editione dubitanter significaveram, inter liberos et esse inserendum esse se, nunc quoque teneo; neque enim recte dicitur nec æquum censeo liber esse nec æquum censeo liberum esse, omisso me. Sed XXII, 60, 7 nollem secutus essem Wesenbergium in pronomine addendo; nam apud eiusmodi verbum, quale est præferri, quod non addito prædicato per se intellegitur, pronomen omitti posse hi loci ostendunt: VI, 18, 11 (ut imperare illis æquum censeatis), IX, 14, 5, XXII, 32, 6. Alia est ratio in XLII, 29, 3, ubi recte Weissenbornius pronomen addidit, quo omisso necessario contra sententiam infinitivus, qui est ferre, ad Romanos referretur.]

apud Vell. Paterc. I, 2, 3, apud Val. Max. bis. Semper Patara Livius dixit, non Pataram. Nihil ad rem pertinet nominativus Megaris. (1862.)

Cap. 32, 6 (de mercenariis regiis Syracusas intromissis): nec minore intus vi quam foris portæ effringebantur, effractisque omnibus tuto Hexapylo agmen receptum est. Tuto receptum esse agmen, nulla erat causa, cur diceretur, quum nihil periculi insidiarumve significatum esset. Sed quod Dukerus et Creverius totum scribi voluerunt, tres litteras mutarunt pro una; scribi enim debet: toto Hexapylo agmen receptum est, per omnes sex introitus sive ianos. Contrarium hoc est ei, quod supra (§ 5) unis foribus Hexapyli apertis coepti recipi narrantur. Ut enim Weissenbornio concedam, Hexapyli (τῶν Ἑξαπύλων, ut Græci loquuntur) nomine vere senas fores, quæ aliæ alias exciperent, ut per omnes transeundum esset, significatas esse (etsi neque scriptorum testimonio id confirmatur neque ad Dionysii tyranni ætatem ea portarum forma pertinere videtur), Livius tamen de pluribus foribus iuxta positis intellexit, ut, pluribus apertis, maior multitudo intrare posset. Alioquin non unis foribus, sed primis dixisset, nec recipi coeptos, quos quinæ fores clausæ excluderent. [Sic iam Fabri.] (Paulo ante, ubi in P est: sed surdæ aditomnium aures concitatæ multitudines erant, supra it, quod etiam h legi potest, scripto eo, neque id de tota oratione et precibus recte ponitur neque ferri hæc epexegesis potest: omnium — concitatæ multitudinis, longeque diversa est appositionis forma XXX, 7, 10: Celtiberorum, egregiæ iuventutis. Scribendum videtur: sed surdæ ad omnia (ad omnia tum?) aures. Gronovius ad hæc omnia. 1862.)

Cap. 34, 10, ubi scribitur: quae propius quaedam subibant naves male concurrentibus pronominibus, rectius etiam ad sententiam est: quia propius cet. (alii quum). Livius, re minus perspicue animo concepta, ad ferream ma-

num transtulit recellendi motum ad solum ab altera parte tollenonis. Coniecturæ de verbis mutandis prolatæ nihil expediunt. (1862.)[1])

Cap. 36, 3: Sub idem forte tempus et naves longæ LV Carthaginiensium cum Bomilcare classis in magnum portum Syracusas ex alto decurrere, et Romana item classis, XXX quinqueremes, legionem primam Panormi exposuere. Non solum mirus est, qui fingitur, verborum ordo: Carthaginiensium cum Bomilcare classis, quum præpositio ad verbum referatur, sed inauditus, in tali quidem reliquæ sententiæ forma; sed non minus perverse naves LV Carthaginiensium classis (quoniam non significatur pars classis universæ ante commemoratæ) pro classe LV navium dicuntur. Itaque in recentissimis codd. interpolando factum: cum Bom. classis præfecto. Simpliciter tollendum erat classis nomen, huc ex proximo versu, ubi recte ponitur, illatum. [Sic Kæstnerus.] (280)

Cap. 39, 9 (de motis Hennensium cæde Siculorum animis): et quia cæde infanda rebantur non hominum tantum, sed etiam deorum sedem violatam esse, tum vero, qui etiam ante dubii fuerant, defecere ad Poenos. Non solum, qui iam (sic dici oportebat, non etiam) ante dubii fuerant, defecerunt, sed præter eos, qui iam destinaverant deficere, etiam ii, qui antea dubitaverant, utrum Poenos Romanosne sequerentur. Scribendum igitur, transpositione facta: tum vero etiam qui ante dubii fuerant, cet. De correctionis genere dixi ad XXII, 2, 6; eodem recte usum Roëllium dixi in huius libri c. 28, 9, usi alii recte sunt c. 47, 5 (quam ob noxam Romanorum aut quod meritum Poenorum pro: quod aut meri-

---

[1]) Cap. 34, 12 ex his vestigiis: omnisquaeipseseadversaut fieri debet: omnisque spes eo versa, ut (non ad id). [Sic Boettcherus.]

tum P., quod nullam excusationem recipit).[1] (§ 5 post ruerent excidit et. 1862.)

(281) Cap. 42, 3 (postquam de proelio ad Mundam et Cn. Scipionis vulnere dictum est): Ceterum haud dubium fuit, quin, nisi ea mora intervenisset, castra eo die Punica capi potuerint. Iam non milites solum, sed elephanti etiam usque ad vallum acti erant, superque ipsum (PM Cant. superqipsas) novem et triginta elephanti pilis confixi. Particula iam significare videtur conversionem aliquam rerum commemoratum iri; sed sequitur superioris iudicii confirmatio una hac sententia comprehensa; itaque scribendum: Nam non cet. Deinde, etiamsi codices consentirent, nonnihil molestiæ dubitationisque habere mihi viderentur elephanti super vallum confixi, quoniam, quomodo in vallo (quod ab aggere diversum est) consistere potuerint, obscurum est; quamquam in IX, 45, 15 homines in vallo conspici et

---

[1]) In capitis 39 initio (§ 1) non possum non mirari, pro certissima Gronovii et aliorum emendatione, Drakenborchio, Kreyssigio, Bekkero probata, qua ex his codicis P vestigiis: alia aliis lociis
ribus
ad opsidendis itine claudendosque opponitis exitus,
ea
pars maxima super tertrum circaque — consistunt lenissime efficitur: alii aliis locis ad obsidenda itinera claudendosque oppositi exitus; pars maxima super theatrum — consistunt, pro ea, inquam, nuper hæc esse substituta: alia aliis locis ad obs. it. claudendosque opponitur exitus, pars maxima cet., ut ex pars maxima miro artificio initio sententiæ ad alia audiatur pars et pro eo, quod noveramus: alii aliis locis, nove dicatur: alia pars aliis locis. Nocuit huic loco, ut aliis, nimium studium nova extundendi. Nam, ut proximis exemplis utar, etiam c. 37, 5 ad vestigia codicis op-
lc
timi (patuerat) Lipsii coniectura (palam erat) aptissimis verbis propius accedit quam quæ nuper prodita est (aperte rati), et c. 38, 1 ex convocatio quib melius Gronovius effecerat: convocatis suis quam Boettcherus: convocat suos, quibus.

XXVI, 6, 1 elephanti transgredientes in ipso vallo confecti dicuntur, quod tamen magis de perrumpere nitentibus dici potuit. Sed ex codicum vestigiis effici videtur, quod aptius sit: superque fossas, hoc est, super margines fossarum. (Ad vallum ac fossas XXV, 14, 1.) Eodem capite § 6 iniuria, opinor, Weissenbornius de Dukeri et Creverii emendationis ad vestigia codicis P accedentis et ab ipso receptæ veritate dubitavit; Hispanorum gentem significari recte iudicat; ea sola exercitum explevisse animosque imperatoribus Carthaginiensibus fecisse ad certamen de integro tentandum dici potest. Sed ea, quæ subiiciuntur de novæ pugnæ eventu (§ 7), nondum expedita sunt. Ea in P sic scribuntur: alii pleriq milites sique (sic etiam MVoss., alii; in recentioribus quibusdam factum sicut) pro parte (282) totiens intra paucos dies victa isdem animas quibus pr. ortaeodemque (iisdem litteris M, Harl., Lov. 2, 3, 4; in Lov. 1 hinc factum prior orta eodemque, in aliis prius coorti, alia) eventu pugnavere. Universa sententia satis apparet, etsi alii magnam partem milites fuerint, tamen animos eosdem et eventum eundem fuisse; sed in orationis forma et verbis laboratur. Quod antea edebatur: Alii plerique milites, sicut pro parte — victa, iisdem animis, quibus prius, eodemque eventu pugnavere, ut omittam prius, quod et a codicibus bonis longius recedit et sententia prorsus pravum est (neque enim alii illi milites prius pugnaverant), vitiosam habet et mancam comparationem (sicut, non sequente ita) pro causæ significatione. Quod autem Weissenbornius hæc posuit: sicuti pro parte totiens — victa isdem, animis quibus priores, ita eodemque eventu pugnavere, ut omittam, a codicibus hic quoque satis recessum esse, maxime in illo ipso ita, et prave iisdem animis eodemque eventu divellit et in eodemque orationem efficit nullo modo cohærentem, nisi forte ita eodemque nescio quo novo particulæ usu accipere iubemur pro: ita

eodem quoque eventu, hoc est, eventu quoque eodem. Frustra homines docti in comparationis forma efficienda elaborarunt, a pravo initio (sicut ex sique effecto) profecti. Livius, ni fallor, sic scripserat: Alii plerique milites, quippe pro parte totiens intra paucos dies victa, iisdem animis, quibus priores, eodemque eventu pugnavere. Nihil aliud exspectandum fuisse significat illud ipsi rei præmissum quippe; ei particulæ leviter corruptæ (ique) adhæsit s ex præcedenti voce; pro pr. orta restituto priores, quod iam a Valla inventum et a multis probatum erat, cetera e codicibus omnia tenui.

Cap. 43, 3. In hac orationis forma: censoribus — dies dicta ad populum est — sed — vetiti causam — dicere dimissique fuerant recte Ussingius fuerant tollendum iudicavit. Librarius verbum, quod ex est auditur, supplevit pravo tempore, nisi ipse scripserat, quod Creverius substitui volebat, fuerunt vitiose pro sunt. (1862.) § 6, ubi editur: Prætores fiunt M. Atilius et, qui tum ædiles curules erant, P. Sempronius Tuditanus et Cn. Fulvius Centumalus et M. Æmilius Lepidus, in P scribitur: prætores fiunt cito qui tum ædiles; hinc efficitur: Prætores fiunt duo, qui tum — erant, P. Semp. Tud. et Cn. Fulv. Cent., et **M. Atilius et** M. Æm. Lep. Ad orationis formam conferri potest XXVIII, 38, 11. M. Atilii nomen ante M. Æmilii excidisse apparet. (1862.)

Cap. 44, 10 in his verbis: ut consul animadvertere proximum lictorem iussit et, ut is descenderet ex equo, inclamavit manifestum est ut tollendum esse, ut is pronomen referatur ad lictorem notata subiecti mutatione; librarius orationis brevitatem (descenderet inclamavit) explevit; id supplementum prave ante is insertum est. (1862.)

Cap. 45. In hoc capite plura satis insigniter emendanda sunt, sed eorum initium a re perparva capietur.

Nam § 2, ubi superiores edebant: ad Hannibalem dis- (283)
cessisset traxissetque ad defectionem, nuper scriptum est descisset, traxisset (P discesset), verbo recto quod iam Muretus et Gronovius restitui voluerant, asyndeto pravo in sedata rei primariam actionem (transitum) consecutæ pluribus verbis adiunctione; scribendum erat, geminatis duabus litteris: descisset et traxisset. Sed maiora et difficiliora agenda sunt. Nam primum aliorum præter Q. Fabium Maximum patrem de Dasio Altinio in consilio sententia ita in codice P perscribitur (ceteris bonis, ut semper, proxime adhærentibus): aliis pro transfuga ueruerandus necandusque uideris (id est, videri), ancipitis animi communis hostis, qui post Cannensem cladem, tanquam cum fortuna fidem stare oporteret, ad Hannibalem discesset (id est, ut dixi, descisset et) traxisset ad defectionem Arpos; tum quam res Romana contra spem votaque eius velut resurgerent turpibus videatur novam referre proditionem proditiis polli VII uirali iudicioe stet

u us

semper aliumde sentiat, infidus sociis uana (us a

. u

man. 1) hostiis ad Faleriorum phyrrtie proditorem tertium transfugis documentum esse. Ex his Gronovius (Observatt. lib. IV c. 11 p. 169 sqq.) ea effecit, quæ deinde in editionibus manserunt, coniectura partim sagaci felicique, partim infelici (adscribam tantum posteriorem loci partem, quoniam de ea sola ambigitur): — Arpos; quumque res Romana contra spem votaque eius velut resurgeret, turpius videatur novam referre proditionem proditis olim; qui aliunde stet semper, aliunde sentiat, infidus socius, vanus hostis; ad Faleriorum Pyrrhique proditorem tertium transfugis documentum esset. Felicissime inventa illa: aliunde stet semper, aliunde sentiat, quæ corrupit

(284) Weissenbornius, ut ex illo uiraliiudicioestet retineret iudicio, quod ortum est perspicue ex divulsis litteris vocabuli aliunde (ali iude, deinde, quum iud. pro compendio satis frequenti habitum esset, ali iudicio e); revocare tentantem debuerat vel pravus ordo verborum stet semper aliunde, pondere in stet inclinato, quod in aliunde esse debet, et semper, quod commune utriusque membri est, inter voces prioris membri medio interposito. Sed in superioribus Gronovium verum non invenisse, multa ostendunt, turpius inutiliter additum, videatur prorsus prave de re certissima positum, perversum dicendi genus proditionem referre proditis (nam refertur, hoc est, iteratur proditio, non alicui refertur), olim otiose extremo loco adhærens, confusa in resurgeret, videatur, stet temporis notatio (nam de eo, quod nunc ipsum fit, præsens pro imperfecto ex oratione recta retentum constanter servari debet), postremo codicum vestigia. Initium emendationis factum erit, si intellexerimus, videatur pertinere ad sententiam de re Romana resurgenti, quod in spe et opinione positum erat. Sic enim Livius scripsit: tum, quoniam (sic W. recte pro quam) res Romana contra spem votaque eius **resurgere viribus** videatur, novam referre proditionem proditis **polliceatur**, aliunde stet semper, aliunde sentiat, infidus socius, vanus hostis. Postrema hæc sententia recte relativo non repetito ἀσυνδέτως additur, superiorum sententiam breviter colligens. Verbi polliceatur, quod oratio et sententia postulat, duæ primæ syllabæ manserunt, ex turali ortum uirali, deinde ex cea factum, nescio quo errore, VII. Polliceor facere non tantum Plautus et Terentius dixerunt, sed Cæsar B. G. IV, 21 et Asinius Pollio apud Sen. Rhet. p. 41 Kiessl. [Pro resurgere viribus feliciter Weissenbornius resurgere ab stirpibus.] Extrema verba sic videntur scribenda: **id** ad Faleriorum Pyrrhique proditorem tertium transfugis docu-

mentum esset (ex recta oratione huiusmodi: hoc — sit; infinitivus ferri nullo modo potest, sed ne pronomen quidem abesse; de id vel ad pro ad id, id ad scripto vid. ad XXV, 40, 8). Atque hæc quidem aliorum illorum sententia fuit; sed in iis quoque, quæ § 4 et 5 sequuntur, Q. Fabii (285)
sententiam continentia, plura sunt post Lipsii et Gronovii emendationes dubia aut corrupta; nam primum (ut adiectivum libera recte adiungi ad arbitria agere concedatur) distributionis significatio apta non videtur (de quoque, quod non idem est atque de unoquoque); sed meliora non reperio. [Rectum videtur: libero æquoque arbitrio agere. 1862.] Deinde in Gronovii emendatione non recte hæc componuntur: quum illud potius —, id non cogitent; hoc enim posterius sic dicitur, quasi præcedat: quod maxime agendum sit; neque recte autem (documentum autem dicant statui oportere) pro sed post non ponitur. Veniebat in mentem: qui, quum illud potius agendum atque cogitandum sit, —, ne qui socii populi desciscant **et ut novi concilientur** [**novos concilient?**] (P et non uocitent), documentum **etiam** dicant statui oportere cet. Tum § 6 (ubi continuatur Fabii sententia) Weissenbornius ex P scripsit: Quod si abire ab Romanis liceat, redire ad eos non liceat, qui (vulgo cui) dubium esse, quin (cod. esset qui) brevi desiderata (vulgo sine varietate deserta) ab sociis Romana res foederibus Punicis (cod. puniciis) omnia in Italia iuncta visura sit? Sed neque desiderata res Romana pro ea, cui adiungere se populi cupiant, dici ullo modo neque omitti temporis superioris significatio poterat (desiderata antea vel hactenus), et alius debebat esse ordo verborum (quin des. hactenus — res brevi cet.); nam brevi præponi debet voci mutationem significanti. Ex desiderata efficiendum videtur non deserta, sed desperata. Neque tamen celabo, mihi totum hoc de re Romana omnia in

Italia foederibus Punicis iuncta visura displicere; res enim Romana antiquo usu loquendi nihil videt. Vereor, ne a Livio scriptum fuerit: quin brevi, desperata ab sociis Romana re, foederibus Punicis omnia — iuncta **visuri sint**. Illud non dubium est, quin recte usque ad nostram ætatem editum sit et hic et c. 26, 6: cui dubium
(286) esse, idque, quod nuper e P utroque loco substitutum est, qui, ortum sit, ut non raro, ex quoi, quemadmodum in ipso P XXV, 6, 7 pro cui post fugam scribitur qui post f. et XXV, 17, 5 quique pro cuique; cfr. III, 41, 4 (supra p. 20 not.), Drakenb. ad IX, 34, 13. [XXII, 59, 13 quin nos pro cui nos.] Neque enim modi, qui adverbio qui notatur, ulla significatio est, sed interrogando nulli dubium esse dicitur. Eodem modo aberravit Weissenbornius (in ed. Teubn.) in XXXVI, 7, 4, ubi ex quoi dubium in Mog., geminato etiam **d**, ortum erat quid dubium. Non aberratur in XXXVII, 15, 2 aut 53, 3; nec XXXII, 10, 6 quemquam hactenus decepit cod. Bamb., in quo pro: cui enim non apparere scribitur: qui enim n. app. XLV, 44, 12 pro: ne cui (quoi) detur, quod Muretus restituit, in codice est ne quo detur. In Ciceronis oratione II de lege agr. 22, 60 ex quoi ius in codicibus factum quod ius, similiterque multis aliis locis. [Cfr. Advers. crit. I p. 68 et II p. 412 n.] Unum superest in hoc capite (post consecuturum § 7 recte a Weissenbornio in secuturum mutatum et § 9 restitutum e P Calenisque legatis) emendandum in § 13, ubi Hannibal, ut iræ magis quam avaritiæ datum (quod bona Dasii possideret venderetque) crederent homines, crudelitatem quoque gravitati addidisse dicitur, coniuge eius liberisque vivis combustis; sic enim in cod. M aliisque scribitur; in deterioribus codicibus et editionibus nostro sæculo antiquioribus erat: crudelitati quoque gravitatem addidit; in P est crudelitatem — gravitatem. Manifestum est, ut iræ datum aliquid videretur, non cru-

delitati aliud, sed alii rei crudelitatem additam; sed non minus manifestum, ut iræ respondeat crudelitas, ita ab avaritia longissime distare gravitatem neque ullam in Dasii bonis vendendis gravitatem fuisse. Itaque Gronovius rapa- (287) citati scribi voluit (pravitas quid hic agat, nescio); sed erroris origo perspicietur, si scripserimus: crudelitatem quoque rapinæ addidit. Ex rapinae factum rauinaē, tum gravitatem.

Cap. 46, 5: Imber — custodes vigilesque — subfugere in tecta coegit sonituque primo largioris procellæ strepitum molientium portam exaudiri prohibuit, lentior deinde æqualiorque accidens auribus magnam partem hominum sopivit. Imber auribus non accidit neque lentus neque incitatus, neque is sonitu procellæ quidquam efficit, sed ipse sonitus procellæ imbrem comitantis aut subsequentis strepitum alium exaudiri prohibet et auribus æqualis accidens homines sopit. Vera igitur coniectura in quattuor recentioribus apud Drakenborchium codicibus scribitur: sonitusque primo largioris procellæ cet. Origo mendi (ex primo) aperta est.[1])

Cap. 47, 15 et 16 (de incendio, quod Romæ fuit): Solo æquata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem cum Æquimælio Iugarioque vico. In templis Fortunæ ac Matris Matutæ et extra portam late vagatus ignis sacra profanaque multa absumpsit. Sic oratio ab editoribus interpungitur. Sed quum templa Fortunæ et Matris Matutæ non extra portam

---

[1]) § 3, ubi Weissenbornius ex Creverii coniectura edidit: Eam portam scalis prius transgressos murum aperire ex interiore parte aut claustra refringere iubet, in P autem est amurumperire, fieri potest, ut Livius tantum scripserit transgressos aperire, deinde murum supra declarandi causa scriptum errore mediæ voci aperire interpositum sit, cuius erroris exempla posui supra p. 18. (1862.)

Carmentalem, sed intra eam fuisse constet, retinetur ab omnibus, quod nescio quis vetus editor, nomine Spei contra codices addito, effecit: In templis F. et M. M. et Spei extra portam cet. Nam Spei templum extra portam illam fuisse et tum conflagrasse, scimus e libro XXV, 7. Sed qui possunt in hac copulata enumeratione duo priora
(288) templa a tertio separari et intra portam fuisse intellegi? Cur eorum mentio, a superioribus seiuncta, cum eorum, quæ extra portam fuerunt, commemoratione coniungitur? Quæ deinde hæc est pravitas, in templis vagatum ignem sacra profanaque multa absumpsisse? Livius scripserat: Solo æquata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem cum Æquimælio Iugarioque vico **et** templis Fortunæ ac Matris Matutæ. Extra portam late vagatus ignis sacra prof. m. abs. (inter ea sacra Spei templum, cuius nomen Livius h. l. omisit). Iam recte separantur, quæ extra portam intraque eam fuerunt. Excidit et ante **t**, tum in additum. Contra et inter Matutæ et extra facile natum.[1])

Cap. 49, 4, ubi editur: — exercitum, qui Carthaginiensium legionibus coniunctis — Syphacem devicit, e scriptura codicis P coniunctiis effici debet coniunctus. Vix Livius coniunctis pro adiunctis dixit. (1862.) § 6 ad vinciendam orationem sententiamque satis est geminatis duabus litteris scribere: — traiiceret, **et** Masinissa cum victore exercitu advenit. (1862.) [Nisi fuit: Eo Masinissa —. 1875.] § 7 aut scribendum: Celtiberum iuventutem eadem mercede, **quam** pacta cum Carthaginiensibus erat, imperatores Romani ad se perduxerunt, aut ablativus brevitate aliqua orationis ex ea mercede ortus est, ut audiatur: qua pacta erat se

---

[1]) C. 48, 9 ubi editur: rex Numidas, in P est relata Numidis. Subest aut numerus aut delectos e Numidis aut simile aliquid. (1876.)

stipendia facturos. Nam paciscitur pecunia, qui ea data aliquid emit aut servat; qui pretium aut mercedem accipit, pecuniam. Itaque etiam XXXVI, 32, 1 cum codd. recc. contra Bamb. scribendum est pecuniam. (1865.)

Lib. XXV.

Cap. 1, 1. In ipso libri initio insidet mendum et manifestum et nunc, optimo libro viam monstrante, emendatu facile. Edebatur enim: Dum hæc in Africa — geruntur, Hannibal in agro Tarentino æstatem consumpsit spe per proditionem urbis Tarentinorum potiundæ. Ipsorum interim Sallentinorum ignobiles urbes ad eum defecerunt. Quum appareret, prave ipsos Sallentinos dici, qui ante significati non essent, e (289)
Rubenii coniectura Gronovio probata nuper scriptum est: Ipsorum interim ac Sallentinorum. Sed Tarentinorum nullæ fuerunt urbes præter Tarentum (Sallentinorum fortasse aliquot Tarentinis paruerunt). Præterea, præcedente in agro Tarentino, subiiciendum tantum erat urbis potiundæ, non addendum Tarentinorum. Sed in P scribitur in agro talentino. Scripserat igitur Livius: H. in agro Sallentino æstatem consumpsit, spe — urbis Tarentinorum (cui is ager vicinus erat) potiundæ. Ipsorum interim (apud quos sedebat) Sallentinorum cet. Cap. 8, 12 tridui viam a Tarento Hannibal afuisse dicitur. Paulo post (§ 6) geminata littera d scribendum puto: Quod diutius trahebatur bellum, et variabant secundæ adversæque res — animos hominum cet. Nam quo cum variabant coniungi non videtur posse.[1])

---

[1]) C. 4, 7 pro acta scribendum esse accepta dixi Opusc. Ac. II p. 362 secutusque est Weissenbornius. Itaque nihil addo. [De notato c. 5, 3 et nihil opus est dici.]

Cap. 6, 2 (in oratione militum Cannensium apud Marcellum): *Consulem te, M. Marcelle, in Italiam adissemus, quum primum de nobis — triste S. C. factum est.* In Italiam Weissenbornius eo modo dictum putat, quo dicitur: *Arpos in Apuliam venire* et similia. Atqui tum, quum S. C. de Cannensis exercitus reliquiis in Siciliam mittendis factum est (XXIII, 25, 7), milites illi in Italia erant nec poterant *in Italiam venire* aut aliquem *adire*. Scribendum itaque *in Italia*. (Vid. ad XXIII, 3, 2.)

Cap. 8, 8 (in condicionibus prodendi Hannibali Tarenti): *prodita præsidia Carthaginiensium fore.* Præsidium Carthaginiensium fieri, quum captivi significentur, inusitate dici Weissenb. sensit; manifestius etiam mendi indicium est, quod *præsidia* dicuntur; nam unum erat.
(290) In P est *prodita præsidio*; puto Livium scripsisse: *præbita præsidio*, significantem eas res, quas Tarentini Romano præsidio dare, præbere coacti fuissent, vacuas domos (c. 10, 9) cum supellectili; ita enim Polybius (VIII, 27, 2) convenisse scribit, ut, tradita urbe, Carthaginiensibus liceret τὰς τῶν Ῥωμαίων οἰκίας καὶ καταλύσεις διαρπάζειν. (*Prodita cum præsidio* minus bene dicerentur; neque enim hæ res prodebantur, saltem non magis quam tota urbs.) Sequitur § 10 de Philemeno venandi specie ad Hannibalem commeante: *captumque ferme aliquid aut ab hoste ex præparato adlatum reportando donabat aut præfecto aut custodibus portarum.* Etsi est, ubi gerundii ablativus de modo agendi positus a præsentis temporis participii significatione non ita multum distet (quod genus breviter notavi Gr. Lat. § 416 not. 1), tamen is usus ab hoc loco, in quo nulla modi significatio est, prorsus est alienus (*semper aliquid reportabat et id donabat*). In P scribitur: *reportandos donabat.* Fuerat ergo: *reportans donabat*; litteræ do primum ante s, deinde

suo loco scriptæ sunt. In fine huius capitis (§ 13) scribitur: Romanis quoque — suspecta esse iam segnis mora eius desierat; debebat dici aut: Romanis quoque iam aut: iam desierat. Livius scripserat tam segnis.

Cap. 9, 1, ubi editur in expeditione — aptissimos, Creverius scribi voluerat in expeditionem; in P est inpeditione, supra np scripto ex, e quo videtur effici expeditioni. (1862.) § 4 quod de Hannibale scribitur: et ne ibi quidem nuntiato, quo pergerent, tantum convocatos milites monuit, via cet., imperator militibus suis neque nuntiat, quid faciant, neque enuntiat, tamquam occulte arcana alii surripiens, sed aut palam pronuntiat aut pro imperio denuntiat. Scribendum denuntiato. Mendum ortum est ex quidēdenuntiato. Tum cur excedere ordine (pro ordinem) scribi debeat, dictum est supra ad I, 29, 6 p. 53 huius edit. (1862.) Postremo § 7 geminata vocali scribendum: exercitumque e castris non movisse; vulgo præpositio omittitur contra usum. Longe aliter ostiis Tiberinis profectus dicitur XXVI, 19, 11, quod pro nomine urbis est, aut portis, h. e., per portas, ruere. (1862.) § 10 verba sic interpungenda sunt: editus ex composito ignis ab Hannibale est, refulsitque idem redditum ab Nicone signum, sublata inani tautologia (editus est refulsitque).

Cap. 10, 5: Ubi illuxit, et Romanis Punica et Gallica arma cognita tum dubitationem exemerunt, et Græci — captam urbem senserunt. Frustra particulæ tum Weissenbornius, ipse dubitans, colorem quærit; ne Græce quidem hoc loco aut εἶτα aut, quod propius est, οὕτως poni poterat, quod nulla est in participio condicionis aliquando effectæ significatio. Natum videtur tum ex tandem, quod præcedens ta obscuraverit.

Cap. 11, 6: Inde et opus nullo prohibente fieri coeptum. Nihil est, quo referatur et, etiamsi pro etiam

(291) accipias; neque addi et in proximo orationis membro (et fossa ingens) potest; hæc enim partium operis descriptio ex æquo (et — et) generali operis significationi copulari nequit. Tollendum est et natum ex extrema littera vocis inde (vid. ad XXVI, 40, 17).[1] Aliquanto infra (§ 17), etsi, quæ via a portu ad mare transmissa est, eadem plerumque iure in portum a mari transmissa (vel potius ad portum) dici potest, nemo tamen facile ita appellat, quum agitur de opportunitate naves ea via e portu in mare trahendi. Itaque quum in P ceterisque fere codicibus scribatur: quæ in portu — ad mare, quumque apud Polybium (VIII, 36) sit: φέρουσαν ἐκ τοῦ λιμένος εἰς τὴν ἔξω θάλατταν, recte Sigonius scribi voluit: quæ e (is quidem ex) portu — ad mare. Quum e post quæ excidisset, additum est in.

Cap. 12, 4: Ex huius Marcii (vatis) duobus carminibus alterius post rem actam editi cum rato auctoritas eventu alteri quoque, cuius nondum tempus venerat, adferebat fidem. Neque auctoritas cum eventu recte pro auctoritate eventu confirmata ponitur neque ratus eventus ullo exemplo ex minima parte simili dicitur (auctoritas alicuius rata esse et haberi potest), ipseque verborum ordo suspicionem mendi facit. Ex cumrato auctoritas eventu effici videtur: corroborata auctoritas eventu (aut confirmata). [Confirmata iam Freundius; probabilius etiam Ussingius comprobata. Pro actam quoniam in P est eacta, scribendum videtur factam. 1862.]

Cap. 13, 10 (de Hannonis castris, in quæ duo millia plaustrorum et incondita turba hominum venerant ad fru-

---

[1] § 10 omissis aliquot litteris natum est monstrum locutionis: isque finis Hannibali fuit — arcem oppugnare. — Longe aliud est: labor est facere, hoc est difficile, aliud: is finis mihi est facere. Multo pravius comparatur illud: edendi finis est desideria naturæ restinguere, ubi nihil potuit nisi restinguere dici, restinguendi vitiosissimum esset.

mentum Capuam devehendum): castrorumque formam et militarem ordinem immixtis agrestibus iis externis sublatum. Iis si ad castra refertur, ut concedamus, agrestes recte castris immisceri dici, saltem et (292) incommode abundat et cum magna ambiguitate inter ablativos pravo loco interponitur; debebat certe dici: immixtis iis agrestibus externis; quis enim dicat: immiscentur agrestes castris externi? Si agrestes eos externos intellegas, aut hos aut illos dici debuisse sentias et alio ordine verba poni. Sed quod Weissenbornio externis inaniter additum videtur, valde ad rem appositum id adiectivum esse intellegetur, si sic scripserimus: immixtis agrestibus **et** iis externis. Solvunt ordinem militarem castrorum immixti (militibus) agrestes iique externi et alienigenæ (quod in Punicis castris Campani erant), quibuscum nullum est sermonis commercium, nullus imperii admonitionisve intellectus.

Cap. 14, 4 (de oppugnatione castrorum Hannonis): Proxime portæ hostium erat cohors Peligna, cuius præfectus Vibius Accaus arreptum vexillum trans vallum hostium traiecit. Adiectivum propius Livius cum dativo coniunxit (propius vero), proxime in iis, quæ exstant, nusquam. Porta omnino prave commemoratur, quoniam et ante (§ 1) Livius Romanos per vallum fossasque irrumpere in animo habuisse, non per portam, significavit et id nunc, quum Vibius milites signo trans vallum traiecto incitasset, factum narrat (§ 5). Senserat hæc mendi indicia Weissenbornius; Gronovium tantum casus non rectus offenderat. Scribendum videtur: Proxima **forte hosti** erat cohors Peligna. Error ortus ex portæ (porte) pro forte scripto, cui deinde accommodatum est hostium; (hostium errore pro hosti aut hostibus scriptum demonstravi IX, 37, 3 et X, 40, 12); nisi quis hostium huc ex sequentibus (vallum hostium) tractum suspicari ma-

vult. [Cfr. X, 33, 1: cohortes —, quæ proximæ forte erant.] Sub finem capitis (§ 12) non recte deiecta hostium castra dici mihi videntur, quæ neque ipsa eminebant (quemadmodum columna deiici dicitur) neque ex alto et eminenti loco in inferiorem detrusa sunt, sed vastata (igni, ut opinor, iniecto); potuitque deiectis facile oriri ex
(293) deletis. Deleta castra, quæ igni consumpta sunt, Livius dixit XXX, 6, 6. Deiecta pro deleta (urbs) in cod. Bambergensi scribitur XXXI, 29, 11.

Cap. 15, 20: Ceterum (Fulvius et Claudius consules), ne Beneventum sine præsidio esset et ut ad subita belli, si Hannibal, quod facturum haud dubitabant, ad opem ferendam sociis Capuam venisset, equites vim sustinere possent, Ti. Gracchum ex Lucanis cum equitatu ac levi armatura Beneventum venire iubent. Non tam id consules prospexisse opinor, ut equites (sui, quod dure abest) vim sustinere possent (quod ipsum nimis infinite sine genetivo dicitur), quam ut ipsi omnino equitatus Punici, quo maxime Hannibal superior erat, vim sustinerent, et ideo Gracchum cum equitatu et levi armatura arcessivisse. Itaque suspicor pæne Livium scripsisse: equitis (equitum) vim sustinere possent. Ceterum parum accurate hæc componuntur: et ut ad subita belli — equitis (sive equites) vim sustinere possent; multo rectius futurum erat: et ad subita belli, ut, si cet., primum universo consilio, deinde præcipua parte indicata.

Cap. 16, 3 (ubi de extis a serpentibus adesis agitur): atque intentius exta reservarentur. Non agebatur de reservandis ad alium usum extis, sed de servandis et custodiendis. Itaque scribendum est servarentur; — nisi forte ex confusa codicis P scriptura extareseresservarentur effici debet extorum seriæ servarentur. (1862 et 1876.) § 8 de Flavo Lucano cum Magone insidias Ti.

Graccho struente in codice P sic scribitur, ceteris, ut quisque minime corruptus est, proxime accedentibus: Deducit (Flavus) Poenum in locum paucis Gracchum adducturumamago ibi pedites equitesque armareset capere eas latebræ ubi ingentem numerum occuleret. In horum verborum prima parte non mutandum cum Gronovio in locum, sed intellegendum, hic quoque, ut sæpe in his libris, litteras aliquot ob similitudinem excidisse; scribendum est enim: in locum, **quo cum** paucis Gracchum adducturum ait. (Gronovius ait ducturum, neglecto **a**, quod in codice ante Mago scribitur.) In (294)
reliquis neque Gronovio neque Weissenbornio coniectura feliciter successit, nisi quod Gronovius recte animadvertit, orationem ab infinita forma transire in coniunctivum eius generis, quo iubentis oratio oblique refertur. Hoc posito tenendum deinde est, iussum esse Magonem non pedites equitesque armare (quasi arma non habeant), neque capere latebras aliquas eiusmodi, ubi magnum numerum occulere posset (utendum enim erat latebris eius loci, in quem Flavus Gracchum adducturum se dixerat), sed tantum milites illis latebris occulere; itaque hæc efficitur orationis forma: Mago ibi pedites equitesque — occuleret. Accusativus igitur ille ingentem numerum alio pertinet. Sic perficitur totius loci hæc emendatio: Mago ibi pedites equitesque armatos (et capere eas latebras ingentem numerum) occuleret, hoc est recta oratione: Tu, Mago, hic pedites equitesque armatos (et capiunt hæ latebræ ingentem numerum) occule. Aptissime ingentis numeri mentio, quæ in ipso præcepto incommoda est, in interpositam sententiam sic includitur, ut ostendatur, locum multitudinis ad rem perficiendam idoneæ capacem esse. Armati occultandi esse milites dicuntur, ut XXVII, 48, 3 instructi armatique venisse. Non animadversa parenthesi, additum est ubi, ut referretur ad ibi initio positum. Quum, confusa omni loci forma, scriptum

esset: armato set capere, licenter factum armare, ut simile esset ei, quod sequeretur, capere (ut illa, quæ posui p. 207, ut magis uere pro mature XXII, 34, 11, al.).[1]) Sed plura supersunt in hoc capite corrigenda (ut præteream foedum mendum: ad quam perficiendum, quod invectum nuper in § 10 explosi in grammaticæ Latinæ
(295) editionis tertiæ Germanicæ præfatione p. XI). Nam primum § 13 (in reddenda Flavi apud Gracchum oratione) sic scribitur: ceterum ab ipso Graccho eadem hæc audire malle eos (Lucanorum prætores dicit) præsentisque contingere dextram; id pignus fidei secum ferre. Si hoc ferre a malle pendere volumus, necessario addendum est et (et id pignus); alioquin hoc ex æquo adiungitur superiori (malunt; — secum ferunt), sine ulla sententia. Verum perinepte, qui alicuius dextram attigerunt, id pignus secum ferre dicuntur; nam nobiscum ferimus ea sola pignora, quæ in manum tradi possunt. Ni fallor, Livius scripserat: id pignus fidei secum **fore**. (Fere pro fore P XXVI, 32, 6.) [Initio paragraphi, ubi edebatur: hæc ab se dicta, e vestigiis P: absesindicta efficitur ab se suis dicta, saltem aptius quam sic dicta. 1872.] Tum extremo capite (§ 25 — nam de præcipitat in § 15 restituendo dixi ad VII, 6, 9 p. 143 —), ubi Livius, ad finem perducta narratione de Graccho per insidias interfecto, varie de morte Gracchi tra-

f

ditum esse exponit, sic scribitur: Hæc quaera (sic P; M Hæc fera, alii Hæc sera, edd. superiores Hæc vera, Weiss. Hæc fere) fama est: Gracchus in Lucanis ad campos, qui Veteres vocantur, periit. (Cap. 17.)

---

[1]) Non poterat infinite dici: deducit in locum, non addito ad definiendum relativo. Suadeo Magoni capere Livius non magis dixisse videtur quam: rogo Magonem facere. Tacitus utrumqué dixit. [Sed tamen permitto facere XXIV, 16, 17.]

Sunt, qui in agro Beneventano prope Calorem fluvium ostendant (scr. contendant cum aliis) — interfectum; sunt, qui — ab — turmis Numidarum circumventum scribant. Adeo nec locus nec ratio mortis in viro tam claro et insigni constat. Manifestum est, Livium neque in tanta varietate sententiarum, quum ipse neget quidquam constare, ipsam varietatis expositionem tam confidenter orsum esse: Hæc vera fama est, neque, si dubitanter scripsit (Hæc fere fama est), addidisse absolute tamquam de re certissima: Gracchus — periit; dicendum erat: Hæc fere fama est, Gracchum — perisse; quamquam ne hæc quidem oratio recte cohæreret; nam hæc fama pertinere debet ad superiorem rei actæ narrationem; illa: Gracchus — periit de loco cædis adduntur, de quo nihil dictum est, tantum sic narra- (296)
tum, ut in Lucanis cæsum Gracchum appareret. Omnia apta et recta erunt, ex pravo q (quaera) duabus litteris effectis: Hæc si vera fama est, Gracchus in Lucanis ad campos, qui Veteres vocantur, periit. Sunt, qui in agro Beneventano·cet. Quoniam et in modo et occasione cædis et in loco variabatur, Livius ea, quam ipse secutus sit, narratione locum rei gestæ adsignari dicit in Lucania campos Veteres; alios et locum alium et aliam cædis rationem tradere. [Iam Cobetus Nov. Lect. p. 186: Si hæc vera fama est —. § 22 notavi particulam et prorsus prave præpositam causæ, cur iaculis maxime Romani transfixi sint, declarationi. 1862.]

Cap. 19, 13 (de M. Centenio): Data — octo millia militum, —; et ipse aliquantum voluntariorum itinere in agris concivit. Scribendum esse (ut in uno et altero recentiore codice apud Drak. scribitur) in itinere, recte Weissenbornius intellexit; verum in itinere in agris concivit inelegantissime dicitur nec omnino in agris milites a duce celeriter transeunte concientur. Rectum erit: in itinere ex agris concivit. Excidit ex

post e, tum in additum. Eodem capite [§ 14, ubi scribitur: haud dubia res est, necessario requiritur erat. 1862. Deinde] § 15 (de pugna, qua Centenius ab Hannibale victus cum exercitu interiit) scribitur in P: Pugnatum tamen, ut in nulla pari re, duas amplius horas, concitata et, donec dux stetitsset Romanam aciem. Edebatur: concitata et, donec dux stetisset, Romana acie, vitio in particula et verbique modo manifesto. Itaque Weissenbornius Sigonii Alschefskiique coniecturas secutus scripsit: concitata et, donec dux stetit, invicta Romana acie. Sed ipse intellexit, minime apte concitatam fuisse Romanam aciem dici; accedit indicium codicis in stetitsset. Requiritur monstraturque huiusmodi orationis forma: sustentante (concitante?), donec dux stetit, se Romana acie. (Ceterum scrupulus in animo hæret de ut particula; recte diceretur: ut in nulla pari re, non infeliciter similiterve, particula modulum rei æstimandæ significante; ad duas amplius horas inepta hæc significatio est.)[1])

Cap. 21, 7 præterquam quod cum veteribus editionibus scribendum est: quacumque impetum fecissent hostes, perrupturos (pro: fecisset hostis), quoniam Livius in tam brevi et perspicua oratione numerum variare non potuit, apparet, hæc verba: nihil, quod salutare esset, non modo ad animum, sed ne ad aures quidem admittebat longe minus commode referri ad Fulvium ipsum nihil boni sperantem, sed impetui militum cedentem quam ad milites, quorum libido et temeritas reprehenditur. Itaque sine dubio scribendum est: admittebant. (1862.)

---

[1]) Cap. 20, 5 (ut tanto discrimine) non solum requiritur in, sed ut (ortum ex sequenti t) a loci sententia alienum est, in qua nihil certo fine circumscribitur.

Cap. 22, 4, ubi editur: ut conquisitio volonum fieret iique ad signa reducerentur, quum in P pro fieret iique sit fiertique, Forchhammer intellexit scribendum esse: fieret **repertique**. Oculus in er aberravit. (1862.) § 8: Ita tria prætoria circa Capuam erecta, (297) tres [et] exercitus diversis partibus opus adgressi cet. Notavi particulam pravam, si pro etiam accipias, praviorem, si tres et pro et tres a Livio in prosa oratione positum putes. Potest tamen transpositum esse et (et tres). [§ 11, ubi in P est: suasque res secuinferret, efficiendum erat secum ferrent, non secum inde ferrent, pro edita scriptura secum auferrent. Ex **m** natum **in**, tum lineola addita est (secum in). 1862.]

Cap. 24, 1, ubi editur: Iam mille armatorum ceperant partem, iam Heusinger intellexit dici debuisse, cuius rei partem cepissent armati; apparet significari muri partem eumque genetivum addendum esse post armatorum (rum muri). (1862.)

Cap. 26, 12: Multo tamen vis maior pestis Poenorum castra quam Romana diu circumsedendo Syracusas cælo aquisque adsuerant magis. Excidisse verbum apparet; supplenda oratio in hunc modum videtur: — Poenorum castra quam Romana **corripuerat**; **nam** diu circumsedendo cet. Aberravit oculus a na (in Romana) ad nam. In Gronovii supplemento unum verbum incommode parenthesi a reliqua sententia divellitur. [§ 10 in hac verborum coniunctione: — non modo lacrimis iustoque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem aut sepelirent prorsus contra usum omittitur negatio ante prosequerentur. § 14 particula et ante Carthaginienses addita tollit manifestam notationem contrariæ Siculorum et Carthaginiensium fortunæ. 1862.]

Cap. 28, 6 (de legatis Siculorum Syracusanos hortantibus, ut se Romanis dederent): multitudine ad contio-

nem vocata inopiamque, quæ ipsi inter se fremere occulti soliti erant, conquesti, quamquam tot mala urgerent, negarunt fortunam accusandam cet. Sic P; in aliis codicibus dicitur esse inopiamque qua aut quam; vulgo edebatur: inopiamque, qua, ablativo inepto; Weissenbornius **iniurias** inopiamque, quæ scripsit. Scribendum erat: inopiam quæque ipsi inter se fr. occulte (non occulti) soliti erant, conquesti cet. Quæque et quequæ in codicum, etiam P, scriptura nihil reapse differunt. (XXVI, 12, 15 P famesquæ que, 19, 10 quequæ a Puteolis, 22, 4 centuriamquæq. Contra P in ceteris et in edd. erratum est XXVII, 13, 11.)
(298) Extremo capite (§ 9) lacuna sic fere explenda est: si simul liberatas ab impotentibus tyrannis **Syracusas esse et applicare se Romanis** apparuisset.[1])

Cap. 31, 7 (in Marcelli ad Syracusanos deditos oratione): Sibi omnium laborum periculorumque — tam diu exhaustorum nequaquam tantum fructum esse, quod capere Syracusas potuisset. Nullo modo tantum absolute pro satis magno accipi potest (quomodo Weissenbornius enarrare conatur); neque hæc operæ frustra sumptæ conquestio Marcelli personæ aut tempori convenit. Exciderunt verba aliquot, quum in hanc fere sententiam

---

[1]) [Cap. 29, 6, etsi non raro Livius ea implicatione sententiarum relativarum et casus pronominis ad priorem sententiam accommodatione, de qua gramm. Lat. § 445 exposui, utitur, tamen hæc orationis forma: posteris quoque eam (urbem) spectaculo esse, quo quisquis terra, quisquis mari venerit, nunc nostra — tropæa, nunc tua — ostendat, in qua e quo adverbio ad venerit accommodato eruendum est subiectum verbi ostendat, (quæ, quisquis eo cet.), nimis dura olim mihi videbatur scripsique: quæ, quisquis cet. Nunc (1876) mallem retentum, quod traditum erat. (Minus recte ab aliis quo enarratur.) Proxima incolumesque — tradas sic Livius adiungit, quasi supra post quam verbum addiderit, sinas vel iubeas.] Cap. 30, 11 nunc editur, quemadmodum in Opusc. II p. 362 scribendum esse dixeram.

scriptum esset: nequaquam tantum fructum esse, quod capere Syracusas **potuerit, quantum, si servare** potuisset. Livius ubique Marcellum inducit clementer loquentem; re quidem ipsa satis crudeliter in victos consuluit. In proximis verbis (§ 8) non potest vera esse hæc copulatio: quæstor ad Nasum et accipiendam pecuniam regiam custodiendamque missus, nec ad Nasum mitti de parte urbis, quam quis ingreditur, Latine dicitur. Scribendum videtur: Quæstor Nasum ad accipiendam pecuniam cet. Paulo post (§ 11) scribitur: Hoc maxime modo Syracusæ captæ, in quibus prædæ tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset, cum qua viribus æquis certabatur. Et perobscure dicitur tum (illo ipso tempore) et inutiliter adhærent illa: cum qua viribus æquis certabatur, tempore iam significato. Aperta erit sententia aptaque oratio, sublato additamento: quantum vix capta Carthagine tum fuisset, cum (quum) viribus æquis certabatur, hoc est: si illo tempore, quum etiam tum viribus æquis bellum gerebat stabatque opibus, capta esset, non postea, quum fracta iam et multis cladibus tributisque exhausta in Romanorum potestatem venit.

Cap. 32, 3 (postquam de P. et Cn. Scipionum consiliis (299) belli in Hispania finiendi dictum est): et satis ad id virium credebant accessisse viginti millia Celtiberorum ea hieme ad arma excita. Tum tres exercitus erant. Hasdrubal Gisgonis filius cet. Inepta est in transitu ad alteram partem (Poenos) temporis particula (tum). Itaque in vulgaribus editionibus pro excita tum scribitur excitata, verbo non recto. Sed præterea manifestissimum est, sic hoc dici: tres exercitus erant (sive: tum tres ex. er.), ut non possit nisi ad Romanorum, de quibus hactenus dictum est, distributionem copiarum declarandam (perbreviter quidem et abrupte) pertinere. Et tamen subito obiiciuntur Hasdrubal uterque et Mago.

Apparet necessario transeuntis ad Poenorum belli apparatum describendum orationis notam aliquam desiderari. Ea latet in illo tum; scribendum est enim: — ea hieme ad arma excita. **Hostium** tres exercitus erant; Hasdrubal cet.

Cap. 34, 9 et 10 (de pugna, in qua P. Scipio occidit): Ceterum et equites Numidæ repente, quos fefellisse se dux ratus erat, ab lateribus circumfusi magnum terrorem intulere, **et**, contracto adversus Numidas certamine novo, tertius insuper advenit hostis cet. Posui locum, quemadmodum scribendus est, addito, quod post **e** (intulere, vid. ad XXI, 37, 5 et alibi) excidit, et, sine quo et pendet superior particula (ceterum et) et tota oratio dissoluta est. Anacoluthon in sententiis prorsus ad institutam ab initio formam facile decurrentibus nihil habet loci. [Sic iam Creverius.]

Cap. 35, 8 et 9 (de Cn. Scipione et eius exercitu frustra se Poenis subtrahére conantibus): Luce ut senserunt (Poeni) profectos hostes, præmissis Numidis quam poterant maxime citato agmine sequi coeperunt. Ante noctem adsecuti Numidæ nunc ab tergo, nunc in latera incursantes. Consistere coeperunt ac tutari agmen. Quantum possent tamen,
(300) tuto ut simul pugnarent procederentque, Scipio hortabatur, priusquam pedestres copiæ adsequerentur. Male cohæret oratio in subito illo ad aliud subiectum, quod non nominatur (ad Romanos), transitu: consistere coeperunt. (Omitto offensionem in eodem duarum sententiarum tam vicinarum exitu: sequi coeperunt, consistere coeperunt.) Sed gravius est aliud vitium; participium enim incursantes sic adhæret verbo adsecuti sunt, ut Numidæ dicantur, dum in Romanorum tergum et latera incursent, eos adsecuti esse, quod ridiculum est. Nam quum Romanos, qui aliquantum spatii

præceperant, adsecuti essent, tum demum incursare in eos coeperunt. Itaque incursantes cum alio verbo coniungendum est, quo effectus incursationis significetur. Id verbum nanciscemur omniaque apta nexaque efficiemus una littera mutata: Ante noctem adsecuti (Romanos) Numidæ, nunc ab tergo nunc in latera incursantes consistere **coëgerunt** ac tutari agmen. Coepit (cepit) pro coëgit in P et plerisque aliis scriptum est etiam XXIX, 29, 9, sed mature correctum. Restat, in quo iam Creverius nuperque Weissenbornius hæserunt, illud tuto ut simul pugnarent, ubi non solum supervacaneum est tuto (eo etiam loco positum, quasi in eo pondus sententiæ singulare sit), sed perversissimum; neque enim in summo periculo milites, ut tuto pugnent, cohortandi sunt; quamquam quid sit tuto pugnare (de singulis militibus), prorsus nescio. Sed salva res est. Scribendum enim lenissima mutatione: Quantum possent tamen **niti**, ut simul pugnarent procederentque, Scipio hortabatur. Iam aptissimum etiam illud ad nitendi verbum: quantum possent. Syllaba ni ob præcedens **n** hausta, ex tiut geminando ortum tuto ut; quamquam etiam per se ni in tu transire poterat; cfr. c. 20, 5.

Cap. 36, 10 (de Poenis per obiectas a Romanis pro vallo clitellas cum oneribus viam sibi facientibus): ceterum neque transilire nec moliri onera obiecta nec (301) cædere stipatas clitellas ipsisque obrutas sarcinis facile erat traditisdibi cum amoliti obiecta onera armatis dedissent viam, pluribusque idem partibus fieret, capta iam undique castra erant cet. Sic P; ex M traditis ibi adnotatur, ex aliis traditis diu; amoliti omnes. Olim edebant: — facile erat. Tardatis diu quum amolita obiecta cet., oratione non bona (in dativo, in amolita passive posito), sententia nulla; quod enim sequitur: idem fieret, ostendit hic

rationem onera amoliendi indicatam fuisse. Atque hoc sententiæ vitium hæret etiam in ea, quam Weissenbornius a codicum vestigiis longe recedens dubitanter tentavit, correctione (facile erat trepidantibus. Quum amoliti cet.). Ex illis, quæ dixi, vestigiis erui posse videtur ad rem perapte: facile erat. **Trudentes sudibus (Trahentes trudibus)** quum amoliti cet. Sudibus e longinquo trudentes compagem et sæpem clitellarum onerumque laxarunt et amoliti sunt. Sudibus quidem (aut trudibus) in litteris sdibi latere prope certum videtur.

Cap. 37, 11 (de Romanis subito a mærore et querelis ad oppugnata a Poenis castra defendenda conversis): Inde verso repente in iram luctu discurrunt ad arma ac veluti accensi rabie discurrunt ad portas et in hostem neglegenter atque incomposite venientem incurrunt. Quod quidam adscribunt, eiusdem vocis repetitionem a Livio non studiose vitari, nunquam tam foede eandem formam eiusdem verbi interposita coniunctione geminavit (discurrunt — ac — discurrunt), adiecto etiam ex eadem radice simillimi soni verbo (et — incurrunt). Accedit aliud mendi indicium, quod prava gradatione inter discursum ad arma et ad portas interponuntur illa: velut accensi rabie, quæ propius intuenti apparebit ad impetum in hostem pertinere. Sine dubio Livius nihil nisi hæc scripsit: discurrunt ad arma ac v. a. rabie in hostem — incurrunt. Addidit illa discurrunt ad portas et aliquis, qui pleniorem rei ordinem et exitus e castris mentionem desideravit; [aut potius, quum in discursu loci significationem requireret, supra discurrunt ad arma scripsit discurrunt ad portas pro correctione, eaque correctio alio loco inserta est additumque et]. Livius, si portas commemorandas putasset, scripsisset:
(302) discurrunt ad arma et ad portas ac veluti cet. Si quis omissa hoc loco a librario verba et postea alio ordine,

addito discurrunt, inserta putaverit, parum probabili utetur coniectura.[1])

Cap. 40, 2: inde — initium mirandi Græcarum artium opera licentiæque huic sacra profanaque — spoliandi factum est. Neque per se usitate dicitur initium consuetudini (licentiæ) factum esse neque ulla apparet causa variatæ durissime structuræ in hac æqualitate et brevitate orationis. Itaque recte Ussingius vidit huic natum esse semel scripta littera s (huiusacra). (1862.) Sequuntur § 8 hæc: Itaque inclusi ad tempus moenibus Agrigenti dux Poenus Syracusanusque, non consilio Muttinis quam fiducia magis ausi egredi extra muros ad Himeram — posuerunt castra. Apparet, contrariam hanc fiduciam poni superioris temporis timori, in qua significatione mutationis factæ pravum est ad tempus (einstweilen), requiritur ad id tempus. [Sic Creverius.] Non paucis locis in ipso P hæ duæ voces (ad id) coniunctæ inter se nocuerunt, velut XXI, 55, 11, XXII, 4, 2, XXVI, 40, 8, XXVII, 37, 8. (Ad ipsum pro ad id ipsum ne quis putet ferri fortasse posse, recte scribitur

[1]) Cap. 38, 1 recte Iac. Perizonius: subita res et nocturnus terror et iam (pro etiam) non suæ fortunæ consilium (nominativo casu). § 4 mire Weissenb. pervagatum codicis mendum defendens recte dici docet: quonam modo — possem, cogitandum est (pro possim), et in ea re non dubitat uti eiusmodi exemplis, quale hoc est Ciceronis: ut possint eam vitam, quæ tamen (si non pro patria redderetur, alio tempore) esset reddenda naturæ, pro patria reddere. Adiungitur, ut fieri solet, locus unus et alter ex iis, in quibus in oratione obliqua a præteriti temporis verbo suspensa aliqua est inconstantia, tum ex iis, in quibus formæ una vocali distantes possem, possim, posset, possit perpetuo errore permutantur. Itaque etiam proximo libro (XXVI) c. 29, 7 a Weissenb., ceteris sane tacentibus, posset in hac rei fictæ et eius, quæ vere sit, comparatione: si — essent, — futuram fuisse; nunc, ne — posset, quo minus — querantur, — sint, si — intersit, mutare se cet., defenditur ita, ut ad essent (in contrario membro!) accommodatum dicatur. Scribendum sine ulla dubitatione possit. [Sic I. H. Vossius.]

XXIV, 3, 15, XXVI, 24, 1 aliisque locis.) [IV, 43, 4 cod. archet. habuit id tempus pro ad id t.] Paulo ante (§ 6)
(303) admodum suspicor Livium scripsisse: ita socios ad retinendos in fide animos eorum ferendo (pro ferendoque) in tempore cuique auxilium adiit, particulamque propter præcedens gerundivum male additam esse; perincommode enim consilium et ratio instrumentumque consilii exsequendi copulantur. [Idem Rupertio visum erat.]

Cap. 41, 7 quum ederetur: Multa millia hominum cæsa captaque et octo elephanti, Weissenbornius sensit, non apte ex cæsa captaque audiri solum capti. Sed in P scribitur cæsa captaet sine ullo vestigio particulæ que. Apparet excidisse numerum captorum hominum et hanc fuisse orationis formam: Multa millia hominum cæsa, capta (sex?) et octo elephanti. (1862.)

Lib. XXVI.

Cap. 2, 2 (ubi improbatum narratur a senatu, quod L. Marcius militum voluntate proprætoris titulum ipse sibi imposuisset): rem mali exempli esse — sollemne auspicatorum comitiorum in castra — transferri. Neque auspicatus alibi pro adiectivo reperitur neque, si reperiretur, recte comitia auspicata dicerentur, in quibus habendis auspicia capi solerent, neque ea appellatio ad huius loci sententiam quidquam conferret. Itaque iam ante multos annos (Opusc. Acad. II p. 361) scribendum videri dixi: sollemne auspicandorum comitiorum, h. e., captis auspiciis habendorum, quemadmodum sollemne clavi figendi (VII, 3, 8) dicitur et similia. Simile mendum notatum est in libro XXII, 38, 3. Infra in hoc capite (§ 10) oratio in codicibus manca ad hanc formam supplenda est: Quid interfuisse inter Ti. Sempronium **et Cn. Fulvium? Ti. Sempronium**, quum ei servorum exercitus datus esset, brevi effecisse —; Cn. Fulvium Quiritium Romanorum exercitum — servilibus

vitiis imbuisse. Primum universe res significatur, deinde utriusque hominis imperii administratio comparatur; in ea comparatione utraque sententia a nomine hominis incipere debet. (Mox minus eleganter hæc dicuntur: ut nemo — esset, — essent. Fortasse Livius scripserat: ut nemo — sui memor in acie, **set** præsidio suis — essent. 1863.)

Cap. 3, 4 (in defensione Cn. Fulvii): non se inopia commeatus (P commentus) non in loca iniqua incaute deductum, non agmine inexplorato euntem insidiis circumventum (P tantum circum); vi aperta, (304) armis, acie victum. Priora sine interpunctione posui, quia de verborum coniunctione dubitatur, maximeque, quo pertineat ablativus (inopia commeatus) ab utroque participio (deductum et circumventum) interposita negatione separatus. Duæ res, in quibus neglegentia imperatoris reprehendi curaque desiderari potest, negando tolluntur; relinquitur, quæ in imperatoris potestate posita non est, pugnæ apertæ fortuna. Itaque sublata una negatione scribendum est: Non se inopia commeatus in loca iniqua incaute deductum, non agmine inexplorato euntem insidiis circumventum; vi aperta cet. Exercitus in loca iniqua demittendi præcipua causa esse poterat inopia commeatus ex neglegentia ante prospiciendi eiusque undecunque quærendi necessitas. [Sic Doeringius.]

Cap. 4, 3 (de Campanis obsessis et adversus Romanos pugnantibus): Ceterum in multis certaminibus equestria proelia ferme prospera faciebant, pedites superabantur. Minus recte a Campanis, de quorum fortuna pugnandi agitur, oratio transfertur ad ipsos pedites. Una littera non recte geminata detrahenda est: pedite (pedestri copiarum et proelii genere) superabantur. Cfr. XXXIII, 7, 13: pedite inter fini-

timos vincebantur. [Sic Gronovius dubitanter.] (Ibd. § 9—10 Ussingius suspicatur scribendum esse: Inde equitatu quoque superior Romana res fuit, **et** institutum, ut velites in legionibus essent. 1863.)

Cap. 6, 1 (ubi castra Romana ad Capuam ab Hannibale oppugnata narrantur, post commemoratum Navii facinus, qui secundi hastati signum signifero ademptum in hostes intulit): Et M. Atilius legatus primi principis ex eadem legione signum inferri in cohortem Hispanorum coegit. Si inferri ab alio signum Atilius coegisset, non unum, sed omnia legionis signa coegisset inferri, hoc est, iussisset; ineptum est enim ipsum cogendi verbum, nisi verberibus coactum signiferum putamus. Ipsa unius et certi signi mentio ostendit, Atilium Navii facinus imitatum esse Liviumque scripsisse: signum **inferre** in cohortem Hispanorum **coepit**. Utrum ab inferri (in)
(305) pro inferre an a coegit pro coepit scripto error coeperit, non dixerim. (Contrarium mendum, coeperunt pro coegerunt, correxi XXV, 35, 8.) [Sic iam Rupertius.] (§ 2, ubi editur: ibi per stragem iacentium elephantorum atrox edita cædes, recte Ussingius scribi iubet: ibi **super** stragem. Nam cædes hominum per stragem elephantorum edita nihil est. 1863.)

Cap. 9, 6 (de Hannibale ad urbem Romam exercitum ducente): Romam Fregellanus nuntius, diem noctemque itinere continuato, ingentem adtulit terrorem; tumultuosius, quam adlatum erat, cursu hominum adfingentium vana auditis totam urbem concitat (codd. mell. conciliat). Hæc sana non esse, Weissenbornius, qui enarrare conatus est, sensit. Neque nuntius urbem concitat aliorum concursatione, neque pro concursatione cursus dicitur, neque recte nuntius (homo) et res comparantur (quam adlatum erat). Excidit aliquid, quum in hanc ferme formam scriptum fuisset: — adtulit terrorem. Tumultuosius, quam adlatum erat, **propaga-**

tum discursu hominum adfingentium vana auditis totam urbem concitat. [Scriptura, quam Weissenb. secutus est: quam quod adlatum erat, cursus hominum, miram habet orationem. — Omnino neque cursus hominum adfingentium recte dicitur neque is urbem concitat.] (§ 2 admodum probabiliter Ussingius: Sub Casino cet. 1863.)

Cap. 11, 5: Minuere etiam spem eius (Hannibalis) et aliæ, parva magnaque, res; magna illa, quod cet. Prave geminatur in eadem re etiam — et; nimis infinite dicitur aliæ, subiecta illa divisione: parva magnaque. Scribendum: Minuere etiam spem eius II (duæ) aliæ, parva magnaque, res. Quod II scriberetur, aliquoties ex ii (ei) factum duo, exemplis ostendit Drakenborchius ad XXXVI, 43, 11. In XXXVII, 38, 7 pro et aut hi (et tamen per se) in multis (recentioribus) codd. scriptum duo. Hic contrario errore ex II factum ei, et.[1])

Cap. 13, 15. Quod editur: in carcere aut ad palum deligatus, pravam habet diiunctionem unius supplicii. Ex eo, quod in P scribitur: in carcerem aut palum, latet ipsum, quod requiritur: in carcere ad (at) palum. (1863.)

Cap. 14, 6. E scriptura P iussuprocos effici debet, quod quum Weissenbornio in mentem venisset, tamen non tenuit, iussu proconsulum (edd. proconsulis). Quod Flaccus 12, 5 unus nominatur, nihil ad hunc locum valet, ubi Livius aperte § 7 et c. 15, 1 utrumque proconsulem agentem inducit; deinde, ut sæpe, finita narratione c. 16, 1 discrepantiam auctorum significat. (1863.)

---

[1]) Cap. 12, 15 cum Dukero scribendum est: litteræ — Numidis, proposita mercede eam (pro iam, orto ex mercedeam) professis operam, dantur. Iam nihil hic agit; pronomine carere oratio nequit. [De est post fassus in § 17 addendo nihil opus est dici.]

Cap. 15, 3, ubi in P sic scribitur (simillimeque in ceteris): percunctandi etiam æquum esse potestatem fieri patribus, num communicassent (Campani) consilia cum aliquis sociorum Latini nominis muni-
(306) cipiorum et num ope eorum in bello forent adiuti municipiorum adiuti, non muto, quam olim, quum de coloniis Romanis disputavi (Opusc. Acad. I p. 239 not.), posui sententiam, non solum altero loco [ut voluerat iam Creverius], sed utroque tollendum esse municipiorum ortum ex num ope eorum (quemadmodum XXVII, 11, 11 bis scribitur pravum, semel rectum), ut scribatur: cum aliquis sociorum Latini nominis et num ope eorum in bello forent adiuti. Nam quod municipia eiusmodi significari volunt, quæ civitatem sine suffragio habuerint, neque ulla est in horum temporum historia huius generis municipiorum, quæ Livius nusquam omnino a ceteris cogitando scribendove secrevit, separata mentio significatiove tamquam animis studiisque a ceteris seiunctorum (etsi debuerat fortasse Livius de hoc civium genere in Campanorum rebus cogitare), neque ea sociis et Latinis postponi poterant neque id nomen sine particula adiici sociorum Latini nominis receptæ appellationi. Et solos socios nominatos fuisse ostendit, quod sequitur: ut sollicitarentur — sociorum fidelium animi. Livii animo in historia belli Hannibalici nullum inter cives et socios tertium genus hominum interiectum occurrisse, certissimum est.

Cap. 17, 5 sqq. Hasdrubal Hamilcaris filius narratur a C. Nerone in saltu aliquo inclusus promisisse, si inde emissus foret, se exercitum ex Hispania deportaturum. (Sic enim scribendum: inde emissus pro: inde missus.) [Longe aliud est convivium mittere, hoc est dimittere.] Tum sic scribitur (in P et ceteris codd., exceptis paucis recentissimis): Quam rem quum læto animo Romanus accepisset, diem posterum Hannibal colloquio

petivit, ut Romam leges conscriberentur de tradendis arcibus urbium cet. Quod vulgo edebatur, nescio a quo correctore inventum: Romani — conscriberent, manifesto pravum est, quoniam Hasdrubal non solis Romanis (vel potius Neroni) arbitrium leges conscribendi permissurus erat; itaque Weissenbornius tolli Romam voluit, quod unde ortum sit, nemo dixerit. Scribendum erat: ut **coram** leges conscriberentur, hoc est, inter (307)
præsentes. Lib. XXVIII, 17, 8: firmandæ eius fidem nec dare nec accipere nisi cum ipso coram duce Romano; XXXI, 48, 5: ubi coram disceptantes consulem et prætorem audissent. (§ 12 dubito an scripserit Livius: mittit ad Neronem, in posterum diem colloquium differret (vulgo: ad Neronem, qui in posterum cet.). Neque enim nuntius colloquium differt. 1863.)

Cap. 18, 4: Postremum eo decursum est, ut populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet. Prorsus inauditum est, populum comitia habere aut quemquam nisi eum magistratum, qui populum convocatum roget; nulla minima aut in hac aut in cognata contionem habendi appellatione inconstantia est. Populi nomen ortum esse puto ex pro et ad id accommodatum haberet, quum recte scriptum fuisset: — ut proconsuli creando — comitia haberentur. [Quo modo Weissenbornius enarrare conatur, nec comitia habere dicitur nec omnino habere, nisi ubi aliquid ab aliquo efflagitatum eique concessum significatur.] Eodem capite § 10 de animorum habitu post P. Scipionem proconsulem in Hispaniam creatum sic scribitur in codicibus: Ceterum post rem actam — silentium subito ortum et tacita cogitatio, quidnam egissent novi favor plus valuisset quam ratio. Primum qui, ne erraverint, timent, non, quid novi egerint, interrogant, sed quid egerint (Was haben wir denn goth[illegible] in altera negatione

neque num poni potest, quoniam homines suspicantur ita esse, neque annon, quod antiquo loquendi usu nunquam (quemadmodum an) in interrogatione superioribus adnectenda ponitur; etsi ne an quidem h. l. recte poneretur. Relinquitur: tacita cogitatio, quidnam egissent; **nonne** favor plus valuisset quam ratio (ex hac recta interrogandi forma: Quidnam egimus? Nonne — valuit?).

Cap. 22, 7 (in T. Manlii consulatum recusantis ad Cn. Fulvium, qui comitia habebat, oratione): proinde, si videretur, et redire in suffragium Veturiam iuniorum iuberet et meminisset in consulibus creandis belli, quod in Italia sit cet. Non Cn. Fulvius meminisse id debebat, sed qui suffragia ferebant; itaque recte editores ante Aldum meminisse posuerant (redire — et meminisse); librarius hoc verbum male ad iuberet accommodavit. Eo magis apparet, perverse hæc tamquam duo
(308) inter se æqualia distingui et geminato: et redire — et meminisse, quamquam idem erat vitium in hac diiunctione: et redire iuberet et meminisset. Scribendum est: proinde, si videretur **ei**, redire in suffragium — iuberet et meminisse cet. Legitime in hac comiter rogandi iubendique forma dativum addi, apparebit inspicienti II, 56, 12, XXVI, 16, 4, XXXI, 4, 2, XXXIV, 46, 5 multosque alios Livii et Ciceronis locos, qui in lexicis (v. videri) et alibi (velut apud Beckerum Antiqq. Rom. II, 2 p. 444) collecti sunt. Eadem permutatio (est enim pervagata) facta est proximi libri (XXVII) c. 8, 8, ubi scribitur: vetustum ius sacerdotii (C. Valerius flamen Dialis) repetebat; datum id cum toga prætexta et sella curuli et flaminio esse. Vitiose cum sacerdotii ornamentis tertio loco copulatur ipsum sacerdotium; agitur de ipsius sacerdotii iure; scribendum est igitur: datum id cum t. pr. et s. curuli **ei** flaminio esse. (Plura enim erant flaminia.) Neque minus perspicuum est eiusdem libri c. 11, 11 recte Rhenanum scribi voluisse: cui di sortem

legendi dedissent, ei (pro et) ius liberum eosdem dedisse deos. (§ 13: M. Marcellum Claudium — et M. Valerium absentes consules dixerunt. Offendit et inæqualitas in nominibus ponendis et pravus in Marcello nominum ordo. Quum Livius utrumque consulem prænomine et nomine appellasset (M. Claudium et M. Valerium), in altero adscriptum est a lectore aliquo et pravo loco interpositum cognomen, quo in narrando appellari solet. 1863. Conferantur nunc, quæ Lahmeyer exposuit Philolog. vol. XXII p. 469 sqq.)[1])

Cap. 25, 4: His raptim actis (Philippus) — in Thessaliam descendit; ad bellum secum — capessendum incitari posse homines credebat; et relicto ad fauces Thessaliæ Perseo — ipse — duxit. Neque interiecta sic sine particula illa sententia ad bellum cet. ferri potest, etiamsi parenthesis signis claudatur, neque et relicto a superioribus avulsum. P: descen-

---

[1]) Proxime (§ 8), ubi in P est: asserint prope moenia Romana, verum non est arserint. Urbs ardere potest tumultu, moenia non possunt; prope ardere tumultu nihil potest; nam imago tollitur addito prope. Fuitne: quoi (pro quo) — cesserint prope moenia Romana? [Ussingius: quassa sint; Doeringius: concussa sint.] (Cap. 24, 6. In his verbis: restituturum se in antiquam formulam iurisque ac dicionis eorum magnam habent dubitationem particulæ que — ac hoc uno loco et duobus præterea (infra c. 51, 8 et XXXIII, 19, 11) apud Livium sic coniunctæ pro et — et, qua coniunctione superioris quoque ætatis scriptores abstinent, quum præsertim nulla sit causa unius notionis (iuris et dicionis) sic distrahendæ, neque recte eorum coniungi videatur cum formula iuris ac dicionis. Ne Curtius quidem aut Tacitus, si dubium Annalium locum IV, 34 excipias, que — ac sic posuerunt, nisi ubi que pronomini subiungitur (seque ac liberos), quemadmodum alii seque et liberos dicunt. Poetæ (Verg. Georg. III, 434 et Ovid. Metam. IV, 429) sua libertate utuntur. Non audeo tamen verbum addere, ut sit: iurisque ac dicionis eorum facturum. (Suet. Vespas. 12: — neque dissimulavit unquam ac frequenter præ se tulit pro eo, quod alibi scribitur neque — et.) 1862 et 1876.)

ditmead, unde effici videtur: — descendit (**etenim** — credebat) et relicto cet. (1863.) Eodem capite § 8 leguntur hæc (de Philippo Macedone et Mædis in regnum eius incurrere, quum alibi occupatus esset, solitis): Frangendas igitur vastare agros et urbem Iamphorynam, caput arcemque Mædicæ, oppugnare coepit. Sic, exceptis levissimis erroribus in extremis verbis (velut argemque), P ceterique codices paulo meliores. Quod nuper positum est (et iam apud Drakenborchium e tribus codicibus recentibus adnotatur): Ad frangendos igitur, vix hic dici omisso pronomine (eos) potuit, quoniam gens ea
(309) præcessit. Fuisse videtur aut: Ad frangendas igitur **vires** vastare agros aut potius: Frangendas igitur **vires ratus** vastare agros cet. Deinde, postquam § 9 Livius Scopam narravit, armata omni Ætolorum iuventute, bellum inferre Acarnaniæ parasse, sequuntur § 10 in codicibus (PM Cant., Lov. 1, 3, 5, aliis) hæc: Adversus quod se Acarnanum gens, et viribus impar (Weiss. ex P adfert imparem) et iam Oeniadas Nasumque amissa cernens Romanaque insuper arma ingruere, ira magis instruit quam consilio bellum. Superiores fecerant: Adversus quod Acarnanum gens, Weiss.: Adversus quod se Acarnanum gens — imparem — cernens cet. In utraque scriptura duo sunt vitiose dicta: impar adversus bellum et: adversus quod bellum — instruit bellum. Livius scripserat: Adversus **quos** (Ætolos) Acarnanum gens, et viribus impar etiam — cernens —, instruit — bellum. Quodse ortum ex errore (quod) et correctione (**s**), vocali prave addita. [Sic ed. Frob. 1531.] Paulo post (§ 13), ubi in P est: adliberentqhumatis titulum, in editis adhiberentque, quod de titulo dici nequit, subesse videtur: adderentque. [Adfigerentque. 1863.]

Cap. 26, 6: crimina edita ficta ab inimicis vulgare. Sic codices, intolerabili asyndeto; itaque vulgo editur edita fictaque; sed vel sic offendit participiorum

ordo neque edere crimina pro eo, quod est subiicere, de monentibus alios et subornantibus usitate dici videtur. Itaque Ussingius edita tollendum putavit. Miror tamen, qui in mentem venerit cuiquam hoc ad ficta adscribere, ac potius, nisi aliud latet, ficta eiiciendum puto et edita ab inimicis tamen accipiendum de criminibus, quæ inimici a se inventa indicaverint testibus. (1876.) Contra cap. 27, 11 (Flaccus sibi privatam simultatem cum Campanis negare ullam esse; publicas inimicitias hostiles esse et futuras cet.) prorsus assentior Ussingio damnanti hostiles, cui vulgo contra codices præponitur et. Nullæ sunt hostiles inimicitiæ nec Fulvius rem auget, ut hostili modo se inimicitias exercere dicat. (1863.)

Cap. 27, 16 (de Valerio Lævino consule ad urbem accedente Campanis ad deprecandam Fulvii Flacci severitatem circumfusis et Siculis, qui Romam questum de Marcello venerant, obviam egressis): Hac circumfusus multitudine simul Siculis obviam egressis seculisque Romam præbuit clarissimarum urbium excidio ac celeberrimis viris victos bello accusatores in urbem adducentis. In seculisque, ex quo Gronovius Ætolisque effecerat, cuius gentis alienissima ab hac re mentio est, Weissenbornius recte vidit nihil aliud latere nisi secutisque (quod ipse in exempli mei margine a. 1835 adnotatum video). Sed minus feliciter post Romam, quod vitiose abundat, præsertim proxime præcedentibus illis: sequi se Romam, addidit rumorem; nam præbere rumorem adducentis dure dicitur neque de rumore agitur, sed de obiecta oculis et animis specie, cuius significatio (310)
in illo ipso nomine latet. Neque, quidquid tentatur, accusatores excidio (tamquam reo) adduci recte dicuntur, nedum excidio ac viris, neque illi homines excidium accusaturi erant, sed victi victorum sævitiam. Hoc vitium sententiæ removebitur sublata particula ac, quæ ex o (a) et c geminatis orta est. Scribendum est enim ita: Hac cir-

cumfusus multitudine, simul Siculis obviam egressis secutisque, **formam** præbuit clarissimarum urbium excidio celeberrimis viris victos bello accusatores in urbem adducentis (hoc est, speciem eam præbuit, quasi viris Capuæ et Syracusarum excidio nobilitatis victos bello accusatores adduceret); cfr. XLV, 20, 5: lugentium Persei casum præbere speciem et XXVII, 2, 5. Adiectivum, quod est celeber, sane primus Livius ex iis, quorum scripta exstant, de homine posuit hic et VII, 21, 6, nec tamen absolute, sed addito eius rei, ob quam quis celebratur, nomine. Secuti sunt Velleius, Curtius, Tacitus, alii. (Celeberrimum nomen legitur apud Livium IV, 54, 8 et XXVII, 40, 6.) Addam breviter, Latinum non esse, quod supra in hoc capite (§ 6) editur: qui, quorum opera id conflatum incendium, profiteretur, omisso esset in interrogatione pendenti. Exciderunt in P multa alia non magis eminente causa. [In brevi et simplici sententia et aperte a ceteris separata, non, ut hic, reliquis interposita verbum omitti potest; v. I, 59, 2, al.][1])

Cap. 28, 3 e P scribendum: Hæc de se deque provincia, cui præfuerat, consul; tum de provinciis

---

[1]) Ne illud quidem sine suspicione legendum, quod in § 12 scribitur: ideo se moenibus inclusos tenere eos, quia, si qui evasissent aliqua, velut feras bestias per agros vagari cet., infinita sententia subiecta particulæ causali, cuius generis nullum opinor præter hoc apud bonos scriptores exemplum esse; alius enim generis est infinita forma retenta in sententiis reapse ex æquo positis (quemadmodum — ita; si non —, at tamen), ipsum etiam illud (IV, 51, 4): quum interim (hoc est: et interim) — exerceri. Vereor, ne quia aliena manus addiderit propter ideo, quod ad superiora apte referri potest, a Livioque scriptum fuerit: ideo se m. incluos tenere eos; si qui evasissent aliqua, — vagari cet. Saltem notandum locum putavi. [Ne Senecam quidem Ep. 97, 15 scripsisse: quia vetari metus non posse ostendit metus, neque enim pluralis numeri accusativus ibi ferri potest; scripsit possit. Relinquitur unus apud Columellam locus I, 3, 9: quoniam — adlidi dominum.]

communis relatio fuit. Vulgo editur: — præfuerat; consulum communis relatio fuit. Et desideratur significatio eius, a quo oratio deinde transfertur ad alia, et consulum pravo loco ponitur. (1863.)

Cap. 29, 3: Circumibant enim (Siculi legati) senatorum domos cum veste sordida, adfirmantes se non modo suam quisque patriam, sed totam Siciliam re- (311)
licturos cet. Pro quisque quum Valla, Gronovius, Creverius quemque scribi voluissent, exorti nuper sunt, qui nominativo defensionem pararent ex locis prorsus dissimilibus, in quibus pronomen (aut participium) sententia et loco ad gerundium aut ablativos absolutos pertinens tamen, quoniam his grammatice adplicari nequit, casu accommodatur ad id, ad quod unum potest, sententiæ finitæ subiectum (ut IV, 31, 2: Tendendo ad sua quisque consilia — aperuerunt et IV, 44, 10: causa ipse pro se dicta — damnatur, hoc est: quum causam ipse pro se dixisset), [de quo toto genere, quod in Gram. Lat. § 428 not. 4 brevissime significaveram, nunc uberrime exposui in volumine commentationum philologicarum Germanice edito a. 1875 p. 365 sqq.]; hic quisque habet, quo necessario referatur, se, tribus ante verbis præcedens. Nam quod quidam quisque pro indeclinabili ablativis absolutis interponi posse putarunt (debebant ipse adiungere), apparet, quam perspicuam nominativi rationem in iis, quos dixi, locis non intellexerint; itaque relinquitur, quo mirabilis illa doctrina nitatur, unus ille locus, e quo nata et ad quem exposita est (traducta etiam a Zumptio in grammaticam), Sallustii in Iug. 18, 3, ubi aut quisque pro quibusque positum ablativo casu accipiendum aut quibusque scribendum esse, vidissent enarratores, si attendissent, non singulos ibi significari homines de imperio contendentes, sed gentes et populos, ex quibus compositus Herculis exercitus fuisset; itaque plurali numero sibi quique imperium petisse dicuntur. (Iustini locus XXIX, 1, 8 in melioribus codicibus aliter scribitur apud Ieepium.) At-

que eadem prorsus est Liviani, in quo versamur, loci ratio; neque enim singuli singularum urbium legati (etsi plures singularum urbium fortasse fuerunt) se solos abituros ex Sicilia dicebant, sed civium suorum verbis loquebantur, ut se, quemadmodum sæpissime apud Livium in legatorum oratione reddenda, ad cives referatur (nos, id est, ego et cives mei). (Eodem modo XXX, 42, 3 se in legatorum Macedonum oratione ad Philippum refertur.) Itaque ad
(312) hos singularum urbium cives omnes Livius pluralem pronominis distributivi numerum accommodavit: adfirmantes se non modo suam **quosque** patriam — relicturos. Eodem capite § 10 (de Hannibale et Marcello) in P scribitur: ex quo primus post adversæ pugnæ gloriam ceperat; error ortus videtur ex vocabulo adversus bis posito in hunc fere modum: ex quo primus post **adversissimas haud** adversæ pugnæ gloriam ceperat.

Cap. 30, 10. Ad hunc locum, in quo Syracusani de miseria sua queruntur, intellegendum emendandumque duo tenenda sunt, primum, quum post tecta exhausta (direptione) commemoretur tamquam maius, bona quoque multis adempta esse, id necessario pertinere ad prædiorum (fundorum et domorum) publicationem, deinde solum nudum non posse appellari (appositione) reliquias direptæ fortunæ, quoniam direptæ fortunæ nomine continentur tantummodo res moventes, quæ solæ diripi asportarique possunt. Itaque una addita præpositione in inter ne et nudo (en) scribendum est: ita ut ne **in** nudo quidem solo reliquiis direptæ fortunæ alere sese ac suos possent. Hoc queruntur Syracusani, iis, quibus bona adempta sint, ne nudum quidem solum (direptis, quibus instructum et exornatum fuerit) restare, in quo iis, quæ direptio fortunæ reliquerit, alere se possint. (§ 12 quoniam hæc verba duæ captæ hoc anno urbes — habeant neque a Marcello iubente neque cum ironia dici apparet, sed partem continere iniquæ condicionis, quæ imperatoribus

subeunda sit, probabiliter Ussingius ante duæ **et** addi iubet. 1863.)

Cap. 31, 2 (in Marcelli contra Syracusanos oratione): sed non, quid ego fecerim, in disquisitionem venit nam quidquid isti pati debuerint. Sic P. — Weissenbornius multa moliendo ita dicentem Marcellum facit, ut nihil omnino relinquat, quod in disquisitionem veniat, si quidem et ipsum recte fecisse et Syracusanos, quæ passi sint, meruisse pro certo ponitur. Rectius Gronovius sententiam perspexerat. Marcellus enim quæri negat, quid ipse fecerit; confiteri enim se, severe tractatos Syracusanos; id quæri ait, meruerintne ipsi, ut sic tractarentur; itaque hoc deinceps demonstrare conatur. Scripsit igitur Livius: Sed non **tam**, quid ego fecerim, in disquisitionem (313) venit, **quam** quid isti pati debuerint. Gronovii coniecturæ adieci tam particulam, quam scribæ neglegentia omissam esse arbitror. Nam pro non tam — quam in facillima et nulli perturbationi obnoxia forma, quum millies recte scriberetur, ab eodem scriptore uno et altero loco contra sermonis naturam positum esse non — quam, non facile mihi persuadetur quattuor testimoniis, uno ex libr. II, 56, 9 (non facile loquor — quam, quod locutus sum, præsto), altero XXV, 15, 9, tertio hoc ipso, quod tractamus, quarto XXX, 20, 7; nam quintum ex huius libri c. 18, 3 prorsus nullam habet vim, quoniam ex nec tamen facillime fit nec tam, quod iam Gronovio in mentem venit, falliturque vehementer Weissenbornius, quod tamen necessarium putat; continuatur enim oratio, quasi dicatur: eumque extraordinaria cura deligendum. Sequitur in Marcelli oratione (§ 2 et 3): Qui si non fuerunt hostes, nihil interest, utrum nunc an vivo Hierone Syracusas violaverim; sin autem desciverunt portas legatos nostros ferro atque armis petierunt, urbem ac moenia clauserunt exercituque Carthaginiensium adversus nos tutati sunt, quis passos esse ho-

stilia, quum fecerint, indignatur? Sic enim codices (P, tum M, Voss., alii), addita, quæ vulgo omittebatur, voce portas. Ut Gronovii et Rubenii conatus omittam, Weissenbornius, Boettcherum secutus, locum tamquam lacunosum sic supplevit: sin autem desciverunt a populo Romano, hostibus aperuerunt portas, legatos nostros cet., in quo supplemento inter defectionem et legatos Romanos armis petitos incommode interiicitur hostium mentio et parum apte apertæ hostibus portæ ante moenia clausa commemorantur, præcepto iam, quod postea verbis exercitu Carthaginiensium significatur. Scribendum videtur: sin autem desciverunt a p. Ro., si legatos nostros ferro atque armis petierunt cet., ut ex litteris aprosi ortum illud portas putetur.[1])

(314) Cap. 33, 3 (de Campanis): cives Romanos, adfinitatibus plerosque et propinquis iamiam cognationibus ex connubio vetusto iunctos. Non bonum iam (quod ad nostram ætatem editum est); prava est enim temporis (et rei mutatæ aut maioris futuræ) significatio; plane perversum iamiam, quod festinationis et celeritatis ad futurum spectantis significationem habet. (Jetzt bereits neque recte vertitur iamiam neque, quo pertineat rei amplioris futuræ significatio, intellegitur.) Unum dici apte poterat: adfinitatibus plerosque et (quod maius est) propinquis **etiam** cognationibus — iunctos. (Gron. iam etiam.)[2]) Paulo post (§ 7) Dukeri de verbo arbitror dubitationi parum occurritur a Weissenbornio demonstratis duobus Livii locis (III, 13, 3, ubi Volscius cæsum pugno a Cæsone fratrem scire poterat, mortuum ex eo ictu

---

[1]) § 4 rem, quod recte Weissenbornius requisivit, excidit post crederem (crederem rem). Senec. de Benef. VI, 8 extr. scribendum: in unum testem temere rem demittit; cod. Nazar. demerem demittit.

[2]) In iamiam erratur etiam XLII, 11, 5. [Cic. Philipp. II, 87 pro iamiam minime miror te otium perturbare scribendum iam minime, h. e., desino iam mirari.]

tantum arbitrari, et XXIII, 5, 15, ubi apertissima est opinionis, non certæ rei significatio). Sed aptiora exempla usus verbi arbitror in testimonio dicendo etiam de re certa ipse ad III, 13 adscripsit ex Cic. pro Fonteio 13, 29 et Acad. II, 47, 146 (Livii locum IV, 40, 6 omissum oportuit). Eodem pertinent duo alii Ciceronis loci, ad Fam. III, 8, 3 (idque me arbitror Synnadis multis verbis pro tribunali disputavisse) et Brut. 81, 281. [§ 13, ubi indicatur argumentum rogationis ad plebem latæ, necessario Fulvii nomini prænomen præponendum est. In eadem paragrapho verba: quosque una secum dedidere recte a superioribus editoribus omissa esse videntur, orta ex dittographia et correctione, quum scriptum esset quosque pro quæque. Agitur de certis hominibus et eorum rebus. Male aliorum hominum significatio interponitur. 1863.]

Cap. 36, 3 (in M. Lævini consulis oratione de auro argentoque et ære ad classem parandam conferendo): Si quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos si ipse iuris statueris, facilius omnes obedientes habeas. Alterum si incommodo loco interponitur inter te ac tuos et ipse et pravum (in hac orationis forma) pondus in id pronomen inclinatur. Longe rectior oratio erit, si, sublato altero si (quod ex geminatione litterarum s et i ortum est), scripseris: Si, quod iniungere (315)
inferiori velis, id prius in te ac tuos ipse iuris statueris, facilius cet. Paulo post (§ 11), ubi describitur studium certamenque hominum aurum argentumque et æs conferentium, quum in P scribatur: certamine iniecto, ut prima ut inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse, apparet scribendum esse: ut prima **aut** (si omnium primi esse non possent, saltem) inter primos nomina sua vellent — esse. Poterat Livius aut inter prima scribere; maluit alterum, ne ambigue concurrerent inter prima nomina sua. Quod editur: prima inter primos, nimium est et ineptum.

(§ 4 vix credo figuram illam orationis, qua pro condicione adfirmatio ponitur aut interrogatio, locum habere in argumenti conclusione, quæ particula itaque fit; ipsa enim hæc particula initio posita figuram perturbat; vereor, ne si post itaque exciderit.) [Iam Alschefskius: Itaque classes si —.][1])

Cap. 38, 7 (de Blattio consilia agitante Salapiæ Romanis tradendæ): Sed sine adiutore Dasio res transigi non poterat. Multum ac diu cunctatus, et tum quoque magis inopia consilii potioris quam spe effectus Dasium appellabat; at ille — rem Hannibali aperit. Vix posse cunctatus et (— appellabat) pro cunctatus est et accipi, demonstravi ad XXI, 25, 9; alia autem particulæ et expediendæ via nulla est. Deinde prorsus ferri nequit imperfectum (appellabat), ubi significatur res post longam dubitationem aliquando facta; Dasium subinde a Blattio appellatum ne fingamus, prohibet et tum quoque, quo res semel acta notatur, et brevis, quid statim Dasius appellatus fecerit, significatio (at ille — aperit). Scribendum est: Multum ac diu cunctatus **est**; tum quoque magis inopia consilii potioris quam spe effectus Dasium **appellat**; at ille cet. Ex appellatat facile oriri potuit appellabat at. Paulo post (§ 8) appellabat potest fortasse accipi appellare coepit; sed ne ibi quidem improbarem appellat. [§ 10 in hac orationis forma: id crimen adferri, quod, quia testem habere non posset, liberius fingenti sit necessario propter sit, in quo errari non potuit, scribendum est possit, in quo sæpissime aberratur. 1863.]

Cap. 39, 16 (in descriptione pugnæ navalis inter Nico-
(316) nem Tarentinum et D. Quinctium Romanum): Hic (Nico)

---

[1]) [§ 6 et libras pondo distributive dicitur, ut millia, asses de singulis millibus, assibus; v. II, 33, 11, V, 47, 8, VII, 37, 3, X, 30, 10, XXXI, 13, 7; mox, omissa illa significatione, libram; cfr. VIII, 11, 14. 1863.]

Quinctium simul pugnantem hortantemque suos incautum hasta transfigit; ille atque præceps cum armis procidit ante proram; victor Tarentinus in turbatam duce amisso navem impigre transgressus cet. Ad expediendum hoc ille atque adhibetur vetus et poeticus particulæ atque usus, quo pro statim poni putatur. Id sic fit, ut celeritas rei declaretur copula in apodosi posita, utraque actione quasi in unam conflata; nam per se atque nunquam pro statim dictum est. Itaque ut posset ad Livium a Plauto et Vergilio ille usus transferri, non tamen diceretur, quemadmodum nemo in illa forma dixit, ille atque. Nihil tamen e longinquo arcessendum emendationis, sed adhibenda transpositio, ut fiat: atque ille præceps c. a. procidit ante proram cet. Prorsus similium transpositionum (haud quia pro quia haud, solum non pro non solum) in P factarum exempla collegi ad XXII, 2, 6 p. 231. [Idem in mentem venerat Rupertio.][1])

Cap. 40, 17: Quattuor millia hominum erant, mixti ex omni colluvione, exsules, obærati, capitalia ausi plerique, et quum in civitatibus suis ac sub legibus vixerant, et postquam eos ex variis causis fortuna similis conglobaverat Agathyrnam, per latrocinia ac rapinam tolerantes vitam. Hæc orationis forma significat, hos homines et tum, quum in suis civitatibus sub legibus vixissent, et postea Agathyrnæ eodem prorsus modo vitam tolerasse, quod manifesto perversum est. Livius enim hæc distinguit (— eaque sola est causa superioris temporis, quod in suis civitatibus egerant, commemorandi —) et, qui in suis civitatibus unius aut alterius maleficii damnati essent, eos Agathyrnæ ex nulla

([1] § 13 Forchhammer suspicatur: ut vix ullum telum in mare vanum intercideret; cfr., quæ disputavi ad Cic. Finn. p. 774. (1863.)

re nisi ex sceleribus victum habuisse dicit. Neque præsens participii tempus (tolerantes) recte dicitur nisi de eo statu, in quo tunc ipsum erant. Itaque et post plerique ex e extremo ortum est, ut c. 12, 18 et alibi, oratioque sic
(317) decurrere debet: capitalia ausi plerique, quum in civitatibus suis ac sub legibus vixerant, et, postquam eos — fortuna similis conglobaverat Agathyrnam, per latrocinia — vitam tolerantes. Recte inter se respondent: ausi, quum — vixerant et: postquam — conglobaverat, tolerantes. [Quæ Weissenbornius opponit, non intellego. Rectissime hi homines universi dicuntur exsules — qui enim aliter omnes Agathyrnæ essent? — et obærati, magnam autem partem etiam in civitatibus suis capitalia ausi esse et nunc, postquam Agathyrnam venerint, rapina vixisse.][1])

Cap. 41, 17 (in oratione Scipionis apud milites Hispanienses): Quid igitur minus conveniat, milites, quam, quum aliæ super alias clades cumularentur ac di prope ipsi cum Hannibale starent, vos hic — sustinuisse labantem fortunam populi Romani, nunc eosdem, quia illic omnia secunda lætaque sunt, animis deficere? Inepta est in his extremis particula causalis (quia); neque enim quisquam ideo deficiebat animo, quod res in Italia lætæ essent; miratur Scipio, nunc, quum lætæ illic res sint, deficere animis, qui gravioribus temporibus non defecerint. Itaque ex nunc — quia necessario faciendum: nunc — cum iam (cūiā) illic cet. [Paulo ante (§ 12) Forchhammer recte miratur, cur Siciliæ maior pars defecisse dicatur, quasi Italia omnis defecerit, quum in Italia multo plures fideles socii manserint, in Sicilia, qui fere soli socii fuerant, Syracusani defecerint. Vi-

[1]) § 10 recte discipulus Siesbyei animadvertit scribendum esse: quum — multitudo visa esset et clamor — accidisset; v., quæ dicentur ad XLIV, 18, 3. (1876.)

dendum, ne transposita verba sint olimque scriptum fuerit: Italiæ maioris partis, Siciliæ, Sardiniæ. 1863.]

Cap. 44, 2. Inter duo præsentia in æquali membrorum descriptione opponit et imponit etiam insidit præsenti tempore, non insedit Livium scripsisse apparet. Quam frequenter hæ formæ permutentur, sæpe dixi. (1863.) Cap. 46, 10, ubi editur: nec ulli puberum, qui obvius fuit, parcebatur, iure Siesbyeum in significatione rei sæpius factæ offendit fuit ante imperfectum parcebatur visumque est substituendum fuisset. (1863.)

Cap. 47, 7 (de præda Carthaginis Novæ): pateræ aureæ fuerunt CCLXXVI, libras ferme omnes pondo. Sic codd. mell., et sic editur inde a Gronovio, tanta quidem cum fiducia, ut ad XXVII, 4, 9, ubi legitur terna pondo pateræ aureæ, adscribi videam, usitatius futurum fuisse: ternas libras pondo aut, libras omisso, ternas pondo. Equidem nunquam intellegere potui, quis esset hic accusativi (quem mensuræ Muellerus ad Fest. p. 98 appellat) usus aut quam haberet analogiam. Nam quæ video comparari, id genus, id ætatis, ea vel additum pronomen separat, magis autem substantivi notio; simile enim esset, si diceretur patera id pondo; nunc patera libram pondo sic dicitur ac si dicas: homo annum ætate, quod omnes sentiunt ridiculum esse. Gronovii autem explicationem, qui adhibita ellipsi, ultra quam dici potest, mirabili enarrat: pateræ habentes pondus libras pondo, condonemus ætati, qua vir egregius vixit. Exempla ad hanc insolentiam loquendi confirmandam præter hoc unum Livii duo proferuntur, Varronis in libro V de L. L. § 182 (p. 50 Bip.) (318) et Festi (Pauli) v. Grave æs; nam apud Livium III, 29, 3 (coronam auream dictatori, libram pondo, decrevit) et IV, 20, 4 (coronam auream, libram pondo, — posuit) libram recte appositione adiungitur ad accusativum, quemadmodum dicitur (XLIV, 14, 2) torquis aureus, duo pondo et illud ipsum, quod supra attigi (XXVII, 4): terna

pondo pateræ aureæ, nisi quod hic præcedit, quod apponitur, et pondo utroque loco pro libræ pondo dicitur; eodemque modo apud Fest. v. trientem scribitur: Trientem tertium pondo coronam auream dedisse. Itaque minime imprudenter eos fecisse iudico, qui ante Gronovium, una littera mutata, scripserant: libræ ferme omnes pondo. Varronis locum recte Spengelius emendavit, sublato erant, ut asses libras pondo pendeat a ponebant. Apud Paulum Ursinus recte transpositione usus est, nisi quod singuli libras pondo retinendum erat, non libram ponendum, nec addendum autem.

Cap. 51, 1: Scipio Lælium — data quinquereme captivisque Magone et quindecim fere senatoribus, qui simul cum eo capti erant, in navem impositis, nuntium victoriæ Romam mittit. Mire dici: captivis — qui capti erant, Weissenbornius sensit (si captivo Magone Livius scripsisset, supervacaneum tamen vocabulum primo loco, quasi in eo pondus esset, posuisset). Accedit, quod Appianus (Iber. 23) prædæ partem ἐπὶ τῶν εἰλημμένων νεῶν Romam missam scribit. Et unam quidem quinqueremem satis Polybius tuetur (X, 19, 8), etsi Livius libro proximo c. 7 a se dissentiens Lælium cum pluribus navibus Romam venisse scribit; sed illam e captis fuisse, ipsam victoriæ indicem, Appiano credimus, idemque Livius dicet, remoto simul orationis vitio, si sic scripserimus: data quinquereme **e** captivis **atque** Magone et XV fere senatoribus, qui — capti erant, in navem impositis cet. Quum **e** præpositio hausta esset ob præcedentem litteram, scriptum est que pro atque. Captivam pecuniam Livius dixit I, 53, 3, captivum agrum II, 48, 2, arma VII, 14, 7, IX, 40, 15, signa VII, 37, 13, navigia X, 2, 12, naves XXVI, 47, 3.

Lib. XXVII. (319)

Cap. 2, 6 et 7 (de Marcelli et Hannibalis ad Numistronem proelio): Ab hora tertia quum ad noctem pugnam extendissent fessæque pugnando primæ acies essent (ab Romanis prima legio et dextra ala, ab Hannibale —), diu pugna neutro inclinata stetit; primæ legioni tertia, dextræ alæ sinistra subiit et apud hostes integri a fessis pugnam accepere; novum atque atrox proelium ex tam segni repente exarsit recentibus animis corporibusque. Recte Weissenbornius sensit, aliquid deesse ad narrationem vinciendam; debebat saltem dici: tum primæ legioni — atque novum et atrox proelium cet. Sed quod ante diu inserit ubi (ubi diu pugna) et periodum finiri vult in accepere, primum ubi — stetit non recte ponitur pro postquam (diu steterat, ex Livii in tali re usu); nam ubi significat unam aliquam rem semel factam; deinde relinquitur non minus molestum asyndeton in illis: novum atque atrox cet. (pro: Tum novum cet.). Scribendum est: Ab hora tertia quum ad noctem pugnam extendissent — (—), diu pugna neutro inclinata stetit. Ut primæ legioni tertia, — subiit et apud hostes integri a fessis pugnam accepere, novum atque atrox proelium — exarsit cet. Recte iam, addito ut, quod patet quam facile post it (stetit) excidere potuerit, conversio rei novis copiis in primam aciem inductis facta significatur. Pro ex tam segni recte Dukerus scribi voluit ex iam segni; neque enim Livius segne, nedum valde (tam) segne, totum superius proelium fuisse significat, sed, quum per multas horas pugnatum fessæque copiæ essent, iam segne factum.

Cap. 5, 4 (ubi M. Valerius Lævinus de Sicilia a se ad meliorem statum revocata gloriatur): neminem Carthaginiensem in Sicilia esse; neminem Siculum, qui

(320) fugati metu inde afuerint, non esse; omnes in urbes, in agros suos reductos arare cet. Non optime nec ad Livii consuetudinem dicuntur illa: neminem Siculum, qui — afuerint, pro eo, quod est: Siculorum eorum, qui cet. Sed molestius est, quod interposita illa: qui fugati — afuerint et, æqualitate membrorum inter se relatorum sublata, artificium rhetoricum evertunt et ipsam magnificentiam professionis infringunt, genere et numero caute circumscripto. Quanto elegantiora omnia erunt, retractis in suam sedem duabus vocibus, quæ primum omissæ, deinde pravo loco insertæ sunt: neminem Carthaginiensem in Sicilia esse; neminem Siculum non esse; qui fugati metu inde afuerint, omnes in urbes, in agros suos reductos arare cet. Iam aptissime, præmissa splendida illa professione (nem. Sic. non esse), res pressius exponitur. Accedat igitur hoc ad illa huiusmodi traiectionum exempla, quæ ad XXII, 10, 3 commemoravi. Turbatum aliquid hic in codice archetypo fuisse, suspicionem etiam illud facere posset, quod in P bis scripta sunt et illa: neminem Carthaginiensem (in) Sicilia esse et hæc: omnes in urbes (prius in urbe), nisi id mendi genus ibi frequens esset. Sequitur (§ 6): Exin Muttine et si quorum aliorum merita erga pop. Romanum erant, in senatum introductis, honores omnibus ad exsolvendam fidem a consule habiti. Enarrant, fidem a consule eodem modo dici, quo bellum a Volscis, poena a Romanis, metus ab hoste et similia dicantur. Incredibile est, non animadverti, ita dici de rebus, quæ ab aliqua parte veniant aut impendeant (metum quidem ab aliquo ita, ut mali inde venturi notio subsit, ex quo dicimus etiam cavere ab aliquo et ipsum metuere ab aliquo Livius absolute posuit XXIII, 36, 1, alii insidias ab aliquo metuere et similia), nec posse hunc usum promiscue ad alia traduci, ut fides a consule pro consulis fide dicatur, cum tanta præsertim ambiguitate, ut

honores ad exsolvendam fidem a consule habiti (321) non intellegantur, quod sermonis natura postulat, a consule habiti, sed habiti ad exsolvendam fidem consulis. Manifestum est, excidisse datam ante habiti. Et ut omnino in his decem libris permultis locis verba sine ulla, quæ appareat, errandi causa omissa sunt (vid., quæ exposita sunt p. 208), sic in hac ipsa vicinia perfrequentia sunt eius rei exempla; nam et c. 7, 1: (exitu eius anni **C. Lælius** die quarto) et eodem capite § 4 (ob res feliciter a P. Scipione gestas **supplicationem** in unum diem) et § 10 (C. Calpurnius **præfuisset, decretæ. Urbanus** exercitus) et § 14 (additaque ea**dem ignominia**, sub qua) et c. 11, 9 (ut **qui** primus censor) et eodem capite § 12 (post Cannensem **cladem.** In equestribus) ea verba, quæ litterarum forma insignivi, a codicibus absunt, ab editoribus consensu supplentur. Cur igitur in uno loco incredibilia potius finguntur quam idem accidisse, sententia et oratione demonstrante, statuatur? Quid, quod in hoc ipso capite alterum videtur esse omissi a librario verbi exemplum? Nam quod § 9 e PM aliisque codicibus nuper editum est: ad Siciliam transmisit, tertio decimo die, quam profectus inde, Lilybæum revectus, parum credibilis fingitur in hoc sententiæ genere verbi substantivi omissio, præsertim in illa participiorum vicinitate (profectus inde, Lilybæum revectus).[1]) Itaque aut est addendum (indest), quod facilius excidere potuit, aut, quod superiores editores addiderant, erat, convenientius hoc Livii consuetudini. Nam ut constantissime dicitur: Tribus diebus, quibus Gaius venit (qu. ventum est), urbem cepit, ita, posito ordinis numero, Livius et Sallustius sic dicere solent: die quinto, quam Gaius

---

[1]) Unum est præterea in hoc genere, quod frequentissimum apud Livium est, omissi verbi exemplum in lib. XXI, 15, 3: Octavo mense, quam coeptum oppugnari, captum Saguntum quidam scripsere. [Similiter VII, 6, 2 verbum omittitur post priusquam]

venerat, urbem cepit, ut vix inter quattuor quinqueve locos (322) unum perfecti exemplum reperias. Apud Livium his, opinor, locis perfectum in hac forma reperitur: IV, 7, 3 (inierunt, sed § 1 condita erat), XXVIII, 16, 14 (accepit), XXXI, 14, 2, XXXVI, 39, 5. Eadem ratio est, quum dicitur post (intra) diem quintum quam. Quod ad ante Siciliam alii tolli volunt, alii cum in permutarunt, nescio an neutro opus sit. Videtur enim Livius primum universe mare circa Siciliam significare, deinde portus nomine (Lilybæum revectus) in Siciliam perventum significare.

Cap. 6, 15: C. Servilius pontifex factus in locum T. Otacilii Crassi; Ti. Sempronius Ti. filius Longus augur factus in locum T. Otacilii Crassi. Extrema verba (factus — Crassi) manifesto spuria sunt. Non solum enim perquam ineleganter bis ponuntur, sed vitiosissimam habent orationis formam, quasi duo homines in sui quisque hominis locum suffecti sint ac non in unius uterque. Offenderat etiam Ussingius. (1863.)

Cap. 7, 3: in Italiam, vix Hannibali atque eius armis subsistentem. Recte, opinor, Ascensius armis obsistentem, ex quo geminato s illud natum contrario errore ei, quem notavi p. 218. Subsistere cum dativo nemo meliorum dixit; nam in epistula Bruti apud Cic. ad Fam. XI, 10, 5 et subsistere et absistere pravum est scribendumque est sufficere sumptui; apud Tibullum, si Tibullus est, IV, 1, 195 solus densis obsistere turmis tuetur consensus codicum alterius generis, subsistere natum est corrigendo, quum inverso ordine scriptum esset densis solus. Subsistere cum accusativo Livius bis habet. (1863.) § 16: Triginta quinqueremes — mitti iussæ; cetera classe prædatum in Africam aut ipsum M. Valerium Messallam misere seu L Cincium seu M. Valerium Messallam. Sic P cum manifesto defectu; editur: aut ipsum M. Valerium Lævinum traiicere aut mittere seu L. Cincium cet. Sed h. l. ferri

accusativum cum infinitivo nullo modo posse, iam illi intellexerant, qui olim placere post classe interposuerunt. Apparet ex ipsa codicis scriptura, in M. Valerii nomine aberratum esse et inde natum ipsum. Locus sic supplendus est: aut ipse M. Valerius **Lævinus traiicere aut** mittere seu L. Cincium cet. Ipse proprætor separatur a legatis. Poterat etiam scribi traiiceret aut mitteret. (1863.)[1])

Cap. 12, 2 et 3 oratione sic descripta: Post paucos dies consecutus Fabius (est), qui et collegam coram obtestatus et per litteras Marcellum, ut quam acerrimo bello detineret Hannibalem, dum ipse Tarentum oppugnaret (ea urbe adempta hosti — ne remorandi quidem causam in Italia fore), Regium etiam mittit cet., vitabitur vitiosa ellipsis verbi substantivi apud participium in sententia relativa narrationem novi membri adiectione continuante et concludente (qui — obtestatus pro: qui — obtestatus est).[2]) (Similem locum XXXIV, 27, 5 rectius descripsi supra p. 215.) Ceterum recte recentiores aliquot codices et A. Perizonius detinerent; coniuncta enim utriusque opera significari debet. Ne illud quidem sine nota aut suspicione prætermittendum, uno, quod sciam, hoc loco apud bonum prosæ orationis scriptorem remorari pro intransitivo positum legi; alibi semper transitivum est; altero significatu morari dicitur (quod hic in uno et altero deteriore codice scribitur). Ortumne re ex præcedenti ne?

---

[1]) Cap. 9, 13, ubi editur: legati neque se, quod domum renuntiarent, habere dixerunt, neque senatum suum, quid novi consuleret, vix dubium quin scribendum sit: quod novi consulerent; novæ consultationis materia esse negatur. (1863.) [Similiter c. 12, 3 pro quid recte Wesenbergius quod scribendum esse vidit.]

[2]) [Hac cautione adiecta tueor, quod de vitio dixi, contra Wesenbergii dissensum, cui de aliis locis concedo; v. Ann. Philol. Dan. IX p. 38.]

Cap. 13, 11: pronuntiat (Marcellus), a quibus orta pridie fuga esset, cohortesque, quæ signa amisissent, se in primam aciem inducturum. Non recte singuli milites (a quibus) separantur a cohortibus. Recte in P scribitur: a quibus orta pridie fuga esset, cohortes quæque signa amisissent, — inducturum. Etsi in tali re codicum testimonium nullius momenti est; vid. ad XXV, 28, 6.[1])

(323) Cap. 18, 6 (in descriptione loci, ubi Hasdrubal prope Bæculam a Scipione victus est): eam quoque (planitiem) altera crepido haud facilior in ascensum ambibat. Cum insolentissimo hoc loquendi genere (facilis in ascensum, ut sit, qui facile ascenditur) Weissenbornius comparat II, 15, 2, ubi facilis absolute dicitur (nachgiebig), additur autem de effectu facilitatis: in perniciem suam. Nihil dissimilius, nisi quod utroque loco facilis et in legitur. Lenissimo remedio tolletur manifestum huius loci mendum: faciliori ascensu. Quum librarius scripsisset: crepido haud facilior, ex i littera, quæ supererat, fecit in, tum ascensum.

Cap. 20, 3: Paucis post — diebus — Hasdrubal Gisgonis filius et Mago imperatores ex ulteriore Hispania ad Hasdrubalem venere, serum post male gestam rem auxilium, consilio in cetera exsequenda belli haud parum opportuni. Sensit Weissenbornius perverse hæc dici, nec tamen damnare ausus est. Quid est enim: consilium belli in cetera exsequenda aut (quomodo ipse verba ordinat): consilium in cetera belli exsequenda? Quis dixit: consilium in

[1]) Cap. 14, 9 fortasse scribendum: Hæsere omnia tela — conferta turba, et, ut non omnia cet. (pro: turba, sed cet.); continuatio enim hæc est rei Romanis secundæ. (1863.) Cap. 16, 7 LXXXIII millia corruptum esse constat. Fortasse fuit III millia LXXX. Capuæ capta auri pondo II millia LXX. (1863.)

aliquid faciendum? (quamquam sic accipi plane vetat verborum ordo; neque enim cetera belli, aut quæ similiter coniunguntur, divelli possunt). Apparet consilium significari de bello exsequendo per reliqua et in posterum. Scribendum igitur: consilio in cetera **exsequendi** belli — opportuni. Gerundivi casus male ad præcedentem vocem accommodatus est (vid. p. 10 et 207). In proximis verbis (§ 4: conferentibus, quid in cuiusque provinciæ regione animorum Hispanis esset) prorsus non intellego, quæ sit provinciæ regio, neque ipsum quæque provincia placet; neque enim plures provinciæ ante significatæ sunt. Rectum erit: quid in cuiusque provincia et regione animorum Hispanis esset. Addidit Livius et regione, quod Hispaniam Carthaginiensium in certas provincias ad Romanam formam divisam (324) fuisse non constabat. Erroris genus frequens est.[1])

[1]) Cap. 22, 6: Additæ et ad præsidium provinciæ quinquaginta naves cet. Minus recte ad præsidium legionum (id enim intellegi necesse est) naves additæ dici videntur. Sed codices (P, alii): Additum et ad præsidium; efficitur: Additum et aliud præsidium provinciæ, quinquaginta naves, quas cet. (1863.) Cap. 25, 13 recte Ussingius consederunt pro consederant; plusquamperfectum prorsus pravum est. (1863.) [Cap. 28, 7, quod 1863 suspicatus eram, delendum esse milites, præceperat A. Kochius 1860.] Cap. 30, 5 (non tanta pro Ætolis cura erat, ferocioris quam pro ingenio Græcorum gentis, quam cet.) illepidum et inelegans merito Creverio visum est, quod olim substituebatur: ferocioribus quam pro ingenio Græcorum gentis, extremo vocabulo quasi de industria adiecto ad efficiendum cum inani abundantia genetivorum concursum. Sed quod Weissenbornio in mentem venit, codicum scripturam sic fortasse defendi posse (quod mihi quoque adulescenti placuisse memini), ut genetivus liberius appositione adiunctus putetur illi pro Ætolis, quasi scriptum sit Ætolorum, nulla eius libertatis in brevi et facili orationis forma excusatio excogitari potest, quum licuerit sine offensione recte scribere:

Cap. 38, 9: Senatus liberam potestatem consulibus fecit et supplendi, unde vellent, et eligendi de omnibus exercitibus, quos vellent, permutandique et ex provinciis, quos e re publica censerent esse, traducendi. Nec ulli facile esse poterant milites, quos (singulatim) ex provinciis traduci e re publica esset, et si fuissent, hoc contineretur superiore illo capite, quo potestas dabatur exercitus, unde vellent, supplendi et de omnibus exercitibus eligendi; nec recte dicitur ex provinciis traducere, nulla addita, quo traducantur, loci significatione. Una littera detracta veram scripturam restituet: et ex provinciis, **quo** e re publica censerent esse, traducendi. Permissum est consulibus, ut suppletos exercitus exercituumque partes permutarent et extra fines suæ quisque provinciæ educerent.

Cap. 40, 10: per extremum finem agri Larinatis ducentem in Sallentinos exercitum Hanni-
(325) balem expeditis cohortibus adortus C. Hostilius Tubulus incomposito agmini terribilem tumultum intulit. Larinum quomodo attigerit Hannibal ex Bruttiis et Lucanis in Sallentinos iens et quomodo per Larinatem agrum, qui a Tarento fere triginta milliaria Germanica

---

ferociori quam pro ing. Græc. gente. Nam pro Ætolis Livius scribere maluit quam Ætolorum propter omnium. Nimirum simpliciter illud ipsum ferociori — gente restituendum est, quod Gronovio in mentem venerat. Ex gente propter Græcorum factum gentis et ei postea accommodatum ferocioris. [Cap. 32, 5 videndum ne equus regem effudisse dicatur super caput prolapsum, non per caput; facillime post sum excidit su. Cfr. XXII, 3, 11. Cap. 33, 7 quod desideratur ad orationem vinciendam, excidisse videtur post tradunt, scribendumque esse: tradunt; et, id quod cet. Cap. 34, 14—15 sic oratio interpungenda est: Hæc — castigabant patres, et M. Furium memorantes — restituisse; ut — leniendam esse, adnisi omnes — fecerunt. Et pertinet ad illa: adnisi — fecerunt. 1863.]

distat, euntem C. Hostilius, qui Tarenti erat, adoriri potuerit, nemo facile dixerit, et hæsit iam in eo Weissenbornius. Accedit extremi finis mentio, quæ quo in tam longinquis locis pertineat, non apparet. Postremo paucis post versibus, nullius alterius rei interposita mentione, Hannibal, quum simul Q. Claudius ex Sallentinis contra eum moveret, nocte castra ex agro Tarentino movisse dicitur, quo qui eum subito e Larinati agro traductum putabimus, quum iam illic a custode Tarenti duce Romano incursatus esset? Apparet, opinor, Hannibalem, quum Sallentinos ex Lucanis petenti præter Tarentum eundum esset, ut tutius iret, vitata urbis propinquitate, per extremum agri Tarentini finem satis magno flexu exercitum duxisse nec tamen Hostilii Tarento præsidentis vigilantiam effugisse aut impetum; pro Tarentini in P est laritā̄n̄is, quomodo transponendæ litteræ notari solent. Sed quod Hostilium Tarenti fuisse dixi, occurretur mihi, quum eo superiore anno (208) missus esset (c. 35, 2), postea ei eodem anno pro Tarento Capuam provinciam datam esse (ibd. § 14), ibique eum hoc anno (207) fuisse, Livium tradere c. 36, 13, Tarenti Q. Claudium (c. 38, 8 et 40, 11). Verum ne fingi quidem potest, a Capua in occidentali Italiæ parte sita Hostilium in Hannibalem per Larinatem agrum, qui in Apulia est, euntem, toto interiecto Samnio, impetum fecisse, et Hannibalem ex agro Tarentino movisse, quod timeret, ne ibi Claudius e Sallentinis veniens exercitus Capuam obtinentis duci se coniungeret. Et post hæc demum gesta Hostilium Tubulum Tarento Capuam petisse, aperte Livius dicit paulo post hoc ipso capite (Hostilius Capuam petens, et: reliquas copias Hostilius Capuam ducere iussus). Itaque hic, ut alibi non paucis locis, Livius in indicandis imperiorum per Italiæ partes permutationibus et in tempore earum notando decretisque a rebus perfectis (326)
separandis parum diligens fuit (vid. Periz. et Weiss. ad

XXV, 41, 13); de eo dubitari nequit, quin in c. 40 scribendo Hostilium Tarento præsidere putarit.[1])

Cap. 45, 3 (in oratione Claudii Neronis consulis militibus certam de Hasdrubale victoriæ spem ostendentis): Quippe, ad quod bellum collega non ante, quam ad satietatem ipsius peditum atque equitum datæ ab senatu copiæ fuissent —, profectus sit, eo ipsos quantumcunque virium momentum addiderint, rem omnem inclinaturos. Sic Weissenbornius interpunxit, ne, si cum ceteris comma post ipsos posuisset (eo ipsos, quantumcunque), prava oreretur sententia; sic enim Claudius hoc tantum promittit, milites ad bellum cum Hasdrubale (eo) omnem rem inclinaturos, hoc est (si tamen recte dicitur rem ad bellum aliquod inclinare), effecturos, ut id præcipuo sit loco et in eo omnia vertantur; necesse est autem promiserit, eos rem inclinaturos (absolute), hoc est, facturos, ut, quæ hactenus pari momento stetisset, in alteram (suam) partem inclinaretur (sie würden den Ausschlag geben; vid. XXVIII, 15, 7 et 22, 8, al.); neque ad aliam ullam sententiam aptum est illud quantumcumque virium momentum. Verum illum interpungendi conatum evertit accusativus ipsos, qui quoniam nisi ad inclinaturos pertinere nequit, necessario eodem adverbium eo trahitur; neque in hac orationis forma ulla confusionis sententiarum (συγχύσεως) figura locum habet. Itaque ut recta sententia oratioque efficiatur, scribendum est: eo **ipsi si** quantumcunque virium momentum addiderint, rem omnem inclinaturos. Ita quantuscunque infinitum erit pronomen, quomodo id Livius aliquoties

---

[1]) [Cap. 43, 7 interpunctio sic emendanda est (verteret, litteris), ut verbum edocet, longiore ratiocinationis declaratione participio ratus subiecta, continuetur illis: tum Claudius; nam tum Claudius — ratus, ut hoc pro finito sit, prave dicitur. Cfr. p. 215 de XXXIV, 27, 5 et paulo ante de c. 34, 14. 1863.]

posuit (vid. lexic. et XXVIII, 32, 9). Eodem capite inferius (§ 11) de militum Neronis modestia et itineris maturandi studio sic scribitur in codicibus (bonis omnibus, deterioribus plerisque): modestia certare milites, ne quid ultra usum necessarium sumerent; nihil morari nec ab signis nec subsistere cibum capientes; diem ac noctem ire. Apparet excidisse verbum, (327) cui adiunctum fuerit illud ab signis; nam quod in editionibus ante Weissenbornium, altero nec sublato, scribebatur nec ab signis absistere (pro subsistere) cibum capientes, et audacem mutationem et usum habet verbi, quod est absistere, admodum suspectum. Id enim apud bonos prosæ orationis scriptores de desistendo ac desinendo ponitur, de motu ac discessione non dicitur nisi in uno Cæsaris loco perquam dubio.[1]) Sed aliam præterea vocem errore librarii omissam suspicor; nam quod negantur milites cibum capientes substitisse, primum, si ea esset sententia, Livius scripsisset ne cibum quidem capientes (quum maxime credi posset) substitisse; deinde nimia hæc est festinatio rerumque naturæ repugnans, etiamsi milites solis aridis cibis famem explesse putemus, ut totos dies non intermisso itinere ierint. Romanorum quidem puls neque parari neque edi nisi itinere interrupto poterat. Itaque mihi dubium non videtur, quin Livius scripserit: nihil morari nec ab signis **discedere** nec subsistere **nisi** cibum capientes.

Cap. 47, 11, ubi editur: Quantum mare abscedebat, scribendum puto: quantum a mari abscedebat. Inepte

---

[1]) B. Gall. V, 17: repente (Britanni) ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt, sic uti ab signis legionibusque non absisterent. Non potest de discedendo intellegi; neque enim ad signa legionesque fuerant. Videtur significari, ne ab signis quidem et legionibus Gallos abstinuisse. Debet saltem verti: sich nicht fern hielten. Fuitne abstinerent? [Etiam de Verg. Æn. XII, 102 non sine causa dubitat Ribbeckius.]

mare abscedere dicitur, quum agitur de duce et exercitu ab inferiore parte amnis ad superiora versus iter faciente, ita ut mare oculis non subiectum sit. [Sic iam editiones quædam veteres.][1])

Cap. 49, 3, ubi scribitur: fessos abnuentesque tædio et labore, valde suspicor scribendum esse abnuentesque tædio laborem; nam abnuere labore nihil est. (1863.) § 9, ubi in P est aliiqui nuntii, scribendum videtur, retractis litteris, quæ propter similitudinem inter se nocuerunt: Quin supersint aliqui, **inquit**, nuntii cet. Non potest, opinor, verbum abesse in tali orationis forma, prorsus pendente particula ut (diceret). Quod autem post ut, longiore verborum ambitu interposito, sequitur inquit, id fit eodem modo, quo Livius IV, 28, 3 scripsit: poenas rebellionis dedissent, ni Vettius Messius — inquit, id est plane, dixisset, et Cicero de Orat. II, 64, 260: quod aiunt Maluginensem — Virum bonum, inquit, id est, dixisse. Nam quum verbi inquit coniunctivus et infinitivus deesset, libere constructionem mutarunt. Ob eandem causam Livius I, 39, 3, IX, 16, 16, XXXV, 14, 11, XXXIX, 42, 11 in media oratione obliqua interiecit finitam sententiam per inquit. (1863.) [Quid dicemus de omisso verbo coniunctivi modi post quum venisset, atque apud Ciceronem N. D. III, 89?][2])

(329) Cap. 50, 1: Nero ea nocte, quæ secuta est pugnam, citatiore, quam inde venerat, agmine die sexto ad stativa sua atque hostem pervenit. Omnes

---

[1]) [Quæ præterea de hoc loco tentaveram, eorum alterum Alschefskio melius successerat, alterum (subsistit) Sartorius præceperat. Codicis P errorem in signa ferre iubet nunc Weissenbornius abiecit.]

[2]) § 2 neque regendi **spes** recte dicitur pro regimine neque vincit spem, qui tollit. Verum est, quod Weissenbornio in mentem venit quodque ipse adnotaram: ubi regentis sprevissent.

taciti prætereunt. Et tamen quid absurdius nugaciusve dici potuit, quam Neronem ea nocte — sexto die ad stativa sua pervenisse? Manifestum est, excidisse participium et huiusmodi fuisse veram orationis formam: Nero ea nocte, quæ secuta est pugnam, **regressus** citatiore, quam inde venerat, agmine, die sexto cet. [Excidisse participium etiam Sartorius viderat.] [§ 9 e scriptura codicis P posset, traheretur, quam W. retinuit, quum in editionibus esset traheretur que, faciendum erat: posset, **set** traheretur. § 10, ubi editur inter impotentes eius (lætitiæ) animos, e P (interponentis) scribendum est inter potentes eius animos. Ipsa coercitione et dispensatione lætitiæ potentes fiebant. 1863.][1])

Cap. 51, 10 Weissenbornius secutus est hanc codicis P ceterorumque ab eo pendentium scripturam: Statum quoque civitatis ea (ad Metaurum flumen) victoria firmavit, ut iam inde haud secus quam in pace res inter se contrahere vendendo, argentum creditum solvendo auderent. Apparet tribus minimum rerum contrahendarum exemplis nominatis totum genus Livium significasse, non his duobus tam diiunctis (nam coniuncta sunt vendere, emere), tam inæqualiter (altero una, altero tribus vocibus) et ἀσυνδέτως compositis. Est igitur hic locus ex iis, quos integriores quam P servavit codex Spirensis, ex quo derivata plena scriptura, ut aliis aliquot locis, in primas editiones venit, nisi quod eæ particula apta et necessaria carent. Nam in Sp. Rhenanus testatur fuisse (in Pall. Gebhardus): vendendo, emendo, mutuum dando argentum creditumque solvendo. In P aut eius archetypo oculus in syllabis dendo (vendendo) et dando aberravit. Una restat dubitatio, quæ iam Rhenano oborta erat. Dicitur enim absolute mutuum dare, cre-

[1]) § 5 W. manifestum mendum codicis P secutus est: supplices votisque fatigare deos, quæ copulari tamquam paria nequeunt.

ditum solvere aut, si quid additur, pecunia mutua, credita, non argentum, omninoque argentum pro pecunia Græco exemplo apud poetas (Plautum, Terentium, etiam Horatium Ep. I, 2, 44) dicitur, in prosa oratione perraro, apud plerosque nunquam. Sallustium tamen Seneca (epist. 114) adnotavit dixisse: exercitum argento fecit, et ipse Livius, præterquam quod bis terve argentum multaticium pro pecunia dixit, etiam alibi aliquoties, ubi pecuniam numeratam et ipsos nummos significat, argenti nomen posuit (XXII, 60, 4, XXIII, 21, 6, XXXIII, 29, 4, XLI, 6, 10); eodemque pertinent Ciceronis loci duo, Top. 16 et de prov. cons. 4. Itaque hic quoque Livius significare videtur pecuniam numeratam mutuam datam (darleihen in baarem Gelde). (1876.) [Olim ad codicis Sp. auctoritatem non attenderam.]

(330)

Lib. XXVIII.

Cap. 2 init. (de M. Silano Carthaginienses et Celtiberos improviso aggrediente): Tria millia ferme aberat, quum hauddum quisquam hostium senserat; confragosa loca et obsiti virgultis tegebant colles; ibi in cava valle atque ob id occulta considere militem et cibum capere iubet; speculatores transfugarum dicta adfirmantes venerunt; tum sarcinis in medium coniectis arma Romani capiunt cet. Hiare orationem vinculo carentem in illo membro speculatores — venerunt, patet; itaque superiores interim addiderunt (non solum contra P, sed contra M Voss., Lov. 1, 2, 3, Harl., Haverc.), Weissenbornius ubi (ubi —, tum). Geminandæ duæ litteræ erant: Ibi — militem — cibum capere iubet **et** speculatores — venerunt; tum cet. Tegebant colles pro tenebant recte Kreyssigius; loca confragosa tenent nihil est, nec c. 1, 7 Livius castra Punica læva (ablat. c.) tenere dixit, sed læva (lævam viæ partem). Lib. XXXII, 5, 12 (nam is quoque locus comparatur) statio

dicitur tenuisse, qua abscisæ rupes erant, hoc est, eam partem obsedisse. [Cfr. Wesenbergius ad Cic. Tusc. V, 118 p. 364 ed. Tur.][1])

Cap. 7, 4 et 5 oratio sic interpungenda est: Eodem ferme die ab Attalo rege Opuntiorum urbs capta diripiebatur. Concesserat eam regi prædam Sulpicius, quia Oreum paucos ante dies ab Romano milite, expertibus regiis, direptum fuerat, quum Romana classis eo se recepisset. Attalus, ignarus adventus Philippi, pecuniis a principibus exigendis terebat tempus. Vulgo scribitur: — direptum fuerat. Quum Romana classis eo se recepisset, (331) Attalus ignarus cet. Sed Romanæ classis, quæ Opuntem non appulerat, a Chalcide Oreum reditus nihil habet coniuncti cum Attalo tempus Opunte terente.[2])

Cap. 9, 13 (in hominum C. Neronis res gestas extollentium sermone): ita unum consulem pro utraque parte Italiæ adversus duos duces, duos imperatores hinc consilium suum, hinc corpus opposuisse. Quæ vis sit geminatæ in iisdem hominibus ducum et imperatorum appellationis, quasi maius sit, non solum ducibus, sed etiam imperatoribus oppositum fuisse, non intellego; intellegerem rhetorice auctum rei sonum, si adversus duos exercitus, duos imperatores (duces) scriptum esset. (Non omnem ducem imperatorem esse, qui suis auspiciis rem gerat, scio; sed eam distinctionem ad

[1]) Cap. 5, 1: Lemnum inde classe iuncta (Romanæ XXV quinqueremes, regiæ XXXV) transmiserunt. Admodum dure post ablativum in parenthesi verbum omittitur, probabiliterque Ussingius post XXXV suspicatur excidisse erant. (1863.) [Non minus probabiliter XXXI, 27, 6, ubi editur: Cnidus (nomen propter alteram in Asia urbem quam oppidum notius) vi capitur, Siesbyeus notius est scribendum coniicit. 1876.]

[2]) Cap. 6, 9 infinitivus historicus (præbere) poni nequit in loci forma perpetua describenda; quod in codicibus bonis est, præbuere, ortumne sit ex præbuerit, non definio.

rem aut sententiam in hoc loco pertinere nego.) Itaque considerandum puto, potueritne duces geminandi errore nasci ex duos, ut initio tantum scriptum fuerit: adversus duos imperatores. [Kochius: adversus duas acies, duos imperatores.]

Cap. 12, 13: Ibi tum Hasdrubal Gisgonis, maximus clarissimusque eo bello secundum Barcinos dux, regressus ab Gadibus, rebellandi spem adiuvante Magone Hamilcaris filio, dilectibus per ulteriorem Hispaniam habitis ad L millia peditum, MMMM et quingentos equites armavit. Non tam rebellandi spem adiutam a Magone puto quam belli apparatum; itaque scribendum cum P: regressus ab G. rebellandi spe, adiuvante Magone cet. Nescio an editores offenderint hi ablativi absoluti sic propius cum alteris coniuncti (fere quasi dicas: dilectibus adiuvante Magone habitis); sed eam duritiam Livius non vitavit (I, 46, 1,
(332) XXXIII, 20, 4), ne multo quidem asperiorem (XXIX, 6, 1). Ceterum magis placeret egressus ab G., quod simul digrediendi longius notio adiuncta est. Gadibus inclusus se Hasdrubal tenuerat.

Cap. 14, 4 (de acie ante proelium ad Bæculam per aliquot dies instructa): Mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienses mixti Afris, cornua socii tenebant; erant autem utrisque Hispani pro cornibus; ante Punicam aciem elephanti castellorum procul speciem præbebant. Omissa pravorum reprehensione orationem recte distinctam ponam: cornua socii tenebant (erant autem utrisque Hispani); pro cornibus elephanti cet. In utroque exercitu sociorum manum ex Hispanis constitisse ait; nam Italicos socios Livius, ut fere alibi in hac belli Hispaniensis narratione, Romanorum nomine comprehendit, Polybium sequens, qui (XI, 22, 3) in hac ipsa acie describenda Scipionem dicit solitum esse *τοὺς Ῥωμαίους μέσους ἀντιτάττειν τοῖς Λίβυσι, τοὺς δ' Ἴβηρας*

ἐπὶ τῶν κεράτων παρεμβάλλειν (Hispanos in cornibus ponere), Hasdrubalem autem (§ 2) τὰ θηρία προτίθεσθαι — τῶν κεράτων. Paulo post (§ 6) recte in codd. quibusdam recc. scribitur (coniectura): ubi hæc obstinate credi animadvertit, non credita, in quo prava temporis significatio est; ortus error ex geminatione litteræ a (credia). Postremo in fine capitis (§ 20), ubi scribitur: eques levisque armatura, velites, circumductis alis in latera incurrebant, prorsus a Livii consuetudine abhorret illa, apposito velitum vocabulo, declaratio, quæ fuerit levis armatura; et præterea a levi armatura velites seiunguntur proximo capite (15) § 5: pugna equitum velitumque et levis armaturæ; atque etiam c. 16, 5, ubi velites auxiliaque peditum coniunguntur, auxilia illa levis armatura est; sociorum enim ea fere intellegitur; velites Romani interdum illo nomine comprehenduntur (ut ipso capite 16, 4), alibi suo nomine, seorsum ab illa, signantur. Itaque scribendum est: eques levisque armatura **ac** velites. [Edd. vett.: et velites.] Sed simul ex illo capitis 16 loco leve unius litteræ mendum tollamus. Nam (333) ibi (§ 4 et 5) sic scribendum est: Eques levisque armatura nunc ab tergo, nunc ab lateribus occurrendo fatigabat morabaturque, **et** quum ad crebros tumultus signa subsisterent —, supervenerunt legiones; vulgo sed scribitur, quæ particula ab hac eiusdem rei continuatione et effectus significatione aliena est.[1])

Cap. 18, 10: traiecisse sese in hostilem terram, regiam in fidem inexpertam. Vehementer offendit alterum adiectivum ante præpositionem, in anaphora præsertim, positum. Videtur fuisse: in hostilem terram, in regiam (Syphacis), in fidem inexpertam, et in post **m** intercidisse.

[1]) Cap. 13, 8 supplendum potius instarent (fessis Carthaginiensibus et Numidis) quam subirent. [Cap. 17, 2: scribendum est: — Romam est missus; sed quum cet. pro eo, quod editur: et quum. 1863.]

Cap. 19, 13 (de Hispanis Iliturgin contra Romanos defendentibus): feminæ puerique super animi corporisque vires adsunt, pugnantibus tela ministrant, saxa in muros munientibus gerunt. Tela et saxa apte et æqualiter inter se respondent, ut vel ob eam causam saxa in muros coniunctim accipere non liceat (præterquam quod aliter dicuntur lintea in vela, e quibus vela nova fiant). Sed pugnantibus non satis respondent munientes, non addito, quid munierint. Multo erit aptius: pugnantibus tela ministrant, saxa muros munientibus gerunt. Præpositio ex **m**, ut sæpe, nata. Contra eadem intercidisse post **m** videtur paulo ante (§ 10), ubi Weissenbornius e codicibus edidit: sed suus ipsorum conscientia culpæ metus, ablativo (de causa) durius, quam ut ferendum videatur, ad substantivum metus adiuncto; superiores: ex conscientia; videtur fuisse: ipsorum **in** conscientia culpæ metus.[1])

Cap. 22, 12, ubi in codicibus est: nihil minus, quam ut egredi hostes auderent, timeri poterat, simpliciter scribendum est quam ne egredi. Quid usus requireret, iam Weissenbornius et alii adnotarant. Excidit ne inter **m** et **e**, tum suppletum ut. Geminus Livii locus III, 3, 2 dubitationem tollit. (1863.)[2])

(334) Cap. 26, 7 (de seditiosis Scipionis militibus): Haud procul iam Carthagine aberant, quum — auditum, postero die omnem exercitum cum M. Silano in Lacetanos proficisci, non metu omni, qui tacitus insidebat animis, liberavit eos, sed lætitiam ingentem fecit. Sic codices, quos Weissenbornius secutus

---

[1]) Cap. 20, 2 in his codicum vestigiis: et Romanis subeuntibus sc. tr. quam (vel qua) adire poterant fortasse latet: et R. subeuntibus contra, qua adire poterant. [Sic Alsch.]

[2]) [Cap. 24, 10 simpliciter tenenda est scriptura cod. Sp.: in stationes ac vigilias ordine ibant. P et edd. in ordinem, ex quo tentaveram in orbem.]

est; sed ea orationis figura, quæ est in non — sed, ut tollatur prius vocabulum tamquam parum rei conveniens, ab hoc loco plane aliena est, addito præsertim omni et verbo (liberavit) longius reiecto, ex quo fit, ut necessario milites intellegantur non omni metu, sed parte aliqua metus levati. Itaque aut cum superioribus editoribus addendum [fortasse e Sp.] modo aut ex omni faciendum modo.

Cap. 27, 9: fama mortis meæ — exspectata est. Non quod ego vulgari facinus — velim cet. P: expectata est vero quod ego cet., e quo efficitur: — exspectata est. Verum quid ego — velim? (1863.)

Cap. 34, 9 Ceterum se neque arma iis adempturum (quippe ea pignora timentium rebellionem esse, se libera arma relinquere solutosque metu animos) neque se in obsides innoxios — sæviturum. Quoniam ad hæc verba ex editionibus primis tradita Rhenanus unum adnotavit libera arma scribendum esse (edebatur enim libere), totaque orationis forma perapta est, hic quoque, quæ in P omittuntur (se neque arma iis ademptururum), in Sp. servata fuisse credendum est conatusque, quibus et ego et alii nuper e codicis P scriptura verum efficere studuimus, oblivione oblitterandi. Et tamen residet mendum in his: libera arma (P tiberim arma), quoniam in hanc sententiam, qua ratio redditur, cur arma Scipio non adimat, includi tanquam aliorum rationi contrarium non potest se arma relinquere, quod ipsum est, cuius ratio redditur; nec libera arma optime cum solutis metu animis coniunguntur. Quid subsit vocabulo in utroque codice scripto, difficile est dictu. Potuit esse libera omnia relinquere. (1876.)

Cap. 40, 5 (in Q. Fabii Maximi oratione contra Scipio- (335)
nem Africam provinciam extra sortem postulantem): Deinde, si est (certa iam provincia consulis Africa), consulem peccare arbitror, qui de re transacta simulando se referre senatum ludibrio habet, non senatorem

modo, qui, de quo consulitur, suo loco dicit sententiam. Si hæc sana sunt, Q. Fabius, quo nihil magis ridiculum perversumve fingi potest, in ipso exordio orationis se ipse peccare dicit, qui orationem habeat, non minus quam Scipionem; nam hæc sententia: qui, de quo consulitur cet. aperte respondet superiori illi: qui de re transacta cet. eodemque refertur. Manifestum est, Q. Fabium a se culpam amovere et in Scipionem totam conferre atque illum, quod non debuerit, facere dicere, se id, quod officium cogat. Verissime igitur et Rhenanus et ante
(336) eum ignotus homo, cuius emendationem tres apud Drakenborchium codices recentes habent, sublata voce modo, qua tota sententia evertitur, sic scripserunt: consulem peccare arbitror, qui —, non senatorem, qui cet. Similia additamenta ex hac decade posui p. 208.[1]) (Si quis conabitur non senatorem modo coniungere cum illis: senatum Iud. habet, ridiculam efficiet separationem senatus et unius senatoris adiectæque illius sententiæ relativæ: qui, de quo cet. rationem prorsus pervertet.) [Rhenanus Spirensem secutus erat. § 2 bis particula et post verbum iisdem litteris terminatum excidit, primum post transportaret, ubi in edd. vett. additur, deinde post placeret, ubi ante W. edebatur ceterique. Neutro loco asyndeton ferri potest. § 9 rectius fortasse Livius scrip-

[1]) Libet cum antiquissimæ in Livianis codicibus interpolationis exemplis ortæ ex pravo intellectu sententiæ non difficilis et formæ orationis perspicuæ coniungere simile exemplum ex antiquiore Ciceronis codice, quam Livianus ullus est, manifestissimum nec tamen a quoquam animadversum. Nam de R. P. 1, 34, 51, ubi Cicero scripsit: **nomen** illi principes **optimatium** mordicus **tenent**, re autem **carent**, librarius quum re pro adverbio reapse accepisset, additis vocibus eo nomine, orationis formam et membrorum pondere insignitorum inter se relationem, quam litterarum formis significavi, pessumdedit effecitque, ut dicantur principes illi carere eo nomine, quod teneant. Non nomine carebant, sed re.

sisset: tantumque gloriæ belli domique partum, ubi codices habent, quod nunc editur, partæ. 1863.]

Cap. 41, 7 et 8 (in eadem Q. Fabii oratione): Quin igitur ad hoc accingeris, nec per istos circuitus, ut, quum in Africam traieceris, secuturum te illuc Hannibalem speres, potius quam recto hinc itinere, ubi Hannibal est, eo bellum intendis? egregiam istam palmam belli Punici patrati petis? Postrema hæc interrogatio sic seorsum posita inepta est. Quoniam enim de voluntate Scipionis dubitari nequit, ideo tantum interrogatur, ut adiungatur, quid ad eam rem consequendam faciendum sit. Verum nihil eiusmodi sequitur potiusque id ante dictum est (nec — recto itinere — eo bellum intendis?). Sed ne superioribus quidem adiungi simpliciter hæc interrogatio potest (et egregiam —?), quoniam nulla in ea significatio est viæ, qua utendum sit, quæ esset, si sic interrogaretur: et egregiam istam (337) palmam — inde, ubi est, petis? Verum ipsa illa superiora si propius inspexeris, vitium deprehendas. Recte Weissenbornius nec dissolvendum esse ait (Quin — accingeris et non p. ist. c. — potius quam — intendis?). Sed ad hanc interrogationem: Quin — eo bellum intendis? accommodari illud non per istos circuitus nullo modo potest, quoniam ipsa interrogatio, directam viam significans, circuitus excludit. Duæ illæ contrariæ rem propositam agendi viæ, quæ ita comparantur, ut altera sola probetur (non — potius quam), in interrogando adiungi eiusmodi verbo debent, in quo ipso non recti itineris, sed tantum rei propositæ significatio insit. Ea autem interrogatio illa ipsa est, quæ extremo loco ponitur: (Quin) egregiam istam palmam — petis? Quæ præcedunt, duplicem viam ac rationem continent. Itaque sic scribendus totus locus est: Quin accingeris nec (id est: et, non) per istos circuitus — potius quam recto hinc itinere, ubi Hannibal est, eo bellum **intendens**, egregiam istam

palmam belli Punici patrati petis? Iam omnia apta duæ litteræ mutatæ fecerunt, in quibus aut neglegentia aberratum est aut, sententiæ forma et continuatione non intellecta, mala correctione. Inter se respondent per circuitus et recto itinere; illud declaratur adiectis his: ut, quum in Africam —, speres, hoc appositione participii intendens.[1])

Cap. 42, 3: expositos milites per tutissima ad socios et amicos populi Romani Tarraconem duxisti. Sic codd., quos qui nuper secutus est (nam antea edebatur per tutissima omnia), ipse omnia usu loquendi flagitari prope concedit; nam quod XXIX, 2, 10 advocat (tuta ab lævo esse), simile non est; nam quid sit tuti, significatur verbis ab lævo (res in lævo cornu tutas esse), eodemque modo dicitur satis tuta circa I, 58, 2. Sed non minus ab usu loquendi abhorret superlativus. Itaque diviso vocabulo, quod
(338) ex duobus coaluit, scribendum: per tuta omnia. Errore natum est primum tutomnia, tum tutissima. [§ 6 in P est: ceterane quæelevo. Videtur propter repetitionem eiusdem vocis alterum membrum excidisse, quum scriptum esset: Cetera **neque detracto** neque elevo; nullo tamen modo — comparanda. Nam in vulgata scriptura neque et tamen non videntur recte inter se referri. 1863.]

Cap. 43, 1: Quum oratione ad tempus parata Fabius tum auctoritate et inveterata prudentiæ fama magnam partem senatus — movisset, — Scipio ita locutus fertur cet. Comparative inter se referri quum et tum, et omnis orationis forma et vocabulorum ordo nomenque Fabii medio illo loco positum ita declarant, ut dubitari non possit. Itaque deest ad sententias vin-

---

[1]) [Eandem sententiam mutatione leniore efficit Halmius (Sitzungsber. d. Bayer. Acad. 1869 II p. 584 not. 5): intendis, si egregiam istam palmam — petis?]

ciendas coniunctio temporis index scribendumque est necessario: Quum oratione — Fabius tum auctoritate et — fama **quum** magnam partem senatus — movisset, — Scipio cet. Similiter, ut ex eodem particularum genere et ex proxima vicinitate exempla petam, in c. 41, 9 quam excidit, in c. 42, 17 hic, quæ nemo dubitavit aut addere aut addita retinere. Pro inveterata prudentiæ fama, quæ hac vetustate multum valet, librarius, casum ad proximum substantivum accommodans (vid. p. 207), inveteratæ prudentiæ famam Fabio tribuit, habuitque obsequentem Weissenbornium. Et tamen hoc potius feras (quamquam minime ferendum est), quam quod idem § 4 mirificam hanc orationis formam Livio adfinxit: tamquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur, et non ab eo, qui quia super ceteros excellat, quoque niti non dissimulo, me sibi æquari nolit; eamque sic enarrat (et opus est profecto enarratione), ut quoque sit et quo. Debebant talia tacito uniuscuiusque sensu respui; sed eo argutiis ventum est, ut argumentis utendum sit. Non quæro, ubi in prosa oratione quoque sic positum legerit; illud quæro, quæ sit umbra sententiæ, nisi præterea et quo accipiamus pro: quo etiam me; nam copulativa particula omnia plane evertit; me autem quod recte omitti potuisse ait, qui potuit id pronomen omitti, in quo omne pondus orationis inest (me quoque non minus quam Fabium)? Et hæc finguntur ab eo, qui in hoc uno libro XXVIII prope quinquaginta locis voces singulas pluresve in P et ceteris codd. (339) omissas notaverit, potius quam retineat certissimum superiorum supplementum: — excellat, **quo me** quoque niti non dissimulo. Hic quidem erroris causa quoque manifesta est in quo bis posito.[1]) (Eodem capite § 8, ubi

[1]) Non minus prave c. 27, 13 inde a Gronovio omittitur is, quod in codice archetypo excidit post credideritis (is denique ego

in codd. est nec tibi in me neu mihi — sit, quoniam nec — neu in prohibendo, in hac præsertim brevitate orationis, ferendum non videtur neque librarium neu pro nec scripsisse veri simile est, Ussingius neu — neu scribi iussit. § 19 necessario pro possit scribendum est posset in hac orationis forma: cresceret mihi ex eo ipso fiducia, quod posset —, tantum momenti esse; idem mendum sæpe notavi. 1863.)

Cap. 44, 6: Una et traiecisse me audietis et ardere bello Africam et molientem hinc Hannibalem et obsideri Carthaginem. Gravissime offendit hæc inæqualitas enumerationis et partitionis: et ardere — et molientem — et obsideri. Nam alius generis est in XXX, 18, 13 cadentem auferrique, quoniam dicitur per se video cadentem, non dicitur hac significatione audio molientem. Aliter etiam XXI, 33, 2 et XXXVIII, 40, 10. Præterea non recte Hannibalis molitio interponitur ex æquo rebus, quas ab ipso Scipione in Africa geri Romani audituri sunt. Suspicor Livium scripsisse: et ardere bello Africam et, moliente hinc Hannibale, obsideri Carthaginem. Dum ad belli in Africa ardentis nuntium Hannibal ex Italia cum difficili molimine redire conatur, iam obsidebitur Carthago. (1876.) [Quod 1863 tentaveram: Africam emolientem cet., non dicitur emoliri nisi de eo, quod aliquid ex se eiicere conatur, et ne sic quidem nisi perraro.]

Cap. 45, 10 postquam Livius de consulum in annum 205 provinciis dixit (— nam prætorum provincias iam c. 38 indicavit —) et de imperio alteri ex superioris anni consulibus prorogato, breviter hæc subiicit: et ceteris præter consules prætoresque, qui exercitibus provinciis-

---

sim). In Scipionis persona sic denique vertitur momentum orationis, ut quæratur, sitne is Scipio, cuius imperii tædere milites oporteat. Nulla est in hac orationis forma exceptio.

que præfuturi erant, prorogata imperia. Si qui pronomen ad consules prætoresque refertur, incommodissime sic scribitur, quasi hoc huius anni consulum prætorumque proprium fuerit; omninoque nulla est causa, cur in imperiis continuatis consulum prætorumque huius anni mentio fiat, in quibus nulla erat imperii continuatio. Hoc quum Weissenbornius sensisset, pronomen relativum ad ceteris referri voluit, verbis sic coniunctis: ceteris, qui præter consules prætoresque exercitibus pr. præfuturi erant. Ut de verborum ordine concedam, sententia efficitur inanissima et a Livii consilio alienissima; neque enim id dicitur, quod et Livii consuetudine et propter rem ipsam dicendum erat, quibusnam ex iis, qui superiore anno exercitus provinciasque habuerint, imperium prorogatum sit, ut in provinciis manerent, quibus non prorogatum, sed tantummodo infinite, iis, qui exercitus et provincias retinere iussi sint, prorogatum esse imperium, quod profecto nihil opus erat dici, quoniam eo continetur provinciæ continuatio. Ac de re quidem ipsa, quæ Livio significanda erat, satis constat; omnibus enim, ut ex reliqua (340)
Livii narratione apparet, qui exercitus habuerant, prorogatum imperium est, nisi iis, qui decedebant, ut huius anni consulibus et prætoribus loca vacua facerent, iisque provincias tradebant. Atque hoc verbis etiam dicetur, apte et Latine, sed orationis forma ad librariorum captum paulo minus accommodata, si sic scripserimus: et ceteris, præter **quibus** consules prætoresque exercitibus provinciisque præfuturi erant, prorogata imperia. Exceptis iis provinciis, quas novi magistratus habituri erant, ceteris exercituum provinciarumque præsidibus prorogata imperia dicuntur. Præter sic in exceptione pro coniunctione positi (ceteris præter rerum capitalium damnatis cet.) exempla ex Ciceronis, Sallustii, Cornelii, Suetonii libris lexica habent. Is usus ignoratus aut saltem

legentis scribentisque animo non occurrens fecit, ut quibus omitteretur (præter consules prætoresque), deinde qui adderetur (pr. coss. prætoresque qui).

Lib. XXIX.

Cap. 4, 8: Is (Masinissa) segniter rem agi questus, quod tum non iam exercitum in Africam traiecisset. (P tam non exercitum iam, additis notis, quibus iam ante exercitum ponendum esse significatur.) Prave particulæ ponuntur; qui enim, quod iam (iam tum) factum oportuerit, non esse factum queritur, necessario negationem particulæ iam præponit. Scribendum opinor: quod non iam exercitum in Africam traiecisset; nam tam ex iam transposito ortum videtur. Sed præterea post questus addendum est videtur; neque enim in hac orationis forma (— Masinissa venit; is — questus) omitti id verbum potest.[1])

(341) Cap. 5, 8: Interim Mago milites Gallis dimissis clam per agros eorum mercede conducere. Hæc verba significant Gallos dimissos esse per agros militum nescio cuius gentis; nihil enim aliud est, quo in hac scriptura referatur eorum. Apparet præterea, a Magone non Gallos dimissos esse, sed Poenos ad Gallos conducendos. Veram scripturam habent codices: Interim Mago milites Gallos, dimissis clam per agros eorum (Gallorum), mercede conducere. Fefellit editores (et librarium unum

---

[1]) Cap. 1, 22, ubi editur: trepida omnia ut inconditam turbam tironum esse, videndum ne scribi debeat: ut in incondita turba. (1863.) Cap. 2, 11: Iam missum esse ab se Cornelium Servium procella equestri hostes circumfusurum. De tollendo prænomine, quod librarius e § 8 sumptum pravo loco addidit, non dicam pluribus verbis (cfr. quæ Lahmeyer disputavit Philol. XXII p. 469 sqq.). Esse recte omiserant codd. recc. et editiones ante Weissenbornium; iam manifesto cum circumfusurum coniungi debet. (1863.)

et alterum recentiorem) participii ablativus (in mittendi verbo et compositis) interdum dure sic positus, ut, nulla subiecta sententia relativa (missis qui), audiatur subiectum infinitum (hominibus, aliquot), ut I, 31, 2: missis ad id visendum prodigium, II, 34, 3: dimissis passim ad frumentum coemendum, X, 29, 18: dimissis ad quærendum collegæ corpus, XXXIII, 11, 1: missisque Larisam ad commentarios regios comburendos, XXXIX, 35, 4. Coniunctum hoc cum indicativi eiusdem verbi usu, quo absolute mittere ad aliquem et ad aliquid faciendum dicitur, unde passive, raro exemplo, XLIV, 23, 4 ponitur: Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt (homines aliquot). [Eodem modo Iustinus XXVII, 1, 4: quum ad se interficiendam missos didicisset.]

Cap. 10, 3: nam neque usum eius ullum in præsentia esse, quum Hannibal iam in hiberna suos receperit, et tanta incesserit in ea castra vis morbi cet. Frobenius a. 1535 et post eum ceteri ante Gronovium ediderunt: nam neque usum eius ullum — esse — et tantam incessisse vim, nimis violenter; et tamen, quamvis Gronovius falsos eos dicat, ita scribere Livius debuit voluitque, quum neque posuit; duæ enim dimittendi exercitus causæ significantur, quod nullus eius usus sit, et quod alioqui periculum sit ex vi morbi. Itaque alteram hanc partem, quæ cum his nam neque — coniungi debebat, prave illis quum Hannibal — receperit, quæ priori parti subiunguntur, adnexit. Dixi de simili Ciceronis loco in orat. pro Cæcina § 2 in epistula ad Halmium, Ann. Phil. LXXIII p. 120; minus eminet et tamen offendit aberratio in Lælii § 35. Livius similiter, sed minus notabiliter aberravit in membrorum coniunctorum structura V, 25, 6, ubi sequi debebat: mentio nulla fiat, et VI, 11, 5, ubi sententiarum ordo postulabat: nemo — socius sit, et XXIV, 28, 7, ubi rectum erat: cum Romanis aut

pax aut bellum habendum esset. Similiter Gellius XIX, 1, 10, quum sic coepisset: quoniam is quidem — esset cet., transiit in hanc formam: ipsum autem — timere. (1863.)

Cap. 14, 13: Eæ (matronæ) per manus succedentes deinde aliæ aliis, omni obviam effusa civitate, turibulis ante ianuas positis — atque accenso ture, precantibus, ut — iniret, in ædem Victoriæ — pertulere deam. Neque civitate precantibus neque effusa civitate, turibulis positis, precantibus ferri potest. Recte Ussingius precantes; ablativus ex præcedentibus ablativis ortus est. (1863.) Cap. 17, 19 in his verbis: uter casus civitatis sit detestabilior recte Forchhammer litteram geminando ortam detraxit (civitati sit), ut dativus cum adiectivo coniungatur. (1863.)

Cap. 18, 16, ubi scribitur: deam sua templa defensuram, necessario tollendum est templa. Unum erat templum (et præcedit templum — ex delubro); de bonis templi et deæ agitur; qui pronomen substantive de iis positum non intellexerat, ineptum supplementum adscripsit. (1863.) § 17 Weissenbornius, quo fere inclinabat Iac. Gronovius, codices secutus edidit: aliquantum iam altitudinis excitata erant moenia; antea edebatur ad aliquantum. Aliquantum genetivo adiecto in mensura significanda accusativo casu recte poni potest; non minus enim recte I, 25, 8 scribitur: aliquantum spatii — aufugerat quam XL, 28, 4: exiguum temporis aliqua forma pugnæ fuit. Sed altitudinis nomen non magis pro mensura poni potest quam latitudinis longitudinisve (hoc est, certarum spatii regionum, quas nunc tres dimensiones appellamus) nec dici magnam altitudinem (multum altitudinis) crescere (quod contra rectissime dicitur magnum spatium fugere), sed tantum in altitudinem crescere, in magnam alt., in multum altitu-
(342) dinis; neque in ea re alia est Latini sermonis regula quam

nostrorum. Scribendum igitur: in aliquantum iam altitudinis; intercidit præpositio ob præcedens voluerunt; itidemque XLII, 15, 5 retinendum, quod est in codice: in aliquantum altitudinis derupta erat, et apud Curtium VI, 17, 21: Iam in aliquantum altitudinis opus creverat, quod Acidalius restituit. [§ 18 editur: sed et nunc et sæpe alias dea suam sedem — tutata est. In Lov. 4 et edd. ante Aldum scribitur: sed et nunc et tunc et sæpe cet.; scribi debet: sed et tunc et sæpe cet. Nunc dea nondum tutata erat templum nec poenas exegerat; ex superióris temporis memoria confiditur, nunc quoque tutaturam esse. 1863.] In proximis verbis: nostras iniurias nec potest nec possit alius ulcisci quam vos, ne quid ex prava enarratione turbarum nascatur, dicendum est, possit optative poni (atque utinam ne possit, quoniam eam potestatem nemo habiturus est nisi vestris opibus fractis); Græce diceretur: οὔτε δύναται μήτε δύναιτο. [Cfr. Verg. Æn. X, 85.][1])

Cap. 21, 5: Locrensibus se permittere (M. Pomponius prætor edixit), ut, quod sui quisque cognosset, prenderet, si quid non compareret, unde ante omnia libera corpora placere sine mora Locrensibus restitui. Sic, nisi quod suppletum est corpora, P; editur e coniectura Gronovii: — si quid non compareret, vin-

[1]) Paulo ante (§ 14) mirifici loquendi generis, quo Pleminius dicitur tribunos militum omnibus suppliciis trucidatos cruciando occidisse, frustra socius advocatur Seneca rhetor, qui hominis crudeliter occisi ipsa membra (sensim) trucidata dixit. Nihilo tamen melius, quod Gronovius finxit, trucidando occidere, quasi aliquis trucidando non occidi possit. Unus Sigonius verum vidit, qui simpliciter cruciatos occidit scripsit; nam quum errore trucidatos scriptum esset et simul vera scriptura adnotata, posterior vox utcunque ad reliquam orationem accommodata est. [Recte Rhenanus e Spir.: suppliciis cruciando occidit.] [§ 2 scribendum esse videmus enim, cum quanta cærimonia — colatis — accipiatis, non vidimus, non est quod multis verbis exponam. 1863.]

dicaret; ante omnia cet. Sed vindicationi locus non est in re non comparenti, nec indicio (nam fuerunt, qui indicarent mallent) quidquam proficeretur. Scribendum opinor: si quid non compareret, unde vellet, repeteret [repeteret Pal. 3 et edd. quædam veteres]; ante cet.; data videtur potestas apud milites quærendi. (1863.) § 10 (in oratione Locrensium): pro certo se habere, neque iussu neque voluntate P. Scipionis tot tam nefanda commissa, sed aut Pleminio nimium aut sibi parum creditum, aut natura insitum quibusdam esse, ut magis peccari nolint quam satis animi ad vindicanda peccata habeant. Recte Forchhammer alterum aut tollendum iudicavit. Duæ enim causæ separantur, aut non credidisse Scipionem, tanta esse Pleminii scelera, aut credidisse, sed parum animi ad vindicandum habuisse; prior non in duo contraria distinguitur (aut), sed duo coniuncta continet, Scipionem Pleminio nimium, Locrensibus parum credidisse; utrumque enim eandem habet vim. De additamenti genere cfr. ad IX, 9, 9. (1863.)

Cap. 22, 3. Quæ in P scribuntur: tum circa armamentaria et horratum visendum prætor legatique ducti, sic supplenda videntur: t. c. armamentaria et **horrea ad belli apparatum** visendum cet. In eo supplemento, quo vulgo utuntur, inusitate dicitur circa rem visendam. In armamentariis et horreis erat totus belli apparatus. (1863.) § 10 (ubi exponitur, quid Clodius Licinus de Q. Pleminio narraverit): patefacto dein scelere delegatum in Tullianum ex S. C. Quid significetur, constat et dicit proprio verbo Livius XXXIV, 44, 8: in inferiorem demissus carcerem est necatusque, quo item utitur Sallustius de Lentulo (Cat. 55: in eum locum, h. e. Tullianum, demissus). Sed delegare pro demittere sine ullo exemplo dicitur; quod autem suspicantur quidam, Livium id verbum a Clodio sumpsisse, etsi Livius huiusmodi obsoleta verba verborumque significationes

tantum in formularum carminibus interdum retinet, non in narrando, dici tamen cum aliqua specie posset, si ullum esset vestigium huius verbi apud antiquiores sic poni soliti; sed nullum est. Livius scripsisse videtur deiectum; ex eo factum, ut sæpissime, delectum, tum delegatum. (De- (343)
legit pro deiecit P et ceteri XXIII, 47, 6.)

Cap. 24, 4: periculum erat, ne — timor in exercitum incideret, ne simul cum rege et Carthaginiensibus foret bellandum. Nove et inusitate timor in aliquem incidere dicitur (quasi casu aliunde adveniens), qua dicendi insolentia quo minus Livium usum putemus, obstant etiam codices, in quibus est: in exercitu incederet. Scripserat Livius: in exercitu insideret (sich festsetzen). Et in P et in aliis antiquis codicibus pro insideo similibusque sæpe scribitur insedeo.

Cap. 25, 3: Cælius ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. Sic P, ex quo videtur faciendum ita in immensum, quo modo veteres loquuntur. Omissa præpositione ante im, additum videtur ad.

Cap. 26, 5. Quod in codicibus scribitur et a Weissenbornio repositum est nec tamen valde defenditur: Scipio dux partim factis fortibus, partim suapte fortuna quadam ingenti ad incrementa gloriæ celebratus, falsum esse et ordo adiectivorum apud unum substantivum (fortuna) prave cumulatorum ostendit et magnitudinis notio hinc aliena (nam facta fortia et sua fortuna quædam inter se referuntur) et incrementa gloriæ nimis nude positum. Itaque superiores edebant: ingentis ad incrementa gloriæ, non minus pravo verborum ordine nec adiectivo ei, cui oportebat, substantivo accommodato; nam incrementa gloriæ ingentia notantur, non ingentis iam per se gloriæ incrementa. Videtur Livius scripsisse: suapte fortuna quadam **in** ingentia incrementa gloriæ celebratus (ut dicitur in immensum et similia). Hausta

inter **m** et in præpositione, ex ingentia ortum est ingenti ad.[1])

Cap. 27, 12: Ubi illuxit, ventus idem coortus, nebula disiecta, aperuit omnia Africæ litora. Videndum, ne Livius scripserit omnibus. Nam omnia nihil ad rem pertinet et pravum est, quoniam omnia litora non longum unius litoris spatium, sed oræ diversæ et aliæ alio spectantes intelleguntur. (1863.)[2])

(344) Cap. 36, 7 (de proelio Hannibalis et P. Sempronii consulis P. Liciniique proconsulis): Nec mora dimicandi facta, quum consuli et duplicatæ vires, Poeno recens victoria animo esset. Animo esse alicui id, e quo fiduciam sui et animos caperet, nemo dixit; contra et alii et Livius ipse sæpissime (vid. ad XXXI, 18, 4) animos facere. Scribendum itaque animos fecisset (non, ut

---

[1]) § 6 superiores melius suppleverant scripserantque (se transire vulgaverat) quam W. [§ 8 in P est: nec classis modo —, sed tamen terra etiam omnis circa —, notato tamen ut delendo. Fortasse Livius scripsit: — sed ora etiam —. 1863.] Cap. 27, 2 amnium mentio coniuncta cum terræ marisque nomine in precibus, quibus dei maria terrasque colentes (§ 1) pro pedestri navalique exercitu invocantur, nullam excusationem habet. Utrum, quam suspicionem Weissenbornius ut nimis audacem sprevit, amnibusque ex omnibusque ortum sit in hunc locum male ex superiore delato, quum sic Livius scripsisset: sociis nominique Latino omnibusque, qui populi R. — imperium auspiciumque terra mari sequuntur, an ex paulo inferiore loco omnibus huc translatum et in amnibus mutatum sit (terra marique sequuntur, omnibus bene verruncent), in incerto relinquendum est. [Iam Heldius amnibusque damnaverat.]

[2]) Cap. 28, 8: eum — fusum pulsumque — meminerant, nec magis ducem parem quam tumultuarium exercitum suum Romano exercitui esse. Sic P; excidit, opinor, post ducem non duci, sed duci credebant. (1863.) Cap. 35, 7: Simul et a classe navales socii — simul et terrestris exercitus — est admotus. Aut alterum simul aut utrumque et Livii usus excludit; cfr. Drak. ad XXXII, 18, 3. Probabilius est, Livium simul et — et scripsisse. (1863.)

primi editores ex codd. dett. posuerant, faceret). Præterea, nisi et (post consuli) mala manu additum est, scribi debet: quum et consuli duplicatæ vires et Poeno recens v. a. f. [Sic iam Alschefskius; olim utrumque et omittebatur.]

Cap. 37, 2 scribendum videtur: (M. Livius et C. Claudius censores) viam e foro Boario ad Veneris (codd. et W. et ad Veneris) circa (editores, etiam W., et circa) foros publicos et ædem Matris Magnæ in Palatio faciendam locarunt. Inter id nomen, quo initium viæ significatur, et id, quo finis, non potest copula interponi. Videtur significari via flexu foros publicos ambiens, quoniam et Veneris ædes prope Circum fuit (X, 31, 9) et foros publicos in Circi latere aliquo et prima, ut videtur, fronte fuisse apparet e Livii libro XLV, 1, 7 (quum per Circum consul reveheretur ad foros publicos), cui testimonio adiungitur I, 56, 2 et Paulus Diaconus, foros interpretans circensia spectacula. Paulo post (§ 4) in his: id vectigal commentum alterum e censoribus satis credebant, populo iratum, quod iniquo iu- (345)
dicio quondam damnatus esset; et in pretio salis maxime oneratas tribus, quarum opera damnatus erat, credebant, extremum verbum a Livio non esse suspicor; certe incommodissime geminatur (satis credebant — et — credebant). [§ 8, ubi editur: Quum ad tribum Polliam ventum est, quoniam sequitur: et præco cunctaretur, non dubium est, quin recte Siesbyeus scribendum coniecerit: Quum — esset; cfr., quæ dixi ad Cic. Finn. p. 246. Paulo infra, ubi editur: quum ad tribum Arniensem — ventum est, etsi veri simile est Livium hic quoque coniunctivum posuisse, tamen ἐφεκτέον; nam VI, 20, 4 similiter scribitur: Quum dies venit —. Itaque XXVIII quoque, 3, 6, ubi edidi: Prima pars quum adorta oppugnare esset, præstat codd. scripturam est tenere. 1876.] Postremo § 12, ubi sic scribitur: inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit

collegæ nomen, videndum puto, ne verum sit edidit; id enim in tali hominis nominatione aut indicio rei proprium nomen est; dare nomen (suum) aliter dicitur.

Lib. XXX.[1])

Cap. 1, 9: Ariminum cum duabus legionibus (sub Lucretio Spurio eæ fuerunt) Quinctilius Varus est sortitus. Restituto, quod ante W. edebatur, fuerant, deinde, quoniam ferri nequit Lucretio Spurio (vid. supra p. 377 huius ed.), scribendum videtur aut: Sp. Lucretii eæ fuerant aut: sub Sp. Lucretio eæ f., ut post sub exciderit Sp., dein pravo loco suppletum sit. (1863.)

Cap. 4, 5 (ubi legatorum Romanorum apud Syphacem regem oratio indicatur): Proinde, seu ipsi staret iam sententia seu consulendus Hasdrubal et Carthagienses essent, consuleret. Quod pro apodosi ponitur consuleret, alteri tantum condicioni respondere, ab altera (seu ipsi st. i. s.) prorsus alienum esse Weissenbornium
(346) non fefellit. Sed quod priorem apodosin ex præcedentibus peti posse putat, id in hac orationis forma (post proinde)

1) In hoc libro minus plene enotatas nos habere codicis P scripturas, dixi supra (p. 204). In primis libri capitibus complura sunt, quæ commemorarem, nisi instituti mei ratio me ab iis, quæ alii iam recte administrarunt, avocaret. Duo tamen præter cetera miratus sum, primum cap. 2, 1 pro certissima hac scriptura, a Creverio inventa, quæ una tantum littera a P discedit: et quia, ne qua (quiantequa) classis ex Africa traiiceret, XL navibus custodiri placuerat Siciliæ oram, substitui potuisse a Weissenbornio (nam Alschefskium non curo) hanc: et quia, antequam classis cet., qua nihil perversius fingi potest, quam custodiri iuberi oram, antequam hostes aggrediantur; [omisso cum Gronovio et ante prius quia, oratio sic interpungenda est: In Siciliam — scripta, quia — fuerat; et quia, ne — oram, tredecim — duxit; ceteræ —. Ita omnis difficultas tolletur]. Alterum est, c. 3, 4 sperni potuisse scripturam ed. Mogunt.: si forte iam satias amoris in uxore — cepisset, retineri satis amoris.

et condicionum diiunctione fieri nequit; ne apud Græcos quidem in referenda oblique oratione ea ellipsis locum haberet, qua post εἰ μὲν audiendum relinquitur εὖ ἔχει simileve quid, sequente εἰ δέ. Itaque certum esse puto, post sententia excidisse aliquid (velut eam promeret) eamque lacunam notandam esse.

Cap. 6, 5 (de incendio castrorum Punicorum): ignibusque in proxima tecta coniectis effusa flamma primo velut sparsa pluribus locis reluxit, deinde per continua serpens uno repente omnia incendio hausit. Obscurum est, quo pertineat illud velut, quoniam non comparando, sed prorsus ad veritatem sparsa flamma dicitur, quæ pluribus locis relucet. Augent suspicionem codices (PM Cant. aliique), qui sparso habent, ad quod audiri ex proxima sententia incendio (quod Gronovio placuit) neque sermonis natura patitur et nihilo aptius erit velut. Excidit substantivum neutri generis; Livius scripsisse videtur: primo, velut sparso semine, pluribus locis reluxit. (Hoc ipso capite § 3 pro: quibus nihil hostile P et alii habent tantum: quibus hostile.) Sequuntur hæc (§ 6): Ambusti homines iumentaque foeda primum fuga, dein strage obruebant itinera portarum. Obruuntur, quæ exstare conspicique debent; itinera viæque non obruuntur, sed clauduntur, sæpiuntur, obstruuntur; scribendum obstruebant.

Cap. 7, 6. Locus verbo uno et altero omisso in codicibus fractus (ibi tribus una de pace cet.) in hanc formam supplendus videtur: Ibi tribus sententiis certatum; una — decernebat, altera — revocabat, tertia — erat; reparandum — censebat. (1863.)

Cap. 8, 6: Syphax et Hasdrubal (aciem adversus Scipionem instruentes), Numidicis adversus Italicum equitatum, Carthaginiensium contra Masinissam locatis, Celtiberos mediam aciem in adversa signa legionum accepere. Neque Numidicis pro Numidis

ferri potest (præsertim non addito equitibus, etsi vel sic prorsus inusitate diceretur) neque ad genetivum Carthaginiensium audiri ullo modo potest equitatu ex alio
(347) casu in superiore sententiæ parte sic posito, ut non huic membro respondeat, sed alteri (contra Italicum equitatum — contra Masinissam); recte enim scribitur: Numidico equitatu contra Italicum, Carthaginiensium contra Masinissam locato. Restat igitur, ut, quamvis audax videatur correctio, scribatur: Numidis — Carthaginiensibus [ut est in vett. editt., Carthaginiensibus etiam in ceteris ante W.], nisi potius post Carthaginiensium excidit copiis (copiis contra); et videntur omnes Carthaginienses, non soli equites, Masinissæ oppositi fuisse. Nam et Polybius (XIV, 8, 7) simpliciter τοὺς Καρχηδονίους nominat, nec Livius peditibus alium locum adsignat. Deinde autem Celtiberos mediam aciem accipere pro eo, quod est: in mediam aciem, insolentissimum habet et non ferendum loquendi genus; neque enim acies ullo modo accipitur. Neque id, cuius adiectione Weissenbornius hanc insolentiam fortasse natam putat: in adversa legionum signa, ipsum usitate dicitur; nam de instruendo contra aut adversus dicitur, in de motu, nec pro eo, quod præcedit: contra Masinissam locatis, Livius usitate dixisset: in Masinissam locatis. Nec ipsa adversorum signorum mentio tam ad ordinem et structuram aciei quam ad motum et impetum pertinet. Omissæ a librario ante mediam præpositionis in causa (m) aperta est. Itaque certum est Livium scripsisse: Celtiberos in mediam aciem [quod etiam contra Gronovium tenuit Drakenborchius], probabile: in mediam aciem adversus signa legionum accepere (aciemadversusigna, s semel scripto). Polybius: τοὺς Κελτίβηρας μέσους ἔταξαν ἀντίους ταῖς τῶν Ῥωμαίων σπείραις. [Adversus iam Rupertius.]

Cap. 9, 12 (de Tunete oppido): locus quum operibus, tum suapte natura tutus et qui et ab Cartha-

gine conspici et præbere ipse conspectum cumfusum mare urbi posset. Sic codices, quorum aliquod est momentum, omnes, quos Weissenbornius, adscita Alschefskii coniectura: conspectum in circumfusum mare, secutus, expulit superiorum interpolatam scripturam: et præbere ipse prospectum quum ad urbem tum ad circumfusum m. u. posset. Sed ipse animadvertit, non (348) dici Latine conspectum in mare pro prospectu; et tamen substantivum cum conspiciendi verbo coniugatum postulat quæsita orationis concinnitas. Scribendum erat, una littera mutata: et præbere ipse **conspectui** circumfusum mare urbi posset. Subiectum conspectui mare erat.

Cap. 10, 7 (de navibus ad Uticam a Scipione adversus Carthaginiensium impetum instructis): telorum missilium, ut quamvis longo certamine sufficerent, vis ingens congeritur. Ut dicatur recte quamvis longo certamine pro eo, quod est: etiamsi longum certamen fieret, de quo vehementer dubito, tamen non crediderim Livium tam moleste dixisse, quum facile et eleganter posset: ut quamvis longo certamini sufficerent.[1]) Inferius in hoc capite (§ 19), ubi summa eventus longioris certaminis colligitur (hoc maxime modo lacerati quidem omnes pontes), particula quidem tam prave ponitur, quum nulla minima sit causa verbi lacerati sic extollendi, ut mendum manifestum teneatur. Videtur Livius

---

[1]) [§ 4 nescio an pro poterant scribendum sit potuerant. 1863.] § 5 vellem W. tenuisset, quod in priore editione posuerat: tabulasque superinstravit, ut pervii ordines essent, quod ipse, recisis in Gronovii emendatione duabus voculis, pridem adnotaram. Nam quod nunc posuit: ita cum (pro ut) pervium ordinem fecisset, nullam habet mutationis probabilitatem. Ex ordinesessent ortum ordinefecisset, dein ordinem, tum pervium. [Fortasse hic quoque simpliciter tenenda est scriptura cod. Spir. ut pervium in totum ordinem esset, ut significetur transitum patuisse ex posteriore quaque nave in priorem ex iis, quæ una serie se excipiebant. Pervium est sic impersonaliter dixerunt Seneca de Prov. 6, 9 et Plinius H. N. V, 12.]

scripsisse: lacerati tandem omnes pontes. Medio capite (§ 15) pravam scripturam: deinde et propugnatoribus quoque Weissenbornius primum inani distinctione tueri conatur, quasi alia sit contrariorum relatio, quam quæ in uno propugnatorum nomine notetur particula
(349) quoque, deinde exemplo incertissimo vel potius certissime corrupto, lib. XLI, 24, 16. Hoc loco et ex præcedenti e ortum est.[1]) [§ 18 editur (videres —) seriem aliam simul plurium navium trahi. Neque aliam, quo referatur, habet et asyndeton pravissimum est: scindi vincula, seriem aliam trahi. Recte Ussingius: seriem etiam simul plurium navium trahi. § 20 vehementer desideratur verbum post lætitia videndumque, ne scribendum sit: lætitia fuit, et (pro sed) eo maior —. 1863.]

Cap. 12, 1 sqq. paulo plura describenda sunt, ut vitium appareat: Ibi Syphax, dum obequitat hostium turmis —, equo graviter icto effusus opprimitur capiturque et vivus, lætum ante omnes Masinissæ præbiturus spectaculum, ad Lælium pertrahitur. Cirta caput regni Syphacis erat, eoque se ingens hominum contulit vis. Cædes in eo proelio minor quam victoria fuit, quia equestri tantummodo proelio certatum fuerat. Non plus V millia occisa, minus dimidium eius hominum captum est, impetu in castra facto, quo perculsa rege amisso multitudo se contulerat. Masinissa sibi quidem dicere cet. (Sequitur consilium Lælio a Masinissa datum, ut se cum Syphace Cirtam præmittat, deinde reliqua de capta urbe et regia.) Qui hæc attente legerit, sentiet,

---

[1]) [Ad hoc et (etiam) quoque defendendum Handius Turs. II p. 523 unum Ciceronis locum excitat, unum corruptissimum Livii, unum Velleii aliter in ed. prima scriptum, unum Columellæ; nam confictam a falsario epistulam XVI inter Ovidianas heroidum non numero. Weissenbornius præter XXVI, 38, 7, de quo supra dixi, duos alios adiungit, in quibus et apertissime pro copula ponitur.]

prorsus perverse in ipsa proelii narratione inter regis casum et cæsorum captorumque numerum interponi brevem illam de Cirta hominibusque, qui eo perfugerint, sententiam, nondum commemorata fuga ex acie in ipsa castra (§ 5: quo perculsa rege amisso cet.). Nam quod Weissenbornius præparari ait, quæ § 6 et deinceps narrentur, mira vero ea est præparatio, ut initium narrationis ab ipsa divulsum et aliquanto supra retractum alius rei exponendæ ordinem interrumpat. Recta omnia erunt et facile decurrent, si clausulam illam undecim verborum ex proelii narratione detractam suo loco reposuerimus, hoc modo: — ad Lælium pertrahitur. Cædes in eo proelio — certatum fuerat. Non plus V millia — captum est, impetu in castra facto, quo — multitudo se contulerat. (Hic proelii narratio finitur; sequuntur, quæ post proelium acta sunt, initio capto a notatione loci, quo acta sunt.) Cirta caput regni Syphacis erat, eoque se ingens hominum contulit vis. Masinissa cet. Tam (350)
manifesta res est, ut vix dubitationem habituram esse credam. Accedit igitur hoc exemplum plurium simul verborum sua sede motorum et in alienum illatorum ad ea, quæ ad VIII, 10, 13 et XXII, 10, 3 notata sunt. [Quæ Weissenbornius contra disputat, prorsus inania sunt. Quidni, qui Cirtam fugerant, ignorarent regem post suam fugam, cum fugientibus ceteris obequitaret, captum? Orosius nihil, quod ad hanc rem pertineat, habet.] Paulo post (§ 8) quod nuper e codicibus retractum Weissenbornius tacite tenuit: nec minis nec suadendo ante valuit, quam rex vinctus in conspectum datus esset (pro est, quod superiores habebant), repugnat constanti Livii in hac orationis forma (non ante — quam) consuetudini, et facile frequenterque commutantur est et esset (sequente præsertim t). Idem mendum e cod. Moguntino in editiones per Gronovium venit lib. XXXIV, 8, 2: nec ante abstiterunt, quam remissa ab tribunis intercessio esset; Bambergensis et

ceteri codices recte est (intercessiost), quod ipse W. revocavit (in ed. Teubn.) et ita Livium loqui dixit. (Similis error post donec XLV, 7, 4 codicis ipsius indicio coarguitur.) [Imperfecti coniunctivi post non ante — quam, cum obscuriore quadam animi et consilii significatione positi exempla apud Livium reperiuntur V, 19, 11 (facerent), IX, 34, 2 (obruerent), XLV, 11, 3 (confirmaret); nam XXXV, 25, 3 coniunctivus (revertissent) infinitivo adiungitur, XXVI, 19, 5 (iret) simul significatur res sæpius facta, non una res perfecta, XXVII, 50, 11 (audissent) aperte ipsa hominum cogitatio oblique indicatur.]

Cap. 13, 10: (Syphax) insanisse (sese) fatebatur, sed non tum demum, quum arma adversus pop. Ro. cepisset; exitum sui furoris fuisse, non principium. Qui sic dicit (exitus furoris mei fuit, non principium), furorem suum aliquando initium habuisse, finem non habuisse significat, quod ridiculum est; ad eam, quæ postulatur, sententiam efficiendam Latine dicendum est: exitum **eum** sui furoris fuisse, non pr. Et eum desiderari senserat iam ignotus aliquis homo, cuius emendatio in codd. Harl. et Gærtn. exstat, in loco tantum particulæ inserendæ errans. Gronovium, quum locum rectius e codicibus constitueret, hoc quoque emendasse, non animadversum videtur. Quam facile eum post tum exciderit, patet.

Cap. 18, 7 (ubi narratur proelium in Gallia inter Ma-
(351) gonem et P. Quintilium Varum Mque Cornelium), postquam dictum est, equos Romanorum elephantorum adspectu territos vanum equestre auxilium fecisse, sic pergitur: et ut rempermixtus uti cuspide uti comminus gladio (cladio P) posset, roboris maioris Romanus eques erat, ita in ablatum paventibus procul equis melius ex intervallo Numidæ iaculabantur. Sic (quod quidem ad ea attineat, de quibus agitur) codices optimi iisque proximi. Edebatur vulgo: et ut permixtus; Iac. Gronovius scribendum putavit: et ut intermixtus, Weis-

senbornius: et ut rem gerens permixtus, in quibus coniecturis omnibus hoc est vitii, quod participium nominativo casu positum necessario significationem eorum, quibus eques permisceatur, postulat (dativum); in Weissenbornii coniectura præterea participia ineleganter concurrunt. Scribendum esse opinor: et ut in permixtis (in dem Handgemenge); rem ortum videtur ex per. [Potius scribendum: ut inter permixtos. 1863.] Paulo post (§ 12) in his verbis: Tum primum (sic recte Dukerus pro prima) commota hostium acies, simul omnibus peditibus, ut aversos videre elephantos, ad augendum pavorem ac tumultum effusis, vereor, ne, quod in libro X, 28, 8 accidisse suspicatus sum, peditum nomen pro equitum positum sit (omnibus equitibus). Nam et effusis et adiecta illa ad augendum pav. et tum. multo aptiora ad equites sunt (cfr. § 4: equestrem procellam excitemus oportet, si turbare — volumus); peditum omnium ordines sic dissolvi non sinebat Romanæ militiæ ratio; postremo illa: ut aversos videre elephantos, quæ de peditibus parum apte dicuntur, quoniam peditum (hastatorum) vi aversæ beluæ erant, ostendunt, redire narrationem ad equites, quos paulo ante Livius elephantorum terrori non restitisse exposuit. [Sic iam Alschefskius.][1])

Cap. 23, 4 (in sententia Q. Metelli de pace a Poenis petita): quum — nemo omnium verius existimare (352)
posset, qua mente ea pax peteretur, quam eum, qui ante portas Carthaginis bellum gereret, nullius alterius consilio quam Scipionis accipiendam abnuendamve pacem esse. Sic codices, manifesto

---

[1]) Cap. 20, 3 videndum ne Livius scripserit: Vicit ergo Hannibalem non populus Romanus, sed — obtrectatio (vulgo obtrectatione) atque invidia, ut in utroque membro dicatur, quis vicerit, non in altero simul, qua re. (1863.) § 6 pro quia — concesserant malim qui — concesserant. (1863.)

in accusativo eum orationis vitio; itaque in superioribus editionibus licenter scriptum est: quam is, qui; nuper non licenter, sed superstitiose: quam tum qui, inutili vocabulo pravissimo loco posito (non solum ante qui, sed inter quam qui, quæ arctissime cohærent); oportebat saltem dici: quam qui tum ipsum. Simpliciter tollendum erat [cum Alschefskio] pronomen eodem interpretandi studio, eadem prorsus in casu neglegentia additum, quam in IV, 32, 7 animadvertit Tan. Faber, in VI, 17, 6 alii. (Vid. p. 14 ima, p. 132 not.)[1])

Cap. 30, 8 (in oratione Hannibalis apud Scipionem): Ita aliena adpetimus (scr. cum edd. adpetivimus), ut de nostris dimicaremus, nec in Italia solum vobis in Africa esset, sed et vos in portis vestris prope ac moenibus signa armaque hostium vidistis et nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudimus. Ita P. Lacunam manifestam alii codices (si modo recte de iis tacetur) et editiones ita suppleverunt, ut scriberetur: nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset, ex quo (audita copula: nobisque) efficitur ea sententia, Romanos non solum in Italia alicubi, Carthaginienses in Africa bellum habuisse, sed utrosque circum ipsam urbem. Verum hæc subtilitas in exquirendo intervallo nihil ad rem pertinet; id pertinet, non alteriutri populo bellum in sua terra accidisse, sed utrique. Itaque scribendum est: nec in Italia solum vobis **bellum aut nobis** in Africa esset. [Rectius Wesenbergius: nec in Italia solum **nobis bellum aut** vobis in Africa esset.] Sequitur (nam plura nobis in longo hoc capite attingenda

---

[1]) Cap. 23, 6 fieri potest ut lacuna sic supplenda sit: si **ante convenisset**, quam Hannibal et Mago ex Italia revocarentur. (1863.) Cap. 24, 5: Per indutiarum tempus et ex Sardinia — centum onerariæ naves — et ab hoste et ab — tempestatibus mari tuto — transmiserunt. Primum et tollendum est; nihil enim præcedit, quo referatur. (1863.)

sunt) § 9: Quod igitur nos maxime abominamur, vos autem ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur. Condicionalis verbi modus in optaretis nullam habet rationem; nihil enim omnino ad rem pertinet, quid alio tempore alioque rerum statu (qui (353) non significatur) optaturi Romani fuerint; id unum alicuius momenti est eique, quod de Poenis contrarium ponitur (nos maxime abominamur), respondet, fieri id, quod aut Romani nunc optent aut semper optaverint aut optare eos oporteat, hoc est: vos autem ante omnia optare debetis. In proximis tria a Weissenbornio post Alschefskium, dum codicibus superstitiose obsequuntur, graviter peccata sunt; omninoque, si Alschefskius hunc tricesimum librum non edidisset, nonnulla Weissenbornium spreturum fuisse credo, quæ ab illo homine e codicibus recepta eiicere non sustinuit. Nam primum (§ 10) Hannibalem inducit de se sic loquentem: Quod ad me attinebat, iam ætas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, iam secundæ, iam adversæ res ita fraudaverunt, ut rationem sequi quam fortunam malim. Et in attinebat, quod perspicue pravum est (pro attinet), quoniam id agitur, qualis nunc Hannibal sit (et sequitur malim), comparari iubet XXVIII, 44, 12, ubi et manifestum et ab ipso expositum est, pertinebat de alio tempore ac condicione dici (si — perficeretur —, pertinebat), ut ne umbra quidem similitudinis sit. Fraudaverunt autem primum ita enarrat, quasi idem sit atque fallere, a cuius verbi significatione certo fine fraudare seiungitur; nam ad privandum et spoliandum aliquem semper pertinet, neque minus ridicule Latine fortuna aliquem fraudare dicitur, quam si Germanice dicas bevortheilen; deinde non animadvertit, fallendi notionem prorsus non posse simul ad secundas et ad adversas res accommodari, nedum ad ætatem (iam ætas — iam sec., iam adv. res, quæ particulæ repetitio etiam

zeugmatis adhibendi conatum excludit). In tantas ineptias hominem eruditum induxit mendum ortum primo ex littera **e** in **f** mutata (frudiverunt, unde factum fraudaverunt), quum recte superiores editores omnes erudi-
(354) verunt scripsissent.[1]) Tum § 11 ex iisdem codicibus restitutum: non temere incerta casuum reputat, quem nunquam fortuna decipit, absurda sententia. Si quem enim fortuna nunquam decipit, ad eum incerta casuum nihil pertinent. Ad adolescentiam nondum fortunæ varietatem expertam significandam necessarium est perfectum. Nihil frequentius commutatur quam hæ perfecti præsentisque temporis formæ sola littera **i** et **e** distinctæ (eiecit, effecit, excepit, cet.), cuius rei exempla iam supra quædam occurrisse memini. [Adv. Crit. II p. 313, 352, 499.][2]) Sed ab hac errorum reprehensione, in quam loci propinquitas nos avertit, redeamus ad nostra. Unum enim in hoc capite et in hac Hannibalis oratione (in qua media, § 14, codex P deficit) restat commemorandum. Nam quod § 26 scribitur: Carthaginienses inclusi Africæ litoribus vos, quando ita dis placuit, externa etiam terra marique videamus regentes imperia, in eo neque externa imperia placent pro populis gentibusque Romanorum arbitrio parentibus dicta neque terra marique imperia regere; neque enim video, quomodo imperia mari regantur. Scripserat, opinor, Livius: externa etiam terra marique videamus regentes **imperio**. (Tu regere imperio populos,

---

[1]) Contrario errore quum apud Festum (v. Lacus Lucrinus p. 121) ex fruendus factum esset eruendus, nata est mira interpretatio, ut eruere accipiatur de purgando lacu (vere eruuntur, quæ obruta extrahuntur); quid dicam, lacum Lucrinum non quinto quoque anno nec statis temporibus purgatum esse?

[2]) In eodem genere aberratum est ab Alsch. et W. c. 34, 8, a quo loco alienissimus est infinitivus historicus (accipere — eiicere pro accepere — eiecere).

Romane, memento. Verg.)[1]) [In § 17 quum antea mendum me corrigere posse negassem, a. 1863, cognito, codices Colbert. et Bamb. habere inferentem moenia, non, quod ex ceteris proferebatur, inferentem ad moenia, lacunam manifestam sic notavi: Quem modo — signa inferentem moenia Romana*, hic cernas duobus fratribus cet. explendamque fortasse verbo tremuerunt significavi. Nam neque in comparatione huiusmodi ex cernas sumi potest cernebat, neque Scipio id viderat. Sed restat coniunctivus cernas causa carens. Itaque for-

---

[1]) In § 23, quem locum nunc codicum C et Bamb. auctoritas confirmat recte scribi, quemadmodum inde a Frobenio a. 1535 editur, ceteris codicibus longissime aberrantibus, quod Weissenbornius in codicibus ait esse: efferente se fortuna, neque apud Drakenborchium neque apud Alschefskium (in editione libri XXX) quidquam de eo reperio; sed etiamsi in omnibus codicibus, bonis malis, absit lineola litteræ m index, neque ablativi neque cohibendo sine accusativo positum ferri potest. Se in vera scriptura (efferentem se fortunam) nihilo minus ad fortunam refertur. Quoniam in hoc capite aliquoties aliorum errores castigavi, addam, me ipsum in proximo superiore capite (29) § 4 (Hannibal nihil quidem eorum — læto animo audiit, maxime hostis fiducia — perculsus) non recte olim probasse scripturam Lov. 2, quam etiam W. secutus est, pro si, quod in reliquis codicibus post maxime additur, scilicet præbentis. Verum id hoc loco, ubi concessioni (nihil quidem) superadditur aliud maius, poni non potuit. Quid subsit, nescio; ad Livii consuetudinem aptissimum esset: — audiit; ceterum maxime — perculsus est; sed eo vestigia non ducunt. Cap. 31, 1 Livianum non est per adventus tui spem pro: adventus tui spe, addito præsertim genetivo; itaque in habere (C) aut auere (Bb.), quod codices ante adventus addunt, aliud latet, quum præsertim spe — spem in hac eleganti orationis forma vitiose concurrant. Vid. Addenda. § 8 ferri nequit prope manus consertum, non solum quod, ad quam rem Hannibal revocatus sit, non agitur, sed maxime propter prope, quæ particula aperte pertinet ad vim pæne adhibitam restitanti. Recte igitur superiores consertum (ortum ex restitantem) in conserta mutaverant.

tasse scribendum est: — in omnes casus sum, quum, quem — tremuerunt, hic cernas.]

(355) Cap. 32, 5 (de animis militum, quum proelium ad Zamam dinituri erant): contemplantibusque modo suam, modo hostium aciem, quum oculis magis quam ratione pensarent vires, simul læta, simul tristia obversabantur. Si stolidi oculis, non ratione, pensassent vires, nihil aliud nisi suorum et hostium multitudo occurrisset; mirandum tamen esset, cur Livius hunc stuporem commemoratione dignum putasset. Sed et quæ præcedunt et quæ sequuntur, ostendunt, eum hoc narrasse, militum animis totius belli eiusque casuum memoriam obversatam esse eosque varie affecisse. Itaque ante multos annos adnotaveram scribendum esse: quum **non** oculis magis quam ratione pensarent vires; idemque Weissenbornio in mentem venisse, nunc video, nec tamen firmiter conprehensum esse. Similem orationis formam hæc habent in XLII, 14, 2: præoccupatis non auribus magis quam animis. Contrariam sententiam Livius posuit VI, 13, 1: multitudo hostium, nulli rei præterquam numero freta et oculis utramque metiens aciem.

(356) Cap. 35, 4 et 5: Hannibal — Hadrumetum perfugit, omnia et in proelio et ante aciem, priusquam excederet pugna, expertus et confessione etiam Scipionis omniumque peritorum militiæ omnem illam laudem adeptus, singulari arte aciem eo die instruxisse. Sic codices, nisi quod Bambergensis (non C) et Lips. et post proelio omittunt; sed frustra figuræ auxilium advocatur in defendendis illis ante aciem; nam ut Livius temporis ordinem inverterit, tamen non potuit interpositis illis ante aciem separare ea, quæ arctissime cohærent: in proelio, priusquam excederet pugna; et quæ ante aciem Hannibal ad vincendum expertus est (nam ea sola res hic agitur, exclusis illis, quæ

ad pacem componendam tentata sunt), ea continentur aciei structura, quæ post commemoratur. (Ante aciem de loco accipi posse, miror cuiquam in mentem venisse, quasi, quæ dux ante aciem pugnantium versans fortiter agat, ea non in proelio fiant, aut (si omittitur et) Hannibal per totum proelium ante aciem versatus sit.) Ni fallor, tollendæ sunt voces et ante aciem, additæ ab aliquo, qui, quum non intellegeret, uno orationis membro omnia hæc contineri: omnia et in proelio, priusquam exc. p., expertus, eique respondere alterum hoc: et confessione — adeptus, singulari arte cet., desideravit, quod illis et in proelio contrarium referretur. [Parum hoc probabile. Potius scriptum fuit: et in proelio et labante acie aut simili forma. 1876.] Quid in vitioso illo omnem lateat, nescio. [Hominum? Jensenius.]

Cap. 36, 8 eiusmodi mendum coarguendum est, in quo, (357) etsi manifestissimis indiciis convincitur, tamen multos difficulter fidem habituros prævideam, quod prorsus singularem ad veritatem imitandam speciem casus effecit. Nam sic scribitur: Inde (ab Utica) procedentibus ad Tunetem (Scipioni et Octavio) nuntius adlatus, Verminam, Syphacis filium, cum equitibus pluribus quam peditibus venire. Pars exercitus cum omni equitatu Saturnalibus primis agmen adgressa Numidarum levi certamine fudit. Exitu quoque fugæ intercluso, parte omni circumdatis equitibus, XV millia hominum cæsa cet. Permirum ac potius incredibile accidit, Livium, qui neque, quo die ad Trasumennum aut ad Cannas pugnatum esset, indicandum putarit (ne proelia ad Ticinum aut Trebiam commemorem), neque, quo die in hac ipsa Africa ad Zamam debellatum, scivisse et adnotandum iudicavisse, quo die in itinere et proelio fortuito Vermina, quæ accessio belli fuit (c. 40), victus esset, quum præsertim patris Syphacis non solum victi, sed capti diem non indicaverit, cuius memoriam superfuisse scimus

(ex Ovidii Fast. VI, 769). Auget non leviter admirationem rei in Africa gestæ notatio ex die festo urbano. Sed quod caput est, non potuit aut Livius aut quisquam sanæ mentis scriptor diei notationem eo loco, quo posita putatur, interiicere in media pugnæ descriptione inter copiarum, quibus pugnatum est, appellationem (pars exercitus cum omni equitatu) et participium cum ea coniunctum, quasi notandum fuerit, non quo die tota res acta, sed quo die pars exercitus agmen Numidarum aggressa esset. Aut ante tempus notandum erat (Inde primis Saturnalibus procedentibus cet.) aut postea seorsum eius mentio addenda. [Nulla omnino illa ætate erant Saturnalia prima, sed unus festus dies. Et tamen, si Livius hoc posuisset, ex antiquo fonte retinuisset.] Itaque Saturnalia illa prima manifestum est orta esse et composita ex fractis reliquiis aliorum verborum (quemadmodum illas in libro XXII, 16, 4 fortunæ minas). Quid Livius scripserit, subindicat illud pars exercitus; prope enim necessario significandum
(358) erat, quid reliquus exercitus fecisset. Scripserat autem in hanc fere formam: Pars exercitus cum omni equitatu, **iter continuantibus** primis (**maturantibus** primis?), agmen aggresa Numidarum cet. Ea exercitus pars, quæ prima erat, iam prætergressa iter continuavit, quum posteriores cum equitatu in Verminam converterentur.[1])

[1]) § 10 necessario revocandum: et quanta res esset et quam longi temporis cet. Excidit et post esset; contra c. 37, 8 in iisdem codicibus, geminatis litteris, post movisset additum et. [Cap. 37, 7 mallem Livius scripsisset: Has condiciones legati domum referre iussi, quum in contione cet. Nam in verbis in contione conversio narrationis fit; participium ad superius tempus pertinet. Cap. 38, 1 Forchhammer probabiliter quæstor scribendum coniecit; unum enim significari Scipionis quæstorem, Lælium. 1863.]

Cap. 40, 4: Tum patere facta gratulatione omnia in urbe templa. Sic post Alschefskium Weissenbornius edidit, illato in hunc quoque locum pravo infinitivo historico; significatur enim res semel iussu magistratuum perfecta. Gronovius et Drakenborchius, codices suos, qui in hac parte deteriores omnes erant, et veteres editiones omnes secuti patuere scripserunt; in optimis codicibus (C, Bamb.) paterfacta est. Veram scripturam, una littera ab hac distantem (patefacta), coniectura repertam habent codices Lov. 3 et Gærtnerianus, tum editio Frobenii a. 1535 et aliquot eam secutæ; alioquin (in quo hæsit etiam Weissenbornius et ante eum Gronovius) templa gratulatione iam facta patuisse dicuntur, quæ, ut gratulatio fieret, patefacta esse consentaneum est. (Cfr., quem locum Gronovius excitavit, Ciceronis ep. ad Fam. XI, 18, 3: gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus.) Sed offendit Gronovium, nec iniuria, ablativus incommode et vitiose positus in hac scriptura: patefacta gratulatione templa; verum is ablativus ipse ortus est, quum, distracto prave vocabulo, scriberetur (pater) facta. Scribendum erat: Tum **patefacta gratulationi** omnia in urbe templa.[1]) (§ 13 eodem, quo adhuc, iure im- (359)
perio in C, Bamb., Lips. potest ortum esse ex iure imperii, quod editur, sed potest etiam et post **e** excidisse fuisseque olim: iure et imperio.)[2])

---

[1]) Et hoc loco et magis etiam in c. 30, 23 apparent in edit. Frobeniana vestigia adhibiti [etiam post caput 16, ubi Spirensis et Rhenani notæ desinunt,] melioris codicis.

[2]) Cap. 41, 1 si boni codices haberent prætoribus pro prætori, simile esset anacoluthon ei, quod c. 40, 5 legitur; sed Alschefskius tacet. Cap. 42, 7 neque ipse pravum est, quoniam Macedones nihil immite aut inclemens dixerant. [Cod. B: respon ... responsum tulerunt, mediis deletis; codd. recc., si silentio fides: responderent ipsi ante responsum. Manifesta est lacuna, sic fere explenda: — responderent, ipsi non anceps responsum tulerunt.]

Cap. 43, 3 edebatur vulgo: de pace uti rogassent, omnes tribus iusserunt, et sic Colb. et plerique codices; Bamb. et edit. Frob. 1535: uti rogatæ erant omnes, quod Weissenb. tenuit. Ipsa discrepantia ostendit subesse, quod Sigonius voluit quodque præceptum erat coniectura in codd. Lov. 4, Voss.: uti rogas, omnes. Eadem forma (etiam de legibus a duobus pluribusve latis) in narrando ponitur, consentientibus optimis codicibus, VI, 38, 5, X, 8, 12, teste autem cod. Bambergensi XXXIII, 25, 7, ubi Moguntini ediderunt uti rogatæ; XXXI, 8, 1 editio Mog. uti rogarat, Bamb. uti rogaret; XXXVIII, 54, 12 editur uti rogassent, iusserunt; Bamb. nos deficit; Moguntinus quid habuerit, ignoratur; sed varietatem et mendum ostendit Lov. 1, in quo est: „omnes tribuni vel rogate iussi erant et est planior testus [textus] rogassent, iusserunt". Fuerat uti rogas. (1863.)

Cap. 44, 7 (in oratione Hannibalis, postquam dixit, tum Carthaginienses concidisse, quum adempta illis arma sint, naves incensæ, interdictum externis bellis): Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. Nulla magna civitas diu quiescere potest; si foris hostem non habet, domi invenit. Sic edebatur sine varietatis adnotatione (nisi in diu); Alschefskius in cod. Bambergensi scribit esse: nec esse est in uos, in C: necesse est ne uos; ipse posuit: necesse est in vos cet. Quam nulla esset in vulgata scriptura sententia (præterquam quod vitiosum esset nec credatis pro nec credideritis), exposui in Opusc. Acad. II p. 106[1]); quamquam

[1]) „Ut possint verba hoc significare: Nec Romanos ideo tam acerbe in vos statuisse putaveritis, ut odium suum explerent (non possunt autem; nemo enim unquam sic dixit: consulere in aliquem odio eius, nec Livius odium vestrum pro odio vestri posuit), sed ut possint, quid absurdius quam Hannibalem induci Romanos defendentem et crudelitatis crimen ab iis amoventem?" Alschefskius tamen prope absurdiora excogi-

ipsi editores in ea expedienda nullo modo sibi satisfecerant. Ostendi illic, et ex iis, quæ præcedunt, et ex iis, quæ sequuntur (nulla magna civitas cet.), apertissimum esse, Hannibalem non de odio loqui, sed de otio, et hanc esse sententiam, falsa et inani consolationis specie ludi, si qui illa armorum naviumque ademptione et bellorum inter- (360) dictione otio suo consultum putarent; pro externis enim bellis internas turbas sævituras esse. Itaque scribendum esse dixi: nec est, cur vos otio vestro consultum ab Romanis credatis. Ac Weissenbornius, quum in editione Teubneriana scripsisset, „idem, quod ego vellem, codicum lectione maiore etiam vi indicari“ (quod quale sit, ne per umbram quidem intellego), postea edidit: nec causa est, cur vos otio vestro c. a R. c., adiecto ad meam emendationem vocabulo causa, credo, ut propius accederet ad necesse est; ego hoc prava coniunctione (necest), dein geminatione litterarum ortum esse puto, quemadmodum c. 21, 9, quum ex nec esse factum esset necesse, additum est fuit. Sed tamen adeo non firmiter Weissenbornius verum tenuit, ut, relapsus ad odium, Livium fortasse scripsisse suspicaretur: nec causa est, quin odio. Quid erit igitur hoc, Romanos consuluisse odio Carthaginiensium?

Cap. 45, 7 edebatur: nequaquam victoria pares (homines) insignes imaginum titulos claraque cognomina familiæ fecere. Weissenbornius e Bamb. posuit nomina familiæ liquerunt, verbo poetico et inusitato, quo Livius omnium minime librum conclusissset; agitur de cognominibus, non de nominibus. Pall. 1 et 2 cognomina familiæ habuerunt; Colbertinus cognomina familiarum

---

tavit, odio Carthaginiensium consulere esse: id spectare, ut Carthaginienses odiis intestinis se conficiant et perdant, et necesse esse, Carthaginienses credant, hoc Romanos velle.

fecerunt, proxime ad verum accedens; efficitur enim: cognomina familiarum **ceperunt**, correcto eodem mendo, quo XXXIII, 27, 10 in Bamb. pro ceperunt scribitur fecerunt et VII, 6, 9 interfecissent pro intercepissent. Si fecerunt (fecere) verum esset, necessario dicendum erat familiis plurali numero; familiarum convenit cum imaginum. Apparet in cod. arch. verbum obscuratum fuisse, in B et Pall. 1, 2 interpolando mutatum. (1863.)

EMENDATIONUM LIVIANARUM

PARS TERTIA

LIVII LIBRORUM DECEM A TRICESIMO PRIMO AD QUADRAGESIMUM EMENDATIONES CONTINENS.

PROOEMIUM.

Quartæ Livii librorum decadis, hoc est, servatorum librorum tertiæ, codices vulgares præter communem summæ depravationis labem interpolationemque eo quoque indicio manifestissimo in unum gregem includuntur, quod omnes libro tricesimo tertio carent et (nisi quis, ut unus apud Drakenborchium Lov. 3, iam paulo ante desinit) extrema parte libri quadragesimi inde a c. 37, 3. Ab hac turba duo separantur codices, qui salutem huic Livii parti attulerunt, Moguntinus et Bambergensis. Sed de codice Moguntino (ex bibliotheca ædis cathedralis), quoniam post sæculum sextum decimum non comparuit, tantum scimus, quantum primum Nic. Carbachius et Wolfgangus Augustus (enotata in fine editionis Livii Moguntinæ a. 1518, in qua primum hinc posterior libri XXXIII pars descripta est, scripturæ varietate, pro illius ætatis modulo copiose, sed minime ad nostræ ætatis legem aut plene aut distincte) tradiderunt, deinde Sig. Gelenius (qui in editione Frobeniana a. 1535 codice ipse cum egregio fructu usus est, et non pauca a Carbachio omissa addidit, non recte posita correxit).[1])

---

[1]) Carbachii scripturæ adnotationem Kreyssigius in edit. libri XXXIII repetendam curavit.

(362) Itaque, præterquam quod nescitur, minora quædam, quæ in ed. Moguntina et Frobeniana sine adnotatione novantur, sintne e codice ducta an coniectura aut etiam casu orta, et quod in iis quoque, quæ tradita sunt, erratum esse potest (quod maxime suspicor accidisse in partibus hinc primum editis,. ut ne Gelenius quidem omnia recte legerit), certum est, non pauca omissa esse, quæ aut simpliciter probanda fuerint aut e quibus vestigia rimando (quemadmodum XXXVI, 25, 7, XXXVII, 41, 2 aliisque locis facere conatus sum) verum erui potuerit.[1] E codice Bambergensi, qui post editam inde initio sæculi septimi decimi priorem libri XXXIII partem neglectus iacuerat, post parum accuratam et scitam Goelleri operam (a. 1822) Io. Th. Kreyssigius in editione libri XXXIII (a. 1839) varietatem scripturæ ad omnes libros sic enotavit, ut nihil desiderari videatur. A codicis Moguntini, qui sine dubio Bambergensi aliquanto fuit antiquior, propinqua cognatione Bambergensem (et ceteros) secernunt primum proprii quidam in summa alioquin præstantia Moguntini ex interpolatione nævi, quorum nullum in Bambergensi (ceterisve) vestigium est (in quo genere nihil apertius est quam in XXXV, 4, 3 ad hæc verba: agmine incauto ut inter pacatos additum agros aut in XXXVIII, 3, 3 hæc: Amphilochia

---

[1]) Gelenius et in præfatione et in notis (ad XL, 39, 8 et 41, 10) queritur, qui ante se codice usi essent, scripturam lectu difficilem non satis semper perite diligenterve expedivisse. Aperte contraria Carbachio scribit, ut his utar, ad XXXVI, 22, 7 (amniculo Gel., amnis latere Carb.), 24, 6, XXXIX, 3, 2 et 5, 9 et 18, 8. Interdum propter ambiguam quandam Gelenii scribendi brevitatem et varietatem iniuria dubitatum et olim et nuper est, utrum ea, quæ a se correcta scribit, codici an coniecturæ debeantur. Qui ad totam Gelenii consuetudinem attenderit, non dubitabit, quin, ut XXXV, 23, 11 („Antiqua scriptura equi duo“ cet.), sic etiam XXXVI, 23, 7, XXXVII, 53, 4, XXXVIII, 28, 8 et 59, 6 et 7 codicem secutus sit. Est tamen, ubi codicis scripturam coniectura adiutam non negem, ut XL, 14, 2 (gaudio).

recepta; nam fuerat quondam Ætolorum sic expleta: nam fuerat quondam in Ætolorum imperio, (363) tum in XXXVII, 48, 6 substitutum adiecit pro subtexit et XXXIX, 4, 8 notissimæ pro nobilissimæ)[1]), deinde antiquæ et veræ scripturæ in Bambergensi servatæ, quæ in Moguntino non fuerunt. Quamquam enim permultæ, quæ nunc e solo Bambergensi notantur, ibi esse potuerunt (velut ipsæ illæ in initio libri XXXIV gemmulæ c. 2, 10 sine tutore auctore, c. 4, 18 exorabilis es et aliæ), relinquuntur tamen aliæ, in quibus dubitari nequeat, ut egregia illa in XXXVI, 25, 3: regionem maxime Oetæ spectat, oppido quam breve intervallum, ubi Gelenius in Moguntino testatur esse: regionem ea maxime despectat oppidum, qua breve intervallum). Postremo idem declarant retenta maxime in libro XXXIII plura, quæ in Moguntino exciderant (collegit ea Kreyssigius præf. p. IX sqq.). Cum Bambergensi ita coniunguntur codices vulgares, ut appareat eos non ex ipso Bambergensi, sed ex alio simili ortos esse et sensim degenerasse. Sed in communi illo parente, ex quo et Bambergensis et deterio-

---

[1]) [„Huius antiquioris et simplicioris interpolationis, formam orationis non recte mutantis, alia exempla aut manifesto tenentur aut probabili suspicione deprehenduntur his quoque locis: XXXVI, 17, 5 bellicosissimæ pro ferocissimæ, quum præsertim duobus post versibus sequatur rex bellicosissimus, XXXVII, 28, 1 in agris pro in oculis, XXXVIII, 2, 6 concitatoque agmine, 28, 4 pluviæ pro aquæ, 42, 11 væendentes pro venditantes, 52, 2 ut res esse inciperet pro ut reus esse sciret, XXXIX, 20, 8 nec prius pro prius. Maiorem dubitationem habere videntur alia quædam, ut XXXVI, 17, 1 occupata pro insessa et XXXVII, 26, 10 detinebat pro offendebat, minus, ut videtur, ad sententiam aptum. Mire XXXIX, 36, 8 pro eo nomine, quod ceteri habent (Q. Cæcilium) rei et superiori narrationi conveniens, substituitur in Mog. P. Sulpitium; nam XXXIX, 19, 4 in mirifico illo: neve censor Licinius equum publicum assignaret potest subesse aliqua ex parte Carbachii legendi error.“ Ex præf. Livii vol. III fasc. 2.]

rum princeps ducti sunt, iam initium factum erat propriæ cuiusdam labis. Ac coniunctionem quidem hanc labisque communionem demonstrant quum lacunæ verborumque omissiones (quo genere vitii vel maxime vulgares premuntur) multæ partimque insignes Bambergensis et vulgarium communes, quæ ex solo Moguntino expletæ sunt, velut in XL primis capitibus libri XXXIV hæ: in cap. 7, 2 (hic Romæ infimo generi, magistris vicorum), c. 16, 1 et 2 (ubi plus quinquaginta voces omittuntur), c. 16, 5 (vinoque et cibo curatos), c. 21, 8 (in Hispania), c. 27, 4 (Dromon ipsi vocant), c. 31, 4 et 6 (video et eam), c. 32, 12 (civibus), c. 34, 2 (illud modo ne fallat), c. 36, 3 (prædatoriis), tum menda erroresque formæ ad indicium perspicuæ et certæ permulti, velut XXXVI, 23, 7 et expectatio temporis pro et ex ratione temporis (omisso in Bambergensi etiam consul, quod in ceteris retinetur) aut c. 24, 5 qua progressi erant pro his: in
(364) qua ædificia extra urbem erant, et eiusdemmodi permulta. Nescio tamen, an nihil ad totam rem declarandam et ad ostendendum, quam ex pusilla origine error sæpe in archetypo Bambergensis et vulgarium ortus pervagetur, magis perspicuum sit quam quod in XXXIV, 57, 8 accidit. Nam quum Livius scripsisset, quod in Moguntino servatum est: ex FORMULA iuris, ex F natum est, ut sæpissime, E duæque litteræ separatim acceptæ, eo; tum ex rmula, quod restabat, factum est simul a, quod (ex eo simul a) codices Palatini et quinque Drakenborchii habent; accessit deinde emendandi conatus, ex æquo (ex equo), deleto a; codicis Bambergensis librarius, ut alibi quoque facit interdum, pro corruptis vacuum spatium reliquit. Atque hic locus tamen simul vel unus satis declararet, vulgares codices non ex Bambergensi ipso ortos degenerasse; neque enim ex vacuo spatio illa ex eo simul a aut ex equo simul nasci potuerunt; sed idem declarant (præter omissionem libri XXXIII) apertissime non plura in vulgaribus

quam in Bambergensi omissa (nam ea post excidere potuerunt) aut adiecta interpolatio (ut XXXIV, 22, 2 pro ceteri omisso bello in B scribitur ceteri misso, in vulgaribus ceteri omnes), sed, ne alia corradam indicia, permulta in B hic illic omissa verba, quæ vulgares recte tenent, ut XXXIV, 14, 3 (feci inter spatio vacuo relicto), 27, 8 (citari, nullo spatio), 29, 6 (eius, spatio relicto), 31, 17 (nihil), 32, 9 (eduntur, spatio relicto), 39, 2 (undecim verba, nullo spatio). Apparet, codicis Bambergensis scribam, quum codicem cum vulgarium principe cognatum aut etiam eius parentem sequeretur, alia sæpe, quæ legere non posset, omisisse, notata omissione, alia, ut fit, imprudentem præterisse, quæ in vulgarium principe servata sint. Contra in vulgarium principe nescio quo casu intercidit totus liber XXXIII. Codex igitur Bambergensis origine a Moguntino seiunctus et cum vulgaribus coniunctus nec ab omni labis etiam gravis cum his communione liber, quamquam in universum Moguntino cedit, tamen, quod recentiorum illam depravationem vitavit, locupletis testis locum obtinet, qui et Moguntini auctoritatem multis locis insig- (365)
niter confirmet, aut plane cum eo conspirans (velut XXXV, 36, 3 spectatorum pro perpaucorum, XXXVII, 54, 8 in servitutem, ubi in vulgaribus lacuna est, ibid. 12 æquare pro præferre, XXXVIII, 8, 6 ut parceret urbi, ubi lacuna est, 17, 9 mixti et Gallogræci vere, quod appellantur pro variis erroribus) aut prope accedens (ut XXXVIII, 17, 12 sita servat, pro Tarentinis habet in his), et sua propriaque bona servaverit, quibus illum interdum vere vincat, quamquam sæpe tantum specie præstat, quod de Moguntino tacetur. Et in tricesimo tertio quidem libro, in quo primo comparatio fit, codice Moguntino, quemadmodum quidem hic lectus et expressus est, etiam superior videtur et scriptura et lacunis explendis; in libri etiam XXXIV priore parte intra breve spatium complures egregias scripturas præbet, quæ e Moguntino saltem

non adnotatæ sunt (c. 2, 2, c. 4, 18, c. 6, 7, ubi vestigia veri servat, c. 11, 4, c. 13, 7, c. 19, 8). In reliquis libris paulo fortasse plus labis suscepit (in quo animadvertendum est, primum in libri XXXIV, 62, deinde in libro XXXV, 33 mutari librarii manum, posteriore loco etiam nonnihil vocabula scribendi rationem) pauloque rarius exsplendescit, in universum tamen locum tuetur (in extremi, quem habet, libri XXXVIII primis viginti capitibus ter solus veram scripturam præbet, 13, 4 vi cepit, captum, quod Bekkerus restituit, 16, 3 vectigales, c. 17, 5 adsueti).

Ad codicum igitur Moguntini (M) et Bambergensis (B) fidem (quibus tamen coniunctis tantum a libro XXXIII, 17 ad XXXVIII, 46 utimur) dirigenda est horum decem librorum emendatio, spreto vulgarium inani consensu, qui aliquoties Gronovium, quum solos huius generis codices tractasset necdum Bambergensem nosset, ad coniecturas difficiles tentandas impulit, ubi Gelenius vera e Moguntino posuerat, torsitque etiam nuper interdum Weissenbornium, causam errorum in vulgaribus nimis severe exquirentem et (866) desiderantem, quæ quam sæpe levis ac futilis in facillimis rebus se obtulerit, satis ostenditur uno illo exemplo, quod supra posui ex XXXIV, 57, 8, cui alia addere facile erat. Atque eum errorem interdum etiam ad Bambergensem pertinere ostendi, ut ne is quidem a recta et simplici Moguntini scriptura et ad rem orationemque apta nec ullam interpolationis notam continente longe et mire discedens semper dubitandi causam habeat. Ceterum libera relinquitur utriusque comparatio, sententiæ orationisque momentis et errandi probabilitate iudicanda. Tantum quod Weissenbornius semel et iterum (velut ad XXXVII, 39, 11) bonam Moguntini scripturam, a qua mire aberrant vulgares (interdum, ut in illo ipso libri XXXVII loco, etiam Bambergensis), viri docti coniectura et correctione natam putat, tenendum est, nihil omnino aut iis, de quibus agitur, locis aut aliis in Moguntino reperiri, quod ullo modo coniectando

ex vestigiis corruptæ vulgarium scripturæ ortum videri queat aut cum eorum labe ullam habeat cognationem. Apparet, in libro XXXI, XXXII, priore parte XXXIII, ubi Moguntino caremus, non paulo infirmius fundamentum esse, quam postea, et plura in incerta suspicione relinquenda. Quam vitiosæ e levissimo errore scripturæ et M et B insideant, exemplo esse potest in libro XXXVII, 51, 9 averterunt fama(m) [sic etiam M, Carbachio silente] pro a vetere fama ortum. [Quum in comparatione et æstimatione codicis Moguntini et Bambergensis ceterorumque etiam post ea, quæ supra scripta sunt, aberrari et incerta fluctuantique sententia iudicari viderem ad rem explicandam veritatemque stabiliendam plura disputavi in præfatione Livii a me editi vol. tertii fasc. prioris, quæ huc integra transferenda puto. — „Quod enim codex Bambergensis et exstat et diligenter collatus multa, quæ olim solius Moguntini fide nitebantur, sua auctoritate confirmavit et nova bonaque non pauca obtulit, Moguntini contra, qui non comparet, tantum scripturas ante tria sæcula minime plene excerptas tenemus Bambergensique a Moguntino discrepanti adhæret fere codicum vulgarium turba cum eo originis communione copulata, homines autem raro argumentorum vi freti bono, sed longinquo testi et uni contra præsentem, aliorum speciem secum trahentem, firmiter credere audent, factum est, ut Weissenbornius in Livii a se editi et enarrati volumine VII et VIII (1860 et 1862) et subinde codicem Bambergensem, quem primo inter omnes loco ponit („die beste Handschrift"), Moguntino iniuria aperte præferret et in aliis locis non paucis, ubi in ipsa oratione, quasi convicio veritatis victus, scripturas Moguntini teneret, tamen in adnotatione et inanes coniecturas ex ceteris duceret et pravas interpolationis suspiciones in codicem Moguntinum coniiceret dubitationesque moveret, quas sæpe vel ipsa illorum locorum forma et codicum in iis comparatio reprimere debuerat, multo autem magis totius rei consideratio. Quid est enim, si singulos tantum locos

consideramus, perversius quam quum, ut hoc utar, libr. XXXV, 2, 7 in codice, quod omnes concedunt, perantiquo et cui permultis locis credas, sic scriptum legatur: placere tumultuarios milites extra Italiam scribi a prætore. Mens ea senatus fuit, ut in Hispania tumultuarii milites eligerentur, optima oratione et sententia extremorum verborum aptissima ad ea præparanda, quæ subiiciuntur Valerio Antiate teste de militibus etiam ex aliis provinciis adscitis, in ceteris autem codicibus (B et vulgaribus), quos persæpe verborum omissione peccare necessario ipse confiteare, sic: placere tumultuari milites extra Italiam legerentur, oratione prava (neque enim de decretis dicitur usquam placere hoc fiat),[1]) hoc „fortasse rectius" putare, quum, cui homini et quo consilio illa addere in mentem venerit, nemo ne suspicari quidem possit, cur autem omissa sint, causa manifestissima sit; oculus enim scribentis sic aberravit a tumultuarios ad tumultuarii, ut tamen illa extra Italiam arriperet. Eiusdemque perversitatis est, quum eiusdem libri c. 11, 11 in M sit: in agrum latiorem evecti omnia propinqua viæ tecta incendunt; proximo deinde vico inferunt ignem; ferro flammaque omnia pervastant, in ceteris autem tantum: in latiorem agrum evecti omnia pervastant, omissa prorsus incendii significatione, quam postulant proxima (fumus primo conspectus), potius dilucidam et uberem et Livianam rei narrationem a nescio quo inauditi generis interpolatore sine umbra causæ interpositam putare quam intellegere, quod iam alii dixerant, librarii, a cuius opera B et vulgares codices orti sunt, oculum a priore omnia ad alterum transiluisse. Et advocatur etiam testis Frontinus, quasi non is, quum rem suo modo breviter et nude narraret, item reliqua, quæ

[1]) [XXVI, 10, 2 recte olim edebatur: Placuit, consules—ponere castra; sequitur — præesse — contineri.]

Livius amplificat, omiserit, de fumo, de clamore, de senioribus et pueris, cet. Nihilo autem his prudentius, quod ad XXXIV, 57, 8 adnotatur, qui locus, ut Emendd. Livv. p. 364 ostendi, vel apertissimus est ad codicum dignitatis ordinem constituendum. Nam ibi in M aptissime, oratione propria et antiqua, scribitur: aut ex formula iuris antiqui aut ex partis utriusque commodo; quum autem in eo codice, ex quo B et vulgares orti sunt, F in E mutato, natum esset: ex eo rmula, hinc in codice vulgarium principe mirabili corrigendi simplicitate effectum est ex eo simul a, Bambergensis autem codicis librarius, quod fecit sæpissime, obiecta etiam in notissimis verbis vel propter ductuum obscuritatem vel propter litterulæ errorem vel propter litteras evanidas aut chartam pertusam dubitatione, pro his ex eo rmula iuris antiqui spatium vacuum reliquit. Quid Weissenbornius? Ubi codicis B scriba caute spatium reliquerat, veterem lacunam varie suppletam putat. Atqui nulla est varietas supplendi quoniam ridicula illa ex eo simul a manifestissimum est nihil aliud significare nisi ex formula. Hoc autem supplementum quomodo ex M, a vulgaribus remotissimo, in illos venit, qui ubique cum B coniunguntur, asseclæ sane longe inferiores et depravati? Postremo quis illis sæculis, quorum est codex Moguntinus, huiusmodi supplementum, tam Latinum ac proprium, excogitavit? Sed (nam casu accidit, ut aptissimo exemplo veritatem confirmare liceat) ut hoc loco formula antiqui iuris in B sublata tota est, sic XXXV, 16, 6, ubi nec Weissenbornius nec quisquam dubitat, quin Livius scripserit, ut in M est: in antiquum ius repetit, in B (quod scriptum erat anticum) factum est Antiochum repetit, deinde in vulgaribus corrigendo Antiochus repetit. Apparet depravatio in B incipiens, in ceteris longius progrediens. Verum ne in paucis locis morari videamur, dicam primum universe, codicem Moguntinum, quem qui viderunt (Carbachius, Gelenius, alii), omnes summæ antiquitatis in-

dicia habuisse et a noviciis, quos multos tractarant, specie et scripturæ genere remotum fuisse testantur, compluribus certe sæculis ante scriptum fuisse, quam recentior illa codicum corrigendorum et lacunas explendi consuetudo nata sit, superioris autem temporis interpolationem, quam etiam antiquissimos codices hic illic attigisse sæpe exposui, longe alius generis fuisse, simplicem et rudem, qualem in Emendationibus Livianis multis locis adumbravi (p. 13, 14, p. 208, p. 336 n., al., de huius autem ipsius decadis codicibus p. 401 sq.), qualem ipse Moguntinus ostendit lib. XXXV, 4, 3, post inter pacatos addens agros, interpretamentum infelicissimum. Deinde hoc ponam, nusquam quidquam labis aut maculæ in M reperiri, quod ex communibus B et ceterorum erroribus mendisque in illum transisse videri possit; itaque absurdum esse quidquam in eo suspicari ad ceterorum errores tegendos lacunasve explendas interpolando natum. Postremo ad rem conficiendam, duabus longioribus partibus libri XXXIV et XXXV sine ullo dilectu sumptis, perpetuam exemplorum seriem sub conspectum adducemus ostendemusque, et quot aliorum generum menda codicis B et vulgarium communia unius M ope sublata sint (nam proprios B scribendi errores et vulgarium menda interpolationemque omitto), et quot locis verba quum in illis utrisque, tum vero singulari neglegentia in B omissa Moguntinus servarit et quam nihil illa in B vacua spatia reconditi occultent; hoc enim declarat ipse in his locis deteriorum codicum, qui in ceteris a codice Bambergensi simili pendent, cum M consensus aut error originis apertæ. Quum autem simul animadverterimus, per hæc plurium capitum spatia quam fere nihil boni, quod non in M fuerit, ex B prolatum sit, summam hanc faciemus, ita Bambergensem vulgares, quibuscum cognatione coniungitur, longe vincere, ut Moguntino non paulo inferior sit; itaque neque propter Bambergensis et ceterorum in errore lacunave conspirationem rectis Moguntini scripturis diffidendum esse

et (quod nunc, omnibus minimis per duos libros exactis, certius et confidentius dico quam Emendatt. p. 366) in iis locis, in quibus scripturæ ad sententiam et orationem fere æque bonæ certent, præferendas esse Moguntini ob auctoritatem. Bonarum autem aliquot scripturarum, quæ ex solo B enotatæ sunt, complures etiam in M fuisse, sed in excerpenda varietate omissas, quod earum bonitas non intellegeretur, eo liberius affirmo, quod ne in B quidem repertæ statim probatæ sunt; velut XXXIV, 2, 11 (sine tutore auctore) et 19, 8 (deni) Kreyssigius primum non attendit, 4, 18 (exorabilis es) nemo ante me (Em. p. 396); lib. XXXVIII, 13, 4 verum Kreyssigius neglexit, 16, 3 (vectigales) et 17, 6 (adsueti) omnes ante me (Em. p. 439, 440). Quod autem in libro XXXIII (a cap. 17) Moguntino, quemadmodum quidem hic lectus et expressus sit, parem Bambergensem et pæne superiorem esse dixi (Em. p. 365), videntur sane Nic. Carbachius et W. Angustus, quum partem libri XXXIII e primis codicis M foliis fortasse male habitis nondum ad eum legendum exercitati et nulla impressorum librorum comparatione adiuti ederent, permulta male legisse et edendo corrupisse (ut statim c. 17, 8 inexpugnabilis pro expugnabilis ediderunt) nec Gelenius omnia correxisse.[1]) Sed Bambergensem in prioribus libris integriorem esse videri et sensim in deterius vergere dixi iam ante (Em. l. c.). Et tamen hic quoque vacua illa spatia sunt, velut XXXIII in uno capite X quattuor (§ 1 pro ut, § 6 pro irrumpunt et pro ex parte et pro quinque). Sed veniendum est ad duplicem illam, quam propositurum me dixi, exemplorum seriem. Itaque libr. XXXIV a cap. 41 ad 50 hæ scripturæ e solo M ductæ sunt

[1]) Carbachius ipse quanto opere legendi difficultatem exaggeret, Geleniusque quid de Carbachio et Angusto queratur, intellegitur ex præfationibus expressis apud Drakenborchium vol. VII p. 268 et 273.

contra B et vulgares: 42, 6 et Buxentum (B exbuxenium), 43, 9 senatus censuisset (senatus voluisset; de Lov. 1 cave credas silentio), 44, 3 pridie calendas (id., h. e., idus), 45, 2 Buxetum (Buxenium), 47, 7 quæ imperio (qui imperio), 49, 5 Acrocorinthum (ac Corinthum)[1]), 11 ac munus (hinc munus), 50, 8 ab agro Corinthio, h. e., ab Acrocorintho (ab Corintho). (Quæ in B rectiora sunt quam in vulgatis, ut 41, 4 tyrannus et præbebant et 6 populum Romanum, etiam in M fuerunt, ex his quidem tribus duo a Gelenio indicata, tertium, præbebant, tacitè ab eo in Frob. 2 receptum.) In iisdem capitibus hæc in B et vulgaribus omissa e M suppleta sunt: 42, 6 qui, 45, 5 et C. Salonius, 46, 1 Flaccus (Weissenb. om.), ibd. 2 pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis quingenta quadraginta[2]), 3 ex præda (W. om.), 48, 1 Ligurumque, ibd. 6 hærentem visceribus nobilissimæ civitatis[3]), 49, 8 et (ante civitatibus), 50, 9 liberatorem. Debuerat præterea c. 48. 2 pro Eodem anno scribi e M Eodem hoc anno, coll. XXXV, 40, 5. Præterea B solus, quod sciamus, hæc omittit: 41, 4 quantum, 44, 2 magnos, 5 publica, 6 in carcerem, 45, 7 Nare, vacuo spatio relicto, ibd. lac, 46, 5 in, 47, 4 a. Ex his Weissenbornius magnos c. 44, 2 commemoravit, de ceteris tacuit.

---

[1]) Quod Gelenius scribit: „Lege Acrocorinthum", non minus e codice duxit quam c. 41, 4 tyrannus et 6 populum Romanum, in quibus eadem voce utitur, codicis auctoritatem significans, ut nunc ex B apparet. 49, 11 dicit „restituimus".

[2]) Hæc W., etsi tenet, putat fortasse coniectando suppleta (willkürlich ergänzt). Quis illa ætate, cuius est codex, deesse aliquid sensisset? Quis ulla ætate tam recte et proprie supplesset (bigati — Oscensis)? Quam facile contra hæc exciderunt ob repetitum pondo, retento tamen auri?

[3]) Hæc W. uncis inclusit, fortasse ex c. 41, 4 (ubi est lateri adhærens tyrannus) aut similibus locis (?) huc translata ratus. Miram translationem in aptissimum locum cum magna mutatione!

In duodecim primis capitibus libri XXXV hæ scripturæ codici Moguntino soli debentur: 1, 1 hæc gesta sunt (B, vulgg. gesta sunt hæc), ibd. 5 prætor hæc gesserat (B præcesserat, alii prægesserant), 4, 1 per extremos (præter extr.), 5, 11 paululum anniterentur (paulum niterentur), 8, 1 gerebantur (B agerentur, al. gererentur)[1]), ibd. 9 supplicatio decerneretur (supplicationes decernerentur, quod W. tenuit, ipse prope confessus pravum esse), 10, 2 decesserat (B excesserant, al. recesserat), ibd. 5 in P. Scipione (Scipionis, quod W. secutus est), 8 pro legato (pro collega, cui inanem defensionis speciem W. quærit), 12, 6 ad Nabin, Nicander (B ad Nabim navigat), ibd. 9 Romanæ amicitiæ coniungeret se cum (Romæ amicitias iungerent cum), 12 nam neque (namque) 13 quam Romani (cum Romanis).[2]) Suppleta e M, quæ in B ceterisque desunt, hæc: 1, 1 permultæ, 2, 6 a et temere (in codd. vulgaribus deinde pro ad rumores privatis factum ad rumores privatos), ibd. aut prætores, 7 duodecim verba (v. supra p. IV [p. 450 h. ed.]; W. ne de proximæ quidem paragraphi duplici incuriæ indicio cogitavit), 3, 1 quotidie, 7, 2 quod (ante quum), 9, 3 que (post murus), 10, 4 que (post Cornelium; itaque etiam ex Quinctium Corneliumque factum Q. Cornelium, unde W. locus suspectus fit!), 11, 6 hostium, ibd. 11 duodecim verba. Præterea B solus hæc omittit: 3, 4 ex (post et), 5, 11 et dubio (etiam Voss. Drakenborchii), 7, 3 ius, 7 milites, magis, 8, 2 is, 9 si, 10, 2 nuper, 4 petebant, 11, 2 exercitus, 5 in eos, 7 et post paululi, 10 adequitare,

---

[1]) De 8, 7, ubi M vestigia veri habet, v. Em. 409.

[2]) Quod c. 2, 2 restitutum e B est: adversæ quam secundæ res — magis sermonibus (pro tam adversæ quam secundæ — magnis sermonibus), e M non adnotatur.

spatio vacuo relicto, ibd. hostium, 12, 4 que post civitatium.[1]) (In M c. 3, 2 non plus prave omissum videtur.)

Hæc qui consideraverit, quorum similia ex quavis horum librorum parte proferri possunt[2]), timidas Weissenbornii nescio dicam an audaculas suspiciones de interpolatione in codice Moguntino grassata et errorum mendorumque, quæ in B et vulgaribus sunt, tentatas excusationes aut coniecturas inde ductas facile abiiciet et quum ceteras Moguntini bonas scripturas libenter accipiet, tum voces in illo, quum in ceteris desint, servatas. Nam prorsus iis, quæ pluribus verbis commemoravi, lacunarum supplementis similia cetera sunt, in quæ maxime illa suspicio interpolationis coniecta est; nihil in iis, quod ad sententiam constructionemve male intellectam explendam pertineat, reperitur, sed res ad Livii orationem sententiamque aptæ, quas tamen, si a Livio positæ non essent, addere nemini in mentem venisset, a grammaticorum et librariorum inferioris ætatis

---

1) Cap. 11, 8 librarius, quum verba cursus rigida pæne omisisset, retraxit se; c. 5, 6 ex voce redintegrata scripsit re grata interposito spatio vacuo, quod medias litteras non legebat aut non intellegebat.

2) Addam ex uno capite libri XXXIV specimen, ex uno libri XXXV. Nam in illius capite 31, ut dem, nequivi § 2 non e M esse, hæc e M contra B vulgaresque sumpta sunt: § 4 video (om.), 6 eam (om.; omisit etiam W.; abesse nequit), 7 et accepi quum (et accepi urbem, quum, etiam W., pessumdata orationis figura), 8 iam (om., etiam W.), 18 fortunæ (fore). Nec dubito, quin etiam ac dignitatis Gelenius („lege“) ex M scripserit, correcto Carbachii errore. In libri XXXV cap. 26 hæc e solo M sunt: 1 pristesque (tris isque et similia), 2 harum novarum navium — ut (harum ut novarum tum), ibd. simul ut (simul), ibd. simulacris (simul Achæis!!), 3 vel usu (usu), 5 ignarus. Navis erat (om.), ibd. Nicæam (Nicolam et similia), 6 fuerat enim (fuerat om., relicto in B spatio, addito alio in vulgaribus errore), 9 speculatoria (piscatoria). Præterea B § 4 om. Creta, vacuo spatio relicto. Tacite his omnibus locis Moguntinus probatur; dein subito in proximo suspicaces homines fiunt.

captu remotæ, bonis et antiquis verbis comprehensæ ceterisque rectissime inclusæ. Huiusmodi illa sunt in XXXIV, 7, 2, ubi Weissenbornius interpolationis accusationem pluribus peragit, hic Romæ infimo generi, magistris vicorum, de quibus quæ dicit, permira sunt. Aptissime enim L. Valerius, cuius illa est oratio, ut demonstret, quam late pateat purpuræ usus, urbanis magistratibus municipales adiungit, his urbanos (hic Romæ) ne magistratus quidem, sed ministros. Ad Valerii autem argumentationem quid pertinet, quot in anno dies purpura usi sint? Nam ne ceteri quidem magistratus sacerdotesve nisi festis diebus prætextati erant. Illo vero nihil incredibilius, quod XXXIV, 58, 12 Bekkerus, Weissenbornius, Hertzius putarunt, quum Livius scripsisset Græcas Asiæ urbes, ut est in B et vulgaribus (etsi horum saltem tres habent Græcas et Asiæ), exstitisse, qui interpolando substitueret, quod e M sumptum a Gelenio ad Drakenborchium servatum erat, Asiæ urbes, quæ Graii nominis sint, antiquo vocabuli, quod est nomen, usu, antiqua adiectivi forma, quam prosa oratione bona non excludi Ciceronis loci complures ostendunt (de R. P. I, § 58, II, 9, III, 15, VI, 16 s. Somn. Scip. c. 3, de Nat. Deor. II, 91, III, 53, de Divin. II, 82). Cap. 16, 1—2 Weissenbornius totum hoc: Tria eo die laudabilia fecisse putatur (Cato), unum — iussit, ex M suppletum, uncis inclusit. Nemo huiusmodi quidquam additurus erat; Livius, inspecto, ut ex verbis numerum non adscribit apparet, Originum libro, hoc, ut alia forte oblata, non commodissimo loco intertexuit; nec quidquam valet, quod hic demum Livius procul navibus abductum exercitum scribit; quoties enim ipse Weissenbornius adnotat Livius postea significare, quæ suo loco in ipsa rei narratione non posuerit? Quid sit in verbis ad portam non accurati, nescio. Et horum locorum comparatione et per se certissimum est, ne lib. XXXIV, 35, 4 quidem sine dolo malo interpretandi causa adscriptum esse ad

recte, iuris consultorum formulam ad pervagatissimum et apertæ significationis adverbium. XXXIV, 44, 6, non nego, fieri potuisse, ut, casu veritatem imitante, quum ludi votivi scribendum esset, primum Romani scriberetur, quod eorum mentio brevi ante facta esset, tum votivi. Ac ne deficiente quidem codicis M testimonio ulla minima est causa, cur bona et necessaria verba in ceteris conservata propter vacua Bambergensis spatia in suspicionem vocentur, quod Weissenbornius fecit multis locis, velut XXXII, 17, 17; 19, 7; 21, 6; 26, 6 et 8, al.)

Hæc quum ita sint, sequitur, ut iam supra dixi, ut in iis, quæ, quum per se dubia sint, auctoritate magis quam argumentis conficiuntur, Moguntinus Bambergensi ceterisque præferendus sit; multo quidem magis, ubi ex ipsa re commendatio accedat. Itaque, ut ex iisdem partibus exempla sumamus, et XXXIV, 46, 7 ad pugnandum tenendum fuit (M), non ad pugnam, quod recentiores e B vulgaribusque posuerant, et 47, 6 circa vallum morata est (B vulgg. perstitit ad vallum); et XXXV, 2, 4 sex millia et quingentos (pro ducentos) et 3, 2 dixerat, quod per se rectius est, (B edixerat) et 5 emittebant (mittebant) et 6, 9 non deletum (elapsum) et 7, 2 obruebant, quod propter libero fenore, quæ libertas ad creditores pertinet, pæne necessarium est, (obruebantur) et 11, 10 inter medias (per medias).

Apparet, quam incommode accidat, quod meliorem e duobus bonis codicibus parum plene novimus, ut et maiora non pauca et minora multa nos fugiant incertaque sint, velut quæ ad verborum ordinem pertinent, quæ raro commemorantur, nisi cum alia varietate coniuncta sunt. Itaque in hoc genere fere B sequimur, aliquot locis M, cum molesto inconstantiæ sensu. Molestum illud etiam, quod Gelenius non solum in indicandis scripturis ambiguitate quadam verborum effecit, ut interdum suas coniecturas protulisse iniuria putaretur, sed in editione Frobeniana altera

minuta non ita pauca tacite codicis Moguntini auctoritate correxit, quæ sane non ubique certo a coniecturis discernas. Sed tamen, ut hoc utar, XXXIV, 41, 4 nemo dubitare possit, quin non solum et — tyrannus, quod legi iubet („lege“), sed etiam præbebant pro præbebat, quod tacite posuit, e M sumpserit, quum utrumque B confirmet. Hoc autem constituto, non magis dubitandum est, quin XXXV, 28, 6 foret pro esset Gelenius non animi causa, sed a M monitus posuerit, etsi h. l. B non adiungitur. Sed XXXIII, 47, 3 nunc, vera scriptura reperta, apparet, quod in edit. Mog. expressum erat, extortis in ed. Frob. altera coniectura prava in extorto mutatum esse. Atque illam, quam dixi, brevissime adnotandi varietatem et ambiguitatem („vetus v. antiqua lectio“, „lege“, „legendum“, „legi debet“, „legitur rectius“, „restituimus“, „redundat“ hoc et hoc, „nescio quis hoc in hoc depravavit“, cett.) nihil aliud significare nisi codicis scripturam, infinitis locis apparet, in quibus idem aut in aliis omnibus codicibus (quod error editionum corrigebatur) aut in B aut denique in ipsa Carbachii adnotatione reperitur, velut in uno capite XXXV, 19 ter; nam § 4 et 5 („vetusta scriptura inveniam toto“ et „quam redundat“) et B et vulgares adsentiuntur et § 6 („legi debet alium, cum quo deliberes“) alium, quod in ceteris codicibus deest, etiam Carbachius inter alia enotavit e M, sed editio Moguntina neglexerat. Itaque etiam § 6 („odi odioque sum legi debet“) non coniectura adnotatur, etsi coniectura non difficili inveniri hoc poterat, sed Moguntini scriptura ceteris hic quoque integrioris. Nihil apertius in hoc genere quam hæc c. 13, 5 in nomine urbis obscura brevitas: „Selgam, non Sicam“, ubi perverse coniectura quæritur aliud nomen pro aptissimo ab optimo codice oblato. Adeoque hoc est certum, ut c. 17, 3, ubi Carbachius e codice enotavit eo spe gratiæ maior erit, Gelenius autem hæc adscripsit: „Lege spes, non spe“, non Carbachii iudicium codicem sequentis, sed

legendi errorem, ut persæpe, a Gelenio corrigi contendam.[1]) Sed hæc res cum alia coniuncta est, commemoratione non indigna, quam a nullodum recentiorum post protractum codicem Bambergensem commemoratam video. Nam Gelenius præter codicem Moguntinum saltem in libro XXXI et XXXII usus est altero codice Bambergensi per omnia simillimo, nisi quod, quo B a vulgaribus segregatur, librum XXXIII non habuit. Eum codicem distincte commemorat et a M seiungit ad XXXII, 10, 11 nec in XXXII libro finiri significat; sed tamen in libris a XXXIV ad XL nusquam nisi uno loco (ad XXXVI, 22, 8: „Moguntinus & Spirensis") separatim appellat nec, etsi sæpe plurali numero codices, archetypa sua, exemplaria sua testatur (vid., ut ex uno libro quædam ponam, ad XXXVIII, 4, 6; 5, 4; 14, 10 bis; 15, 2 et 4; 17, 12; 34, 7; 52, 3; 53, 10; 56, 5), ullam usquam, quantum memini, eorum discrepantiam significat, ut alterum, si a Moguntino discreparet, non numerasse videatur. Neque tamen prorsus negari potest, ne semel quidem Gelenium ex altero codice, quod ipsi placuisset, posuisse, neglecto Moguntino. Sed ex illo codice, ut continuæ alicuius partis specimen ponam, in libri XXXII decem primis capitibus has profert scripturas, omnes sine exceptione cum B contra vulgares consentientes aut (duas) proxime accedentes: c. 1, 10 („pro Saturni reposuimus") Sangi (B Sangus), 4, 1 Thaumacos („habent scripta exemplaria"; B Thaumachos, vulgg. Thaumastos, Taumatos, simm.), 5, 2 („legendum") laxaverat animum (vulgares: animus), ibid. 20 („adiecimus duas voces") ad munien-

[1]) Ad XXXIII, 19, 1 Gelenius „Hæ voces" inquit „ab contentu concessit cum plane hic superfluunt". Damnat verba, non in codice esse negat, quæ Perizonius sic correxit, ut in B legi nunc scimus; itaque hic superfluere dixit, non simpliciter „redundat". Sed ad 28, 12 scribit: „in vocibus quam ad agendam rem, rem redundat". Et abest a B. Hic sane errari ante B collatum poterat.

dum (des. in vulg.), 7, 3 (omitto iam adnotandi formam) venalicium (venalium) 8, 3 vetitusque (ut aut ipse similiterve), ibd. 15 facturum senatui (facturum et senatui), 9, 3 Suessæ Auruncæ (Suessæ aut S. auruspices aut S. aruspices, nisi quod Lov. 4, Mead. 2 Suessæ Aruncæ), 10, 2 Pausanias prætor et Alexander magister equitum (Pausali hii populus Ro ex Alexander magnis equitibus et similia monstra), ibd. 11 („scripsimus") genus armorum erat, aptum urgendis regiis; pro hoste loca („duarum vocum, scilicet urgendis regiis, loco vestigia magis litterarum quam litteræ apparebant"; B genus armorum erat amplum tegendis corporibus; pro hoste loca; vulgg. g. a. erat ad proelium [erat amplum] iungendis canora his robusta loca et similia monstra). Semel in his capitibus, 6, 7 editionum errorem (equites pro eques) corrigenti adsentiuntur etiam codices vulgares. Eadem est per universum hunc librum et per librum XXXI ratio (inde a 9, 5, ubi primum quinum millium æris pro quina millia quinquaginta æris et similibus adnotat, et 11, 4, ubi sex voces in vulgaribus omissas restituit; nam ad 3, 3 ex aliis Livii locis de nominibus coniectura et argumentis utitur, ut suspicer prima folia codici defuisse ideoque nihil ante c. 9 inde proferri). Apparet, intercidisse post Gelenium codicem horum librorum (aut partis eorum) Bambergensi prorsus parem, fortasse meliorem, si paulo minus vitio illo omittendarum vocum inquinatus fuit, quod ut prope suspicer, facit XXXI, 41, 13 ex illo uno codice adnotata aptissima scriptura („lego"): quum universi sexcentorum ægre, simul equites peditesque, numerum explessent („ubi universi dictio interciderat"). Nemo sane additurus eam vocem erat. Illud extremo huius disputationis loco ponamus, illa, quam declaravimus, Bambergensis codicis propria in verbis omittendis labe fieri, ut suspicione iusta careant XXXII, 21, 27 hæc verba scilicet

nos *urbes*, quum præsertim hic librarius vacuo spatio usus sit, et alia, ad quæ tuenda apertum Gelenii aut post XXXIII, 17 Moguntini testimonium non habemus.“ — Quæ his a. 1865 in præfat. fasc. 2 superaddidi de reliquiis erroris et suspicionis maximam partem abiectæ apud Weissenbornium, repeti nihil opus est.]

Lib. XXXI.

Cap. 2, 6: *P. Ælius consul in Gallia — C. Ampium, præfectum socium, hac tumultuaria manu per Umbriam, quam tribum Sapiniam vocant, agrum Boiorum invadere iussit.* Convenit, quod et ex altero loco, libr. XXXIII, 37, intellegitur et ex *plagæ Materinæ* in libr. IX, 41 mentione, tribus Sapiniæ appellatione non totam Umbriam, sed aliquam eius partem contineri; sed in eam sententiam Livii verba, ut nunc scripta sunt, non puto interpretari licere.[1]) Itaque a Livio scrip-
(367) tum esse puto: *per Umbriam,* **qua** *tribum Sapiniam vocant,* hoc est: per Umbriam ea parte, qua sita est, quam tribum Sapiniam vocant. Sic enim interdum et Græci et Latini loquuntur, ut aliquid esse alicubi et nomine aliquo appellari breviter uno appellandi verbo comprehendant. Græci usus exempla præter lexica, in quibus fere poetarum testimonia ponuntur (inde ab Homeri illo ex Iliad. XI, 757: Ἀλεισίου ἔνθα κολώνη κέκληται) nec satis ab aliis distincta, dabit Wyttenbachius ad Platonis Phædon. p. 285 (ad p. 107 C), velut illud Xenophontis ex Hell. V, 1, 10: ἔνθα ἡ Τριπυργία καλεῖται, et ad Plutarch. Mor.II p. 901 [et Nauckius ad Sophocl. Oed. R. 1451]. Latina, quæ nemo, quod sciam, attigit, hæc sunt: Ciceronis pro Cluent. 15, 43: *Martiales quidam Larini appellabantur*; eiusdem de Legg. I, 8,

---

[1]) Creverius enarrabat: *per Umbriam et eam quidem partem, quam,* ficto attractionis genere.

24: ex quo vere vel agnatio nobis cum cælestibus vel gens vel stirps appellari potest (id est: ex quo nobis coniunctio c. c. est, quæ appellari possit); de N. D. II, 51: quarum ex motionibus magnum annum mathematici nominaverunt (id est, confici putant, quem nominaverunt); de Finn. III, 63: illa, quæ in concha patula pina dicitur; Varronis de L. L. VI, 20 p. 57 Bip.: Vinalia rustica dicuntur a. d. XII Kal. Sept.; Livii ipsius XXXII, 39, 6: Haud procul urbe (Argis) Mycenica vocatur; Plinii (etsi eius oratio dura et incondita a Liviana longe distat) H. N. IV, 7, 27: Locri deinde Epicnemidii cognominantur, olim Leleges appellati (hoc est: Sequuntur deinde Locri, qui —) et 8, 31: In eo cursu (Penei amnis) Tempe vocantur. Nec aliter, nisi quod loci significatio omittitur, Curtius VII, 17, 24 dixit: Siros vocabant barbari, quos ita sollerter abscondunt cet. (id est: Habebant barbari, quos siros vocabant).

Cap. 7, 3: Hoc quantum intersit, si nunquam alias, Punico proximo certe bello experti estis. Sic codices et Weissenbornius; nam superiores ediderant: Punico certe proximo bello. Senserant enim, duo adiectiva non recte præponi adverbio certe. Sed præterea (368) necessario pondus sententiæ est in proximo bello, quod ceteris remotioribus ab hominum memoria et animo contrarium ponitur; et si Punica bella Livius distinguenda putasset, scripsisset: proximo bello Punico. Quid ergo est? Livius scripsit: si nunquam alias, proximo certe bello experti estis. Id quod esset, declarandum aliquis putavit, addito Punico. (Cfr. de additamentis in hac decade orationi Livianæ insertis, quæ ad XXXIV, 23, 2 dicentur.) Paulo post (§ 7) scribendum est: sed quinto die, quam ab Corintho solverit naves, in Italiam perveniet, sublato inde, quod ex superiore versu (quinto inde mense, item post quinto) male repetitum est. Recte dicitur: quinto inde die (id est, a Corintho) in Italiam

veniet, prave, addita sententia relativa: quinto inde die, quam ab Corintho cet. Sic enim bis idem significatur, perverso ordine, primum demonstrando, deinde nominando.[1])

Cap. 9, 7: Moram voto publico Licinius pontifex maximus adtulit, qui negavit, ex incerta pecunia vovere debere, quia ea pecunia non posset in bellum usui esse seponique statim deberet cet. Recte Creverius in hac scriptura infinitivum passivum requirebat (voveri debere ludos; neque enim aliud subiectum est). Sed præterea non tantum debere ex incerta pecunia ludos voveri Licinius negabat, sed posse omnino salva religione sic voveri; nec causa, quæ additur (quia ea pecunia non posset), apte convenit negativæ sententiæ et incertæ pecuniæ. Vereor, ne aliquid exciderit veraque orationis forma hæc fuerit: negavit ex incerta pecunia vovere **licere; ex certa voveri** debere, quia ea pecunia cet. [Eodem cap. § 10 e Bamb. scribi debet: octies ante ludi magni cet., ubi editur: toties ante. Epiphonema illud inane est, nec rectum toties pro sæpe, quod rectum esset in comparatione, cur non nunc quoque eodem modo voverentur ludi; cfr. Cic. de l. agr. II, 7, 17. Contra Livii mori convenit huiusmodi adnotatio ex alicuius annalibus repetita. Cfr. IV, 32, 2: sexies. 1863.]

Cap. 11, 12: iussique (legati Romani Masinissæ) polliceri, si quid ei ad firmandum augendumque
(369) regnum opus esse indicasset, enixe id populum R. merito eius præstaturum. Recte indicasset pro iudicasset e B restitutum est (etsi in tali re exigua codicum auctoritas est); in eo enim uno liberalis et propensa voluntas erat, si Masinissæ desideriis satisfacturus erat populus Romanus, non solum suo iudicio. (Et præterea alioquin scribendum erat: si quid — populus R. iudi-

---

[1]) De c. 8, 9 dicam ad XXXIII, 14, 4.

casset, enixe cet., subiecto in priore sententia posito.) Sed prorsus vitiosum tum ei pro sibi; itaque necessario scribendum est: si quid eis (legatis) ad firmandum — regnum opus esse indicasset, enixe cet.

Cap. 16 extr. et 17 init. Eodem (Tenedum, ubi Rhodia classis stabat) postea, quum (Abydeni) iam vix sustinerent obsidionem, et ipse Attalus quum traiecisset, spem tantum auxilii ex propinquo ostendit, neque terra neque mari adiutis sociis. Abydeni primo, tormentis per muros dispositis, non terra modo adeuntes aditu arcebant, sed cet. Ablativos absolutos perfecti temporis a Livio poni etiam de re non præcedente, sed primariam actionem comitante, commemoravi ad V, 11, 2; neque tamen ullum eius locum præter hunc esse puto, ubi cum negatione adiungantur ablativi eiusmodi ad significandum, non consecutum esse id, quod exspectari potuerit. Illud tamen certius videtur, ut nunc describitur oratio, non recte commemorari, terra non adiutos a rege Abydenos; nam Tenedo, quo rex navibus venerat, tantum maritimum auxilium ostendi poterat. In B ultima littera verbi adiutis erasa est. Puto sic Livii verba scribenda et interpungenda esse: — spem tantum auxilii ex propinquo ostendit. Neque terra neque mari adiuti a sociis Abydeni primo cet. Ceterum dubito, an Livius non dixerit terra adeuntes aditu (370)
arcere, quum prorsus sufficeret adeuntes arcere.

Cap. 17, 5: (Abydeni) matronas omnes in templo Dianæ, pueros — virginesque — in gymnasium includi iuberent. Donec didicero, quæ sit alia in templo, alia in gymnasio aut alia matronarum, alia puerorum inclusio, non credam Livium eidem præpositioni sic bis eodem modo positæ diversos casus subiecisse, scribendumque putabo aut in templum aut in gymnasio.

Cap. 18, 4 (ubi Philippus rex legato Romano respondet): sin bello lacessitis, mihi quoque animo est

facere et regnum et Macedonum nomen haud minus quam Romanum nobile sentietis. Sic et B et vulgares codices, nisi quod in illis bello, quod editiones inter nobile et sentietis interponunt, omitti Drakenborchius non adnotavit. Hinc interpolando natum, quod ad nostrum tempus in editionibus fuit: mihi quoque in animo est facere, ut regnum Mac. nomenque h. m. q. R. nobile bello sentiatis, prava sententia; neque enim nomen adversarii bello nobile tamquam aliquod malum sentitur (esse audiri nequit; neque in eo magno opere elaborandum erat, ut Romani Macedonum nomen nobile esse scirent). Weissenbornius codices secutus est, semicolo post facere posito; in qua scriptura (præterquam quod eadem est sententiæ reprehensio) quid sit facere, omnino ignoro; vix audeo suspicari, hominem doctum putasse in hac oratione facere pro eo, quod Germani dicunt handeln, accipi posse; de barbaro illo animo mihi est facere nihil dico, quod eo defendunt, quod uno et altero loco codices aut pars codicum habent animo habere, extrito in ante an (apud Livium semel codex Vindobonensis XLIV, 25, 1). Ex codicum scriptura prodit facillime et certissime: si n bello lacessitis, mihi quoque **animos** facere et regnum et Macedonum nomen haud minus quam Romanum nobile sentietis. Se quoque et ex regno et
(371) ex nobilitate gentis fiduciam aliquam sui habere sensuros minatur. Animos alicui facere iterum hoc capite § 9 dicitur et c. 14, 5 neque quidquam apud Livium frequentius (I, 34, 4, VI, 7, 5, XXXV, 36, 7, XXXVII, 37, 9, XXXVIII, 15, 9, XLII, 50, 7, simillimo loco).

Cap. 21, 4 (de L. Furio Gallos Cremonam obsidentes non statim, ut advenit, aggresso): Lassitudini militum timuit, quod raptim ductum agmen erat. Sic ab omnibus, qui Livium ediderunt, sine ulla varietate scribitur; nec ante nostram ætatem quidquam de codicibus adnotatum est. Itaque, quod certo sermonis Latini usui nec ullam

habenti ad aberrandum ambiguitatem apertissime repugnabat, tamen nullo externo indicio coargui poterat, etiamsi quis attendisset. Quis enim nescit, lassitudini timere apud Latinos eum tantum dici posse, qui, quum lassitudinem conservari velit, timeat, ne quid ea detrimenti capiat, quod tam ridiculum est, ut nihil esse magis possit.[1]) Verum in B timuit „a manu secunda inter versus est adiectum". Notanda igitur lacuna est. Livius utrum pepercit an aliud scripserit, sciri nequit.[2])

Cap. 27, 5: Hic metus Codrionem —, sine certamine ut dederetur Romanis, effecit. Huiusmodi attractione: Codrionem, ut dedatur, efficio, in tali verbo et hoc verborum ordine neque Livius neque quisquam bonus scriptor usus est. Ignoti nominis nominativus positus erat. (1863.)

Cap. 29, 3 videndum ne geminatis duabus litteris scribi debeat qui **in** nulla nova re cet.; cfr. XXV, 19, 15, XXIX, 6, 11. (1863.) Cap. 36, 7 in his verbis: ut cresceret simul et neglegentia cum audacia hosti recte Ussingius [quo iam inclinaverat Dukerus] et tolli vult; alioquin scriberetur simul et neglegentia et audacia. (1863.) Cap. 37, 7 ut primo pro ut primum Livianum non videtur; fuitne ut prima signa suorum cet.? (1863.)

Cap. 40, 4. Parvum est, adnotandum tamen, Livii et omnium consuetudinem postulare, ut sic scribatur: Servitia inde cum cetera præda abduxit; libera capita sine pretio dimisit (in significanda contraria tractatione); vulgo additur et post abduxit, ortum ex duabus postremis verbi litteris.[3]) Paulo maius, quod eodem capite (372)

[1]) Video, Weissenbornium enarrare: timere militibus propter lassitudinem. Fingitur hoc totum; et tamen imperator Romanus non timebat militibus.

[2]) De § 5 dictum est supra p. 265 h. ed.

[3]) Contra c. 44, 4 et post e addendum (ut Philippi statuæ et imagines omnes).

§ 9, ubi sic scribitur: Damocritus prætor, qui moræ ad decernendum bellum ad Naupactum auctor fuerat, valde suspicor, delendum esse vocabulum auctor, mala interpretandi sedulitate additum (vid. ad XXXIV, 23, 2). Nam moræ esse ad aliquid recte et usitate dicitur, ut ad cum verbo coniungatur; auctor moræ ad aliquid faciendum, ut ad coniungatur cum genetivo moræ, non recte dicitur. [Auctor omittunt codd. Lov. 2 et Harl.]

Cap. 41, 8, ubi codd. et superiores edd. habent subiicientes eos castra Phæcado urbi, Weissenbornius autem Phæcæ urbi scripsit, feliciter Ussingius verum nomen invenit: Pharcadoni urbi eiusque testes dedit Strabonem IX, 5, 17 p. 438 Cas. (ἔστι δὲ καὶ Φαρκαδὼν ἐν τῇ Ἱστιαιώτιδι) et Polyænum IV. 2. 18. Phæca XXXII, 14 inter Gomphos et fauces, quæ Thessaliam ab Athamania dirimant, esse dicitur; Ætoli, neglecto Amynandri consilio Gomphos petendi, in plana Thessaliæ descenderant. Pharcadonem Ussingius putat eo loco sitam fuisse, quo Bursianus in Græciæ Geographia p. 53 (ed. 1) iudicat, ubi nunc est Kolokoto. (1863.)[1]

Cap. 43, 7: Hæc ea æstate ab Romanis Philippoque gesta erant. Pravum esse in concludenda rerum alicuius anni narratione plusquamperfectum tempus constantique Livii usu postulari gesta (omisso erant), Dukerus
(373) vidit et octo locorum exemplis confirmavit, quibus addi alia possunt, ut XXXII, 25, 12. Sed aliud est et maius vitium in eo, quod reapse non finitur hoc loco rerum ea æstate gestarum narratio; nam proximis verbis (Classis a Corcyra cet.) transit Livius ad res mari eodem anno gestas easque ad c. 47 medium persecutus ibi demum recte subiicit: Hæc ea æstate terra marique adversus Philippum — ab consule legatoque Romanis — gesta.

[1]) [Cap. 42, 6 scribendum videtur ad tumulum ac castra pro ad tumulum ad castra. 1863.]

Quid igitur fiet? Vitiosum illud erant sic corrigemus, ut simul sententiæ vitium tollatur: Hæc ea æstate ab Romanis Philippoque gesta **terra**. Classis a Corcyra cet. Ipse narrationis transitus paratur et notatur concursu illo verborum terra et classis.[1])

Cap. 47, 6: L. Furius, simul quod in Etruria nihil erat rei, quod gereret, simul Gallico triumpho imminens, quem absente consule irato atque invidente facilius impetrari posse ratus, Romam inopinato quum venisset, senatum in æde Bellonæ habuit. Structuram orationis turbari pronomine quem, Gronovius animadvertit, nec quidquam ei rei remedii adtulit Weissenbornius (in ed. Teubn.), qui aut ratus pro ratus est positum esse dixit, quod ipsum in prosa oratione fieri nequit, ut sic in sententia relativa omittatur est (vid. p. 322 ad XXVII, 12, 2), deinde necessario non ratus (374) est, sed rebatur dicendum erat, aut Livium sic scripsisse, quasi subiecturus esset: Romam venit, quod omnium minime fingi oportuit, quoniam tota hæc periodus diligenter ad Livii consuetudinem conformata est, post plura præmissa

---

[1]) Si censuram scriberem et aliorum inventa persequerer, in c. 46 quererer primum § 10 retineri manifesto perversam orationem, quam una littera mutata (f pro l) et meliore interpunctione Kreyssigius (sive quis alius auctor est) sanavit: tela ingerentes et pondere ingenti saxa. Faciebant et cuniculos et quidquid aliud priore oppugnatione expertum profuerat. Deinde non minus mirarer, in § 11 retineri eam scripturam, in qua, nisi vim facias, Macedones Oreum tutati dicantur præsentioribus animis et castigationibus regis. Sustulerat mendum ex uberrimo accommodationis ad proxima fonte ortum Gronovius: tuebantur — urbem arcesque — etiam præsentioribus animis, et castigationis regis in admissa culpa et simul minarum, simul promissionum in futurum memores. Præsentiores animos faciebat castigationis præteritæ minarumque et promissionum memoria. Sed hæc mihi exemplorum loco sint, in hac quoque decade omitti a me aliena, nisi ubi singularis causa accesserit.

eo, quod pro primaria sententia poni poterat, per particulam quum in protasin commutato (de quo breviter admonui Gr. Lat. § 476 c not. [Kleine philolog. Schriften pag. 359 sqq.]), ac ne minima quidem aut a coepta structura aberrandi causa aut aberrationis indicium apparet. Nec tamen pronomen mutandum est, sed tollendum, additum incaute ab aliquo, qui subiectum verbi impetrari notari voluit.

Cap. 48, 8 (in oratione senatorum, qui L. Furio prætori ad triumphandum impedimento negabant esse debere, quod non exspectato consule cum Gallis pugnasset): Nam si sine consule geri nihil oportuerit, aut senatum peccasse, qui exercitum prætori dederit, (potuisse enim, si non prætoris [ante W. erat: si non cum prætoris], sed consulis exercitu rem geri voluerit, ita finire senatus consultum, ne per prætorem, sed per consulem gereretur) aut consulem, qui cet. Pravam et toti rei contrariam esse illam condicionem: si non prætoris cet., Creverius intellexit; nam id ipsum non voluerat modo senatus, sed factum erat, ut non prætoris, sed consulis exercitu res gereretur, quum hic ex Etruria Ariminum ad prætorem missus esset, præ-
(375) toris copiæ Arimino in Etruriam retractæ; neque id nunc agebatur, utro exercitu prætor rem gessisset, sed, debuissetne ipse per se rem gerere an consulem exspectare. Sed vulgatæ scripturæ pravitatem satis declarat B, in quo sic scribitur: potuisse enim, sicut non prætoris absenti sed cos. exercitū rem geri voluerit, sed vocabulo absenti, quod errore additum erat, inducto; ceteri codices pro sicut habent si cum. Itaque non condicio hæc est, sed comparatio, qua ostenditur, si senatus consulem exspectari voluisset, potuisse eum aperte, quid fieri vellet, decreto comprehendere, quemadmodum alterum illud de permutandis exercitibus perscripsisset. Sic igitur Livius scripsit: aut senatum peccasse, qui exercitum præ-

tori dederit (potuisse enim, sicut non prætoris, sed consulis exercitu rem geri voluerit, ita finire senatus consulto, ne per prætorem cet.) aut consulem cet. Senatus consulto iam Dukerus scribi voluerat ob aliam causam; accedit nunc ea, quod ita ad comparationem indicandam pertinet, non ad formam SCti (ita finire, so zu begrenzen).[1])

Cap. 49, 2 (de L. Furii prætoris ex Gallia triumpho): in ærarium tulit trecenta viginti millia æris, argenti centum septuaginta millia pondo. Extremum vocabulum (pondo) ab omnibus fere codicibus abest (Hearnii duobus, Lov. 2, 6, Harl., Mead.); pro eo in Voss. et Lov. 4 scribitur cōd., in Lov. 1 mōd. In B, aliquot verbis errore omissis, hæc tantum scribuntur: in ærarium tulit trecenta viginti millia ∞ D. Hinc Weissenbornius fecit: trecenta viginti millia æris, argenti centum millia quingenta pondo. Numeri non improbabiliter ex vestigiis codicis B correcti sunt; sed miror nemini, præsertim codicibus admonentibus, suspicionem motam esse de summæ magnitudine, quæ, si pondo additur, multis partibus nimia est pro huius ætatis triumpho Gallico ex bre- (376)
vissimo bello, in quo ne agri quidem vastati oppidumve ullum captum commemoratur, sed tantummodo carpenta præda (coloniæ Placentinæ) onusta ducenta (c. 21 et 22). In P. Cornelii consulis triumpho de Boiis longe splendidiore a. 191 argenti MMCCCXL pondo translata sunt (XXXVI, 40). Comparantibus, quæ libr. XXXIII, 23 de C. Cornelii triumpho, eiusdem libri c. 37 de M. Marcelli, Gallico utroque, leguntur, non erit, opinor, dubium, quin hic, ut ibi, æris millia assium intellegenda sint, argenti autem nummorum denariorum sive bigatorum, etsi ibi argenti bigati scribitur (cfr. XXXVI, 21 extr. et 39), hic adiectivum omittitur

---

[1]) Eandem scripturam nunc (1860) W. sequitur, sed absenti retinet ac permire explicat.

in codicibus vulgaribus, quibus propter Bambergensis la-
cunam solis utimur. Infra in hoc capite (§ 9), ubi ede-
batur: nullius, nisi eius, qui triumphaturus esset,
haud eorum, qui bello interfuissent, verba au-
diret, Weissenbornius, quum in codicibus (B et novem
Drak.) pro haud, quod Livii et fere omnium usui in tali
orationis forma (ubi contrarium superiori negatur) repug-
nare Stuerenburgius (ad Cic. Off. p. 141 ed. 1) demonstravit, et
scribi videret, edidit, adiecta altera negandi voce: et non
eorum. Sequendus erat simpliciter Stuerenburgius tollen-
daque negatio et simul excludendum et, quod geminatione
extremarum verbi esset litterarum ortum est. Sic enim
verba cohærent et unam veram sententiam efficiunt: nul-
lius eorum, qui bello interfuissent, nisi eius, qui
triumphaturus esset, verba, exceptione (nisi eius cet.)
inter nullius et genetivum partitivum interposita. Non
minus notabiliter genetivus a substantivo regenti divellitur
interveniente alio genetivo XXV, 18, 5: manente memoria,
etiam in discidio publicorum foederum, privati
iuris. [Cfr. XXII, 42, 2 et XXXIV, 22, 12.] Similia in
alio genere sunt, quæ ad VII, 10, 13 (p. 144) exposui de
præpositione a casu separata interpositu alius præpositionis
cum casu. Postremo § 10, ubi C. Aurelius consul inducitur
triumphum P. Furio decretum reprehendens, quum in vul-
(377) garibus codicibus ad hunc modum scriberetur: Maiores
ideo instituisse, ut legati, tribuni, centuriones,
milites denique triumpho adessent, ut virtus re-
rum gestarum eius, cui tantus honos haberetur,
publice videretur, nisi quod nonnulli habebant: ut vir-
tutes rerum — publice videret, inde a Sigonio ede-
batur: ut veritas rerum — publice videretur, ora-
tione, ut Creverius recte iudicavit, minime Latina (veritas
publice videtur). Nostra ætate, quum in B repertum
esset: ut rerum gestarum eius, c. t. h. haberetur,
p. R. videret, spatio vacuo inter ut et rerum relicto,

Kreyssigius eumque secuti ceteri scripserunt: ut veritatem rerum — populus R. videret, lacunæ supplemento Sigoniano retento, casu tantum mutato. Sed ut omittam, non tam quæri, veræne sint res gestæ, quam quantæ (et, verane earum fama), Latinum non est totum hoc dicendi genus, veritatem rei videre pro eo, quod est: videre rem veram esse. Neque enim unquam Latini sic cum adfirmandi, negandi intellegendive verbis abstracta, quæ dicuntur, nomina, qualis quæque res sit, indicantia coniungunt, barbaraque sunt et veteribus inaudita, quæ etiam a philologis poni video, adfirmare veritatem alicuius rei, negare verisimilitudinem rei similiaque; itaque falsitatis nomen ne habuerunt quidem Latini nisi extrema ætate.[1]) Sine dubio Livius scripserat: ut **testes** rerum gestarum — p. R. videret.[2])

Cap. 50, 11 oratio sic interpungenda est: Et de altero ædile scitum plebi est factum. (Hoc universe ei, quod de priore ædile traditum est, respondet. Additur deinde explicatio, sed ita, ut simul plura comprehendantur.) Rogantibus tribunis pl., quos duos — iuberent, ut — L. Manlius Acidinus decederet de provincia multos post annos, plebes — imperium esse — iussit.

Lib. XXXII. (378)

Cap. 4, 3 et 4: Et adiuvabat eos (Ætolos Thaumacos defendentes) natura ipsa loci. Namque Thaumaci a Pylis sinuque Maliaco per Lamiam eunti loco alto siti sunt, ipsis (codd. in ipsis) faucibus imminentes, quā coelē (B; ceteri fere quas coele,

1) Intellegere præstantiam rei et similia, in quibus laus est, dicuntur: Sinn dafür haben.

2) [Cap. 50, 8: ut ii (codd., edd. uti) ad plebem ferrent; cfr. Cic. pro Rosc. Amer. § 149 a me emend. 1863.]

etiam tres Iacobi Gronovii) vocant; Thessaliæque transeunti confragosa loca implicatasque flexibus vallium vias, ubi ventum ad hanc urbem est, repente velut maris vasti, sic universa (B et plerique; al. immensa) panditur planities, ut subiectos campos terminare oculis haud facile queas. Agitur de specie, quæ a meridie per montanam regionem venienti obiicitur ad Thaumacos aperiente se planitie Thessaliæ; itaque Thessaliæ nomen (inepto etiam loco positum, quasi cum pondere alii regioni contraria hæc ponatur) prave cum confragosis locis coniungitur, quæ inter sinum Maliacum Thaumacosque sunt, tamquam iis proprie Thessalia contineatur. Ni fallor, in Thessaliæque latet **Thessali; itaque**, ut sic oratio continuetur: — vocant Thessali; itaque transeunti confragosa loca, — ubi ventum ad hanc urbem est, repente — panditur planities. Utrum Livius scripserit, quo B ducere videtur: quam Coelen vocant Thessali (ut ipsæ fauces appellatæ putentur ἡ Κοίλη), an, quo ceteri (etsi obstat Coele): quas Coela vocant Thessali, non definio.[1]) [Rectius videtur: — siti sunt in ipsis faucibus, imminentes, quam Coelen vocant, Thessaliæ; atque transeunti cet. Nam Coele Thessalia est ipsa media Thessalia montibus cincta, non fauces, per quas a Pylis Lamiam itur; ei imminebant Thaumaci. 1863.]

Cap. 5, 6 et 7 (de Philippo rege, sociorum et popula-
(379) rium animos sibi conciliare studente): Et cum Achæis

---

[1]) In Weissenbornii scriptura verba quæ loca, ne quid dicam de miro ordine (quæ transeunti confragosa loca), expediri nequeunt; neque enim fauces (ea loca) ante transibant quam ad urbem venirent. Cap. 1, 6 pro prorogato imperio probabilius Gronovius prorogata imperia (prætoribus prioris anni) scripsit quam Drakenb. prorogatum imperium. Plurali numero in hac loquendi forma utitur Livius XXIV, 44 45, 10, XXX, 27, 9.

quidem per hæc societatem firmabat. Macedonum animos cum Heracliden amicum maxime invidiæ sibi esse cerneret, multis criminibus oneratum in vincla coniecit, ingenti popularium gaudio. Sic sine ulla litura spatiove vacuo in B scribitur, ex qua scriptura quam facili et certa emendatione verum oreretur, cuius vestigia in ceteris codicibus mira interpolandi licentia obscurata erant, dixi iam a. 1829 (vid. Opusc. Acad. II p. 363 sqq.). Nam geminatis duabus extremis litteris verbi firmabat, fit: At (hoc est: ad) Macedonum animos quum Heracliden amicum maxime invidiæ sibi esse cerneret, m. crim. oner. in vincla coniecit cet. Aptissime Livius sic ab Achæis ad Macedones transit, ut, quid illos maxime in Philippo offenderit, dicat, deinde id Philippum sustulisse narret. Et invidiæ quidem alicui esse aut invisum esse ad, hoc est, apud aliquem quam usitate dicatur, declarant ipsius Livii exempla olim a me posita, III, 31, 4 (invidiæ tamen res ad exercitum fuit) et XXIV, 32, 2 (ad militare genus omne partemque magnam plebis invisum esse nomen Romanum), et Ciceronis (ad Attic. VIII, 3, 6: invidiosum ad bonos), ut nihil opus sit præpositionis ad eodem significatu apud similia verba locutionesve positæ exempla Liviana addere (velut V, 6, 6: famam ad ceteros populos quærere, XXIX, 11, 4: terræ, ad quas concilianda maiestas nomini Romano esset, ibd. 22, 8, XXXVI, 8, 4: quærenti sibi commendationem ad Macedonum gentem et invidiam regi, et 5: nullam gratiam ad Macedones, odium ingens ad Philippum movit). Quod autem Weissenbornius hanc emendationem probandam videri potuisse iudicat, si esset ad Macedones, ea vero distinctio nulla est, quoniam non minus animos hominum offendimus quam ipsos homines nec minus apud animos invisi sumus quam apud homines; maluit autem sic Livius scribere, quod ab initio sententiæ, nondum posito illo invidiæ (380)

esse, universe animorum alienatio conciliatioque obversabatur scribentis cogitationi. De superiorum, quos interpolatorum ludibria deceperunt, conatibus nihil dicam. Bekkerus et Weissenbornius, interpolatione sublata, lacunæ notam posuerunt, ille inter animos et quum, hic inter amicum et maxime; sed, una addita præpositione, omnia aptissima sunt nec quidquam desiderari aut commode interponi potest. [Prorsus exprimuntur Diodori Sic. verba (XXVIII, 9) a Polybio sumpta.]

Cap. 7, 3: Ii (censores) — et senatum — legerunt et portoria venalicium Capuæ Puteolisque, item Castrum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt, colonosque eo trecentos — adscripserunt. Plura in hoc loco dubitationem habent. Neque hæc coniunctio: portoria —, item portorium admodum placet et multo minus portorium venalicium, genetivo casu; nam neque venalicius pro venali recte dicitur neque usitate venalicium pro venaliciorum et supervacaneus plane videtur genetivus; neque castra illa sic nude posita Hannibalis in Bruttiis, quod olim ipse putavi, intellegi ullo modo possunt neque castrum pro castrorum Livianum est. Castrum, ut iam Drakenborchius intellexit, locus est Capuæ Puteolisque propinquus. Quid denique Capuæ, loco mediterraneo, cum portorio? Agitur de venalicio, rerum venalium vectigali, novo onere Capuæ et Puteolis imposito. Huic adiunctum est portorium rerum, quæ mari ad Campanos importabantur, sine dubio eo loco exigendum, qui postea Vulturnum appellatus est, ad ostium fluminis eiusdem nominis; ibi castellum communitum Livius scripsit XXV, 20. Initio igitur, quod postea Vulturnum fuit, Castrum appellatum videtur, quemadmodum in aliis quibusdam oppidorum nominibus Castrum dicitur, velut Castrum Novum, Castrum Inui. Aut igitur Castrum portorium nova sane adiectivi [illegible] dicitur quasi Germanice dicas die Zollschanze [illegible]

fruendus locatus est pro portorio, aut portorium Castrum appositionis forma coniungitur (der Zoll Castrum), h. e., portorium, quod ad Castrum exigatur. Venit etiam in mentem scribi posse: item ad Castrum portorium, i. e., portorium ad Castrum. Portoria additum videtur, quum non intellegeretur venalicium putareturque Livius universe de omnium portoriorum locatione narrare. (1863 et 1876.)

Cap. 9, 6 (postquam Livius utrumque consulem, prodigiis procuratis, in provincias profectum dixit, Sex. Ælium in Gallia nihil memorabile gessisse): Et T. Quinctius alter consul maturius, quam priores soliti erant consules, a Brundisio quum transmisisset, Corcyram tenuit cet. Vitiose ponitur et, quasi significetur, ea, quæ Livius de Quinctio traditurus est, ab iis, quæ de Ælio breviter dicta sunt, nihil discrepare, quod prorsus contra est. Orta est particula, ut non raro, ex prænomine T., præcedente præsertim gessit.[1])

Cap. 10, 5 (in responso Philippi regis ad postulata T. Quinctii consulis): Si quas quererentur belli clades eæ civitates, cum quibus bellatum foret, arbitrio, quo vellent, populorum, cum quibus pax fuisset, se usurum. Neque recte, quasi plura sint arbitria, rex se, quo velint, usurum dicit, neque universe, cum quibus pax fuisset, populorum arbitrio uti cuiquam in mentem venire poterat. Optionem rex querentibus facit arbitri eligendi, ut, cuius ii velint, populi arbitrio res disceptetur. Itaque una littera minus Livius scripsit: **arbitro**, quo vellent, populorum, c. q. p. f., se usurum, hoc est, arbitro, quo vellent, ex iis populis cet., paulo liberiore (381) genetivi partitivi positu, quemadmodum in XXXI, 49, 9, quem locum supra tractavi. Servato arbitrio scribi

[1]) Cap. 8, 7 e B ceterisque codd. restituendum socium et Latini nominis (pro: socium Lat. n.).

oportebat: arbitrio, cuius vellent, populorum cet. Senserat id ex aliqua parte Gronovius, sed aberrans quorum scribi volebat. Unus erat populus deligendus. De orationis breviore forma (quo vellent, h. e., uti) nihil opus est dici.[1])

Cap. 16, 3, ubi et B et ceteri codices habent dimisso Livio, cui successerat, male a Sabellico et editoribus omnibus substitutum esse dimisso L. Apustio certum est; nam aperte § 5 ab eo, cui L. Quinctius in totius classis administratione successerat, separatur legati appellatione adiecta alius homo, qui aliquot naves Athenis reliquerit. Livius, qui res superioris anni c. 1—7 brevissime, ne nominata quidem classe, narravit, ibi aliquem legatum classisque præfectum inter L. Apustium et L. Quinctium interiectum silentio omisit, hic subito nomen interponit, sive is Livius fuit sive alio nomine, L. prænomine. Et tamen Athenis naves a superioris anni legato præfectoque relictæ dicuntur, quod alter ille Athenas non pervenisse videtur. (1863.)[2])

Cap. 21, 1 (in Aristæni prætoris in concilio Achæorum oratione) quoniam prætori e B pro prætor nunc a Weissenbornio revocatum video, addam tantum, scribendum esse: aut non dandum concilium legatis fuisse aut non sine responso eos dimittendos esse (B aut non sine resp. eos non dim., vulgo: aut inde sine resp. eos dim. non esse). Negatio in utroque membro proxime particulæ disiunctivæ subiici debet; ea quum neglegenter bis a librario posita esset, in codicibus recentioribus ex priore

---

[1]) Cap. 11, 10 emendationem olim a me e vestigiis codicis B ductam (Opusc. Ac. II p. 295: instat aput stationes pro instat capi stationes) Weissenbornius secutus est. Cap. 13, 14 recte W. in edit. altera rediit ad vulgatam scripturam (mixta imbelli turba). Ne dicitur quidem recte multitudo ex imbelli turba mixta, quoniam turbæ imbellis appellatione non significantur plura, ex quibus miscendo unum fiat.

[2]) [§ 17 scribendum signa ac tabulæ. Cap. 20, 8 e scriptura cod. B neque mirum si — eos si orationes Ussingius efficit: neque mirumst — eos si orationes. 1863.]

factum est inde, quod prorsus abundat. [§ 14 in eadem oratione: Cur excessit — claustris illis inexpugnabilibus super Aoum amnem (aut vi aut metu aut voluntate) relictoque — saltu penitus in regnum abiit? si sua voluntate cet. Sex illa verba, quæ Weiss. uncis inclusit, incommodissime hoc loco interponi Bekkerus sensit; neque enim ipsi interrogationi, qua aliquid sine ratione probabili factum reprehenditur, ipsa earum rerum, in quibus causæ facti inesse debent, nomina sic nude interiici possunt. Translatis autem his verbis inter abiit et si sua voluntate, omnia tam apta fiunt, ut nihil possit magis. Responso enim omnia, quæ dici possunt, complectenti adiungitur ducta ex singulis argumenti conclusio. Prorsus similia vocum complurium traiectiones notavi in hac decade lib. XXXVI, 34, 9 et 10 et XL, 13, 1 et 2. 1863.]
Ceterum plura in hoc capite etiam post ea, quæ auxilio (382)
codicis B emendata sunt, mendi suspicionem habent. Nam § 3 legatorum orationes, quas Aristænus tamquam sententias percenseri vult, nullo modo ipsas hesterno die pro sententiis dictas significare potest; [itaque scribendum videtur: ut pro sententiis dictas percenseamus. De ablativo temporis sine participio ad verba orationes leg. adiuncto vid. Gr. nostr. Lat. § 278 b ed. Germ. Nam in transpositione superiorum editionum: — die dictas pro sententiis (de codd. præter B non constat) illud pro sententiis non recte alio significatu dicitur quam ante pro sententia. 1863.] § 16 nullo simili exemplo defenditur potius bis positum, quod iam Perizonius notavit; § autem 28 inter duas interrogationes futuri temporis verbo et pluralis numeri prolatas (recipiemus et an ipsi — tutabimur) pravissime hæc interponitur: Quum terra Nabis et Lacedæmonii, mari classis Romana urgebunt, unde regiam societatem et Macedonum præsidia implorem?, quasi hanc consilii inopiam ad se præcipue et solum Aristænus (qui fortasse tum prætor futurus

non erat et maxime a Macedonum societate abhorrebat) pertinere significet. Videtur aliquid excidisse et in hanc formam olim scriptum fuisse: — urgebunt, **quid erit**, aut: **quæ perfugia restabunt**, unde regiam societatem — **imploremus**?

Cap. 22, 5: Risias Pellenensis erat. Sic nunc e B scribitur; olim Rhisiasus; sed ne illud quidem aut pro Græco nomine alibi reperitur aut originem cognationemve probabilem habet. Scribendum Pisias (Πεισίας).

Cap. 24, 3 (de oppugnatione Elateæ): Ariete admoto quum, quantum inter turres muri erat, prorutum cum ingenti fragore ac strepitu nudasset urbem cet. Necessario scribendum: quantum inter II (duas) turres muri erat, ne totus muri circuitus, stantibus tur-
(383) ribus, procidisse dicatur. Cfr. h. lib. c. 1, 10: duas portas, quodque inter eas muri erat; XLII, 63, 6: duæ turres, quodque inter eas muri fuerat; XXI, 8, 5: tres deinceps turres, quantumque inter eas muri erat.

Cap. 25, 10 (de Ænesidemo præsidii Achæorum Argis impositi præfecto mortem constanter oppetente): Missus a Philocle, qui quæreret, quid sibi vellet. Nihil statu modo, quum proiecto præ se clipeo staret, in præsidio creditæ urbis moriturum se armatum respondit. Sic B cum quinque Drakenborchianis; ceteri nihil tantummodo similiterve, ex quo ulterius interpolando natum in editionibus: nihil fatus, tantummodo, quod ridiculum est (nihil fatus — respondit). Ex illa scriptura non cum Gronovio, quem recentiores sequuntur, faciendum videtur: nihil statu motus, sed, una tantum littera mutata: nihil statu moto, eo significatu, quo Gronovio in mentem venerat scribi etiam posse: nihil statu mutato. Neque enim video, cur status moveri dici nequeat.

Cap. 26, 6 et 7 in quinque verbis, quæ B sua illa consuetudine omittit spatio vacuo relicto, Weissenborn

causa nescio quid vitii odoratur; nam in mancipii nomine numquam usu loquendi ea significatio est, quam Iustinianus etymologiæ accommodat; itaque captiva mancipia universe dicuntur; ea quomodo Setiam venerint, significatur verbis ab Setia empta ex præda. (Vacua spatia, omissis verbis, B in c. 24 tria habet, duo verba sine spatio omittit.) Sed oratio ab hominum commemoratione ad rem ab iis actam transiens necessario pronomine vincienda est aut sic: — mancipia; ea quum coniuratione cet. aut sic: — mancipia; cum iis quum coniurationem (obsides) cet. (1863.)

Cap. 28, 11 vitiose editur: præesse idem, qui præerat classi, L. Quinctius Flamininus iussus. Nam ridicule classis imperium et sociorum navalium coniunctum dicitur, quasi separari potuerit. B: præesse eidem qui præerat cet., e quo efficitur verum: præesse eidem, cui præerat, L. Quinctius Flamininus iussus. Livius, commemorato supplemento sociorum navalium, classem ipsam numero navium eandem mansisse dicit. (1863.)[1])

Cap. 31, 6 quum olim perverse scriberetur: Litteræ consulum a Gallia de gestis prospere sub idem tempus Romam adlatæ, nunc e B editur: Litteræ consulum amborum de rebus in Gallia gestis prospere sub idem tempus Romam adlatæ, cetera perspicue recte (— nam id ipsum notatur, utriusque consulis, quum diversis locis rem gessissent, eodem tempore litteras adlatas esse —); in adverbio prospere mendum arguit pravus locus ei adsignatus (de rebus gestis prospere. interposito præsertim in Gallia); itaque Kreys-

[1]) Cap. 30, 8: in id fides data consuli est, ut in acie aut quiescerent aut, si qua etiam occasio fuisset, adiuvarent Romanos. Vellem Livius scripsisset: aut etiam, si qua occasio fuisset, adiuvarent Romanos. Codd. recc. si qua ut iam. (1863.)

sigius de rebus in Gallia prospere gestis scripsit.[1]) Et modestius et rectius fiet: de rebus in Gallia gestis **prope** sub idem tempus R. a. Non fere minus facile commutantur prospere et prope quam propere· et (384) prope, quorum permutatorum exempla Drakenborchius ad XXXIX, 31, 4 collegit; quamquam exemplis in tali re non valde opus est.[2])

Cap. 40, 1: De Argis quoque disceptatio ab Attalo rege est mota, quum fraude Philoclis proditam urbem vi ab eo (Nabide) teneri argueret, ille ab ipsis Argivis, ut se defenderet, accitum. Perquam dure ex argueret auditur diceret (cum defensione); prave prorsus deest subiectum participii accitum, quum præsertim inter se contraria hæc referri deberent, urbem proditam et se accitum. Neque, ut Argivos defenderet, se accitum dicere Nabis poterat (quoniam iam in Macedonum potestate erant), sed ut liberaret. Sed quid argumentis utor, quum vera scriptura omnibus apicibus in B exstet, neque in illo solum, sed in plerisque (Pall., Lovv. tribus, Harl., Meadianis ambobus)? Sic enim illi: ille ab ipsis Argivis se defenderet accitum, hoc est, pervagatissimo verbi usu, defendendi causa diceret. (Iis, quæ in lexicis

---

[1]) W. in altera editione comparari iubet locos prorsus dissimiles.

[2]) C. 32, 6 abstinendum est coniecturis. Gravate non ad animum Quinctii pertinet, sed ad speciem, quam præ se ferebat. Concessit enim regi, ut colloquerentur, gravate et quasi nolens, quamquam reapse colloquium satis ipsi ad ea, quæ cogitabat, aptum videbatur. Ea vis est particularum non quin, nullo addito altero orationis membro. [§ 15: Istuc quidem, ait Romanus, par omnibus periculum est —, si nulla fides sit. Sic W. ex B. Sed neque coniunctivus rectus est et tota sententia condicionalis prava, periculum perfidiæ esse, si nulla fides sit. Gelenius („lege“) ut nulla f. s., codd. aliquot recc. ut in nullo. Credo pæne fuisse: ne nulla fides sit, omissoque ne ante nulla ab aliis ut, ab aliis si adiectum esse. Cap. 39, 2 repetenda necessario præpositio ante Attalum (ad Attalum), quoniam distinguuntur homines diversis locis agentes. 1863.]

ponuntur, exemplis addi hæc tria possunt: Cic. Verr. V, 9, 22 et 13, 32, pro Cael. 20, 50. Eodem modo sæpe dici purgare notissimum est.) Miror talem errorem ad nostrum tempus latuisse.

Lib. XXXIII.

Cap. 5, 11, ubi codex et edd. habent: alius per alium immissi radii, restituendum, quo vocabulo ter in hac re Livius usus est, rami; apud Polybium κεραῖαι appellantur; radii ab re alieni sunt. Sed præterea Ussingius animadvertit adeo (et adeo acuti) neque si cum acuti neque si cum non relinquunt coniungatur, aptum esse neque, quod ei respondeat, quidquam in Polybii verbis esse. (1863.)[1])

Cap. 12, 3: Ætolorum (in concilio sociorum a L. Quinctio advocato de legibus pacis Philippo dicendis) asperior oratio fuit, qui pauca præfati, recte atque ordine imperatorem Romanum facere, quod, quos belli socios habuisset, cum iis communicaret (385)
pacis consilia: falli autem eum tota re, si aut Romanis pacem aut Græciæ libertatem satis firmam se credat relicturum nisi Philippo aut occiso aut regno pulso cet. Apparet attendenti, participium præfati pendere nec habere, cui adiungatur, verbum finitum; nam ipsum neque pro finito poni in sententia relativa potest (qui præfati pro: qui præfati sunt) neque totam orationem significare (pro dixerunt; etsi obstat iam pauca); et si quis ad posterius hoc incommodum vitandum fingat, indicata præfatione, reliquam orationem sine communi dicendi verbo obliqua forma adiungi, evertat hunc conatum paticula autem, quæ in eiusmodi transitu ad reliquam (post præfationem) orationem referendam poni nequit. Sed in illa ipsa particula inest, quod quærimus;

[1]) [§ 7 fortasse omittendum est et inter Nam et quia. 1863.]

scripsit enim Livius: qui, pauca præfati, recte — imperatorem Romanum facere, quod — cum iis communicaret pacis consilia, falli **aiunt** eum tota re, si cet. Iam omnia apta, iam recte præfationi reliquæ orationis expositio adiungitur. Paulo post (§ 9) verum esse nequit, quod in codice scribitur: Cum armato hoste infestis animis concurri debere; adversus victos mitissimum quemque animum maximum habere; nam [præterquam quod perverse, qui alicui parcit, maximum animum adversus eum habere dicitur] non id agitur quæriturve, qualem animum adversus victos mitissimus quisque habeat (id enim in ipso mitissimi hominis nomine declaratur), sed hoc ipsum docetur, adversus victos mitem esse decere, quique sit, eum probari et laudari. Itaque aut [cum Rupertio] scribendum est: mitissimum quemque animum maximum haberi, aut potius (quoniam mitissimus quisque animus non valde placet, ut animorum distributio fiat): mitissimum quemque animi maximi haberi, hoc est, magni animi documentum haberi clementiam erga victos. Apud Polybium (XXXIII, 20) sententia aliter conformatur (de animo, quum vincaris, forti servando, in victoria mitigando).[1])

[1]) Cap. 13, 10 belli præda rerum, quæ cet. (ut in codice scribitur) est belli præda, quatenus iis rebus continetur, quæ cet. (die Kriegsbeute an beweglichen Sachen), genetivo definitivo, quemadmodum præda hominum dicitur, quæ ex hominibus constat (XLII, 56, 10 et lexic.). Cap. 14, 4 prorsus necessaria est Drakenborchii coniectura: præter quingentos Macedonas mixtosque ex omni genere auxiliorum, **quot** iam ante ibi **fuerant** (cod. quod — fuerat). Primum aliena sunt ab hac similitudine exempla a Dukero comparata, ubi separata aliqua pars pronomine neutri generis significatur addito genetivo (id quod Cæsonis sodalium fuit, quod roboris erat) eaque significatio appositione adiungitur ad numeri pluralis nomen. Deinde, quos Kreyssigius citat locos, eorum alter (XLIV, 1, 1) iam a Gronovio remotus est, nec ulla potest excogitari causa, cur Livus uno loco sic scripserit, quum liceret utrumvis scribe-

Cap. 15, 1 et 2: Androsthenes (præfectus Philippi, (386) cui insidias posuerat Nicostratus, Achæorum prætor), omnium ignarus, Corintho profectus ad Nemeam — castra locat. Ibi parte dimidia exercitus dimissa dimidiam trifariam dimsit (corr. diuisit) et omnes equites discurrere ad depopulandos simul Pellenensium Sicyoniumque agros et Phliasium iubet. Ita codex, quem secuti editores sic scripserunt orationemque interpunxerunt: dimidiam (trifariam divisit) et omnes equites cet., in quo primum prorsus incredibilis et non toleranda est parenthesis, non aliquid, quod extra primariam sententiam addatur, sed ipsius actionis narratæ partem ita continens, ut verbum (divisit) et obiecto in primaria sententia proxime præcedenti (dimidiam) adiungatur et tempore ipsi narrationi apto ponatur, nec ullo minimo indicio a continuatione reliquæ orationis separata. (387) Deinde tota sententia et res perversissima est; dimidiam enim partem exercitus educti Androsthenes discurrere ad agrum depopulandum iubet, dimidiam — quid putamus? — dimittit, et ante dimittit, quam reliquos discurrere iubet. Quo, quæso? ad quam rem? quo consilio? Apparet, unum fieri potuisse, ut Androsthenes dimidiam partem copiarum in castris retineret, dimidiam discurrere populabundam iuberet. Atque ita rem actam esse, etsi per se perspicuum est, Livius ipse satis declarat, qui § 8 Androsthenem scribit, Nicostrato et Achæis ad castra accedentibus, tuba revocari vagos (ad populandum missos) iussisse, interim

quot in supplementum aut quod suppl., alterum postea removebo; in libro XXXI, 8, 8 (donec et ipse V millia socium ac nominis Latini effecisset; id præsidio Siciliæ provinciæ esset) non tam præsidium cum Gronovio scribendum videtur quam: id præsidi. Eius genetivi formæ errorumque inde natorum non pauca vestigia in hac decade sunt, velut in XXXIV, 25, 5 ipsum præsidio in ceteris codd. pro præsidi (B).

ipsum, raptim capere arma iussis militibus (dimidiæ illius partis, quæ in castris remanserat), infrequenti agmine porta egressum — aciem instruxisse. Itaque depravata hæc esse constat. Id factum est quum alio minore errore, tum geminatione quadam et repetitione duarum vocum. Livius enim sic scripserat: Ibi **partem dimidiam** exercitus, **divisam** trifariam, et omnes equites discurrere — iubet. (Dimidiam partem in castris remansisse per se apparet.) Aut ex solo scribendi errore (dimissam pro diuisam) natum est initium loci corrumpendi aut quod distincte de utraque dimidia parte dici librarius aliquis voluit. Ceterum prope certum est, Livium in hac enumeratione trium agrorum non elegantiam inelegantissimam captasse ex varianda hoc modo oratione (in nominibus prorsus eiusdem generis): Pellenensium Sicyoniumque agros et Phliasium, sed aut Pellenensem scripsisse, ut Iac. Gronovius scribi voluit, aut Sicyoniorumque — et Phliasiorum.[1])

Cap. 18, 7: Omnibus ex præsidiis — devocatis et ab ipsa Stratonicea Thessalorum auxiliaribus. Nimis nude omnes dicuntur contrariique ponuntur auxiliaribus. Sine dubio scribendum: omnibus præsidiis, ut undique tota præsidia devocata intellegantur. (1863.) § 16: Diu anceps pugna stetit (Rhodiorum et Achæorum cum Macedonibus prope Alabanda). Numero Achæi, mille
(388) et ipsi, quadringentos loco pepulere (sic recte B; expulere M, saltem ed. Mog.). Vitiosa oratio est; nam et ipsi significat, Achæorum eundem fuisse numerum, qui adversariorum proxime indicatus sit. At neque præcedit proxime adversariorum numeri mentio et ea ipsa causa fuisse dicitur, cur Achæi vincerent, quod ipsi plures, adversarii tantum CD fuerint. In B scribitur: Achæi et ipsi, omisso

---

[1]) § 7 in meam emendationem (ab Cleonis, Opusc. II p. 366) postea Weissenbornius incidit.

mille. Livius scripserat: Numero Achæi, ∞ (aut DC) ipsi, quadringentos loco pepulere. Ex numeri nota natum et. Sequitur § 18 de Macedonibus: Terga deinde vertunt; postremo, abiectis armis, in præcipitem fugam effunduntur. Bargylias petentes fugerunt; eodem et Dinocrates perfugit. Offendit vehementer fugerunt post in fugam effunduntur, addito præsertim participio petentes; aptius enim erat: et B. petierunt. Vereor, ne Livius scripserit tantum: in pr. fugam effunduntur, Bargylias petentes. Eodem cet.[1])

Cap. 20, 4 et 5. Oratio in editionibus non recte descripta sic decurrere debet: Coracesium eo tempore Antiochus operibus oppugnabat, Zephyrio et Solis — et, superato Anemurio, —, Selinunte recepto. Omnibus his aliisque eius oræ castellis — in deditionem acceptis, Coracesium — tenebat eum.[2])

---

[1]) Cap. 17, 10 ed. Mog. die ac nocte, Bamb. diem ac noctem. De ea re, quæ sine intermissione interdiu noctuque fiat, huius ætatis scriptores singulari numero die ac nocte dixisse puto, non diem ac noctem, quod est per unum diem noctemque, ut XXXV, 40, 8. Pluralis numerus, dies noctesque, hoc est, per dies noctesque, aliam habet orationem, quo accusativo antiquiores, Terentius, Cicero, Livius, alii constanter utuntur, ablativo inferioris demum ætatis scriptores, ut Sen. de Ben. IV, 3, 2, Quintil. VI prooem. 2, Plin. Paneg. 67, Suet. Ner. 31. De singulari numero præter rationem credo etiam poetis; nam solum nocte dieque versus admittit apud Ovidium Met. II, 343, IV, 260, XII, 46, ex Ponto III, 1, 40, Iuven. III, 105, Martial. X, 58, 11; et tamen licuisset noctemque diemque includere. Codicum apparet quam exigua sit in hac re auctoritas. Ablativus apud Livium est XXIV, 20, 13, accusativus pro ablativo XXVII, 45, 11, XXXVI, 25, 4, XLII, 54, 3 idemque apud Ciceronem de leg. agr. II, 26, 68; de Divin. II, 27, 59 diem noctem; apud Sallustium ter utrum dies noctuque an die noctuque scripserit, dubitatur. (1863.)

[2]) Cap. 21, 9 pravam esse Gronovii coniecturam, verba et peregrinos ad occultandum Livii errorem tollentis, exposui p. 52. Ibd. § 5 ex: duos superstites habuit fortasse faciendum: quos quattuor superstites habuit.

Cap. 24, 8: Cosanis eo die postulantibus cet. Prorsus mire dies talis rei postulatæ notatur, et incredibile est, hoc in senatu in æde Bellonæ pacis faciendæ causa legatis Macedonibus dato postulatum esse. Aut alius subest error aut eo anno Livius scripsit; fortasse fuit: Cosanis eo anno denuo petentibus, coll. XXXII, 2, 7. § 5 ex M (senatus et habitus) a Gœllero recte efficitur: senatus est datus. (1863.)[1])

(389) Cap. 28, 9 (ubi de quæstionibus agitur, quæ Thebis habitæ sunt de iis, qui ob cædem Brachyllis in vincla coniecti erant): Torti post paulo insontes, quum scirent ipsi nihil, opinione omnium pro indicio usi Zeuxippum et Pisistratum nominaverunt. Sic nunc edunt; in B tamen non est usi, quod in edit. Mog. manifesta interpolatione additum est; sic enim ibi scribitur: quum scirent ipsi opinionem omnium, ea pro indicio usi cet. Atqui, qui ipsi torti indicant aliquid, neque indicio utuntur neque pro indicio aliqua opinione; in illa, quam editores effici voluerunt, sententia dicendum erat: opinionem omnium secuti pro indicio Zeuxippum cet. Nam pro indicio aliquem nominare eodem prorsus modo dicitur, quo pro testimonio aliquid dicere, nec possunt hæc divelli. Sed Livius idem illud, quod participio secuti plenius significari poterat, brevius dixit solo ablativo: opinione omnium — nominaverunt. [Ablativum prorsus eodem modo Cicero posuit Verr. IV, § 67.]

Cap. 30, 8 (de pace Philippo regi data): Valerius Antias quaternum millium pondo argenti vectigal in decem annos impositum regi tradit; Claudius in annos triginta quaterna millia pondo et ducenta, præsens viginti millia pondo. Necessario, opinor, in hac orationis forma dicendum erat: præsentia
(390) viginti millia pondo (ut XXXVII, 45, 14 et XXXVIII,

---

[1]) [§ 4 necessario prænomen prætoris addendum est: a M. Sergio prætore; v. XXXII, 27, 7. 1863.]

9, 9, et hic § 7 dimidium præsens); quod quoniam in singularis numeri formam transisse prorsus improbabile est, scribendum puto: in præsens. Lib. XXXIV, 35, 11 scribitur: talenta centum argenti in præsenti et quinquaginta talenta in singulos annos per annos octo, quomodo nec Livium alibi nec alios locutos reperio. [Nam alio sensu dici ur apud Corn. Nep. Att. 12, 5 et Alcib. 4, 2.] Fuitne: argenti præsentia? [Potest etiam fuisse in præsentia, ut VII, 37, 2.]

Cap. 32, 2. Locus de mercatu Isthmiorum e B suppletus sic interpungi debet: tum quia, propter opportunitatem loci per duo diversa maria omnium rerum usus ministrantis humano generi, concilium Asiæ Græciæque is mercatus erat. Non meıcatus Asiæ Græciæque Isthmia appellantur nec concilium generi humano (— dicendum enim tum erat: humani generis **id** concilium, As. Gr. **is** mercatus erat; dativus ferri nequit —), sed mercatus Isthmiorum (— sic enim Livius, ut Cicero Tusc. V, 3, 9 et Suetonius Ner. 28, τὴν πανήγυριν Latine vertit —) Asiæ Græciæque concilium fuisse dicitur, quo ex utraque terrarum parte homines convenirent. Quæ sequuntur § 3, item e B suppleta, in Opuc. II p. 367 rectius distinguendo ab inanibus suspicionibus vindicavi, eandemque distinctionem secutus Weissenbornius est, nisi quod plene interpungi debebat post fortuna esset et novæ periodi initium fieri ab his: Alii alia — ferebant Romanos facturos; vix cet.

Cap. 33, 5 sqq. (ubi describitur Græcorum lætitia de restituta a Romanis libertate) sic e B scribendum est: Esse aliquam in terris gentem, quæ sua impensa, suo labore ac periculo bella gerat pro libertate aliorum, nec hoc finitimis aut propinquæ vicinitatis hominibus aut terris continentibus iunctis præstet, sed maria traiiciat cet. Primum est finitimos aut propinquæ vicinitatis homines liberare, alterum non

vicinos, sed tamen terris continentibus (cum Romanis) iunctos (— dativus enim est iunctis —); Romani longius pro-
(391) gressi etiam mari separatis id beneficium præstiterant. Hominibus autem id præstatur, non (apud Latine loquentes) terris, quod in vulgata scriptura (ex edit. Mog.) dicitur: terris continenti iunctis. Neque enim apud Latinos tam libere quam apud nos terræ pro populis dicebantur.[1])

Cap. 34, 3 (in condicionibus a T. Quinctio dictis Antiochi regis legatis): abstineret (Antiochus) liberis civitatibus ne umquam lacesseret armis. Sic B (nam ed. Mog. multa hic verba omittit), ex quo Bekkerus fecit, geminata littera: neu umquam, idque Kreyssigius et Weissenbornius tenuerunt. Sed umquam ab hac forma condicionum præscribendarum in vetando non minus alienum est, quam si in contrario iubendi genere addas semper (abstineret). Detrahenda erat littera (**u**), ut fieret: neu quam lacesseret. Polybius (XVIII, 30 init.): πόλεων μὲν τῶν αὐτονόμων ἀπέχεσθαι καὶ μηδένα (scr. cum Reiskio μηδεμιᾷ) πολεμεῖν. Paulo infra (§ 5), ubi agitur de conventu Græciæ gentium civitatumque, editur nunc e B: eoque maturius peragebatur, quod decreto decem legatorum civitates nominatim pronuntiabantur; antea ex ed. Mog. retinebatur: decreta d. l. civitates nom. pronuntiabant. Sed nihil est civitates pronuntiare; esset aliquid, si adderetur: quæ liberæ essent, quæ aliis attribueretur darenturve aut eiusmodi aliquid. Recte Creverius, nondum cognita codicis B scriptura, viderat scribendum esse: quod decreta decem legatorum **in** civitates nominatim pronuntiabantur. Præpositionem hausit præcedens littera **m** (vid. ad XXIII, 9, 2 et XXIV, 7, 4 p. 274 not.). Hoc Livius significat, maturius peractum esse conventum, quod non generatim leges a legatis dictæ sint, de quibus postea ad singularum civitatum condicionem et merita accommodandis disceptaretur, sed nominatim de

---

[1]) Aberrat W. etiam in altera editione.

singulis pronuntiatum sit. Poterat Livius verius et apertius
dixisse, celeriter rem transactam, quod omnia Romani pro (392)
imperio decretis conficerent: εἰσεκαλοῦντο τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν καὶ πόλεων παραγεγονότας καὶ τὰ δόξαντα τῷ συνεδρίῳ διεσάφουν (Polyb. XVIII, 30).[1])

Cap. 36, 2 (de M'. Acilio Glabrione prætore ad coniurationem servorum in Etruria opprimendam misso): Alios iam congregatos pugnando vicit; ex his multi occisi, multi capti; alios verberatos crucibus adfixit, qui principes coniurationis fuerant, alios dominis restituit. Apparet, altero et tertio loco alios pertinere ad captos, quorum sors divisa sit; primo loco alios prorsus vitiose ponitur; nulla enim est divisio neque quidquam, quod huic alios respondeat (quod poterat huiusmodi esse: alios per avia vagos comprehendit simileve); nisi quis putat recte sic dividi, ut alii victi sint, alii non victi, sed crucibus adfixi, alii dominis restituti. Videtur scribendum: Aliquot iam congregatos pugnando vicit; ex his cet. Significatur, coniurationem ante oppressam esse quam omnis multitudo congregari potuerit. [Veri similius est ad hanc formam scriptum fuisse: Alios, alios iam congregatos cet. 1863.][2])

Cap. 40, 1. Quod c. 32, 3 (alii alia — facturos) Iacobsio, Kreyssigio, aliis accidit, ut prava verborum interpunctione decepti veram codicis scripturam corrumpere conarentur, id h. l. omnibus accidit in facillimo loco, quem si talem proposuero, quemadmodum et in B et in ed. Mog. (in qua tamen initium mutilum est) scribitur, modo recte distinctum, nemo quidquam desiderabit: Adversus ea

[1]) § 10 sic interpungenda oratio: Oreum — dabant, dissentiente Quinctio; ea una res —. (1863.)

[2]) Cap. 39, 7 tollendum est quid e B additum ante quod. Quid quod semper novæ orationis et interrogationis initium habet nec in apodosi (post: Sed ut — potuerit) poni potest.

Antiochus mirari se dixit, Romanos tam diligenter inquirere, quid regi Antiocho faciundum aut quousque terra marique progrediundum fuerit,
(393) ipsos (contra) non cogitare, Asiam nihil ad populum R. pertinere nec magis cet. In editionibus, substituto at pro aut et ipsis pro ipsos, et æqualitas partis eius, quæ ad Antiochum, et eius, quæ ad Romanos pertinet, sublata est et illa, quæ proprie ad condiciones et fines a legatis Romanis Antiocho præscriptos spectant (quousque terra marique cet.), ad Romanos translata. Verba male ordinata omissumque fuerit apud faciundum prætereo. (Dicendum erat: quousque ipsis — progrediendum fuerit, non cogitare.) Paulo post (§ 5) in eadem Antiochi oratione hæc leguntur de oppidis Asiæ, quæ primum Ægypti reges, deinde Philippus tenuerit: Occupatis maioribus suis rerum aliarum cura, primo quædam ex iis Ptolemæum, deinde et Philippum usurpandæ alienæ possessionis causa tenuisse; sic enim nunc editur e B; in ed. Mog. quum deesset causa tenuisse, editores superiores effecerant usurpando aliena possedisse. Diligentius attendenti non poterit obscurum esse, vitiose usurpandæ possessionis causam in Philippo commemorari; neque enim, qua causa quove consilio regnum amplificavisset, quærebatur, sed quo iure quove prætextu; nec usurpare possessionem Livii ætate dicebatur de ea iniuste occupanda. Usurpat possessionem rei alicuius, qui aliquo modo ea utitur usuque eam continuat, ne interrumpatur amittaturque; Cic. de Or. III, 28, 110.[1]) Scribendum igitur est: usurpanda aliena possessionis causa. Nam Philippum Antiochus queritur in Ptolemæorum

[1]) Male Weissenbornius usurpare alienam possessionem enarrat interrumpere; aliena possessio omnino usurpari nequit, sed tantummodo sua cuiusque posessio.

possessionem, ipsam quoque iniustam, subrepentem aliena possessionis causa et prætextu usum.[1])

Cap. 48, 5 (de Hannibale Cercinæ epulas parante ad (394)
fugam occultandam et ad retardandos, si qui persequi se vellent): magistros navium mercatoresque invitari iussit et vela cum antennis ex navibus corrogari, ut umbra (etenim media æstas forte erat) cenantibus in litore fieret. In hac editionis Mog. scriptura, quam Weissenbornius in ed. Teubn. tenuit (nam in Weidm. B secutus est), nihil est, quod reprehendi possit, nisi quod umbra fieri alicui, quæ paretur et præbeatur, parum recte et usitate dici mihi videtur. Sed Kreyssigius e B posuit: ut umbræ (tum media æstas forte erat) cenantibus in litore fierent, in qua scriptura (ut omittam, umbras plurali numero vix in prosa oratione dici, nisi forte ubi plurium rerum umbræ seiungi cogitando possint, ut XXV, 26, 15 ubi de pluribus tectis umbrosis cogitatur) incommodum et manifesto vitiosum est tum sic positum, tamquam cavendum fuerit, ne quis alio tempore mediam æstatem fuisse putaret. (Damals war es die Mitte des Sommers. Diversissimus est locus libri XXVII, 33, 7: tum ædilis curulis (395)
erat, quod contrarium est ei honori, qui tum ipsum mandatus narratur.) Itaque aut dicendum est umbra tum

---

[1]) Cap. 41, 5 oratio sic interpungenda est: navigat Ephesum, legatis ad Quinctium missis, qui — agerent. Oram Asiæ legens pervenit in Lyciam. In cap. 43, 9 (Et P. Porcio Læcæ ad Etruriam circa Pisas decem millia peditum et D equites ex Gallico exercitu decreti) mendum subesse, perspicuum est ex pravo usu præpositionis ad (decernere alicui milites ad Etruriam). Scripseratne Livius tantum: Et P. Porcio Læcæ circa Pisas? [Cap. 45, 1 particulam tum prave interpositam Ussingius notavit. 1863.] Quam in cap. 47, 3 iam a. 1829 proposueram emendationem evidentem (furtorum manubiis extortis pro: furto eorum manibus extorto), in eam postea etiam W. incidit.

ortum esse ex umbra etenim aut, quo ducit fieret (fierent), scribendum: ut **umbraclum** (media æstas forte erat) c. i. l. fieret. Nam umbraclum fit et exstruitur.

Lib. XXXIV.

Cap. 2, 2 (in M. Catonis contra abrogationem legis Oppiæ oratione): Nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri hic quoque in foro obteritur et calcatur et, quia singulas sustinere non potuimus, universas horremus. Verbum sustinere non est in B; novicium esse orationis supplendæ fulcrum (quamquam de M, ut multis locis, nihil notatur), arguunt etiam Drakenborchii codices, quorum duo (Voss. et Lov. 6 a prima manu) pro eo restituere habent, unus (Lov. 1) restringere, post potuimus positum. Nec aptum id verbum est aut ipsum potuimus, quoniam cum reprehensione notanda est causa mali, non factum esse id, quod fieri debuerit. (Si sustinere non potuerant, nulla erat culpa.) Nihil supplendum est, sed tollendum mendum, quod latet: quia singulas non **domuimus**, universas horremus. [§ 13 Ussingius vidit sic interpungendum esse: — sperate, ipsas modum licentiæ facturas. Nisi vos facietis, minimum hoc —. Alioquin esse debebat: ipsas — facturas, si vos non faciatis. 1863.]

Cap. 3, 1 (in eadem oratione): Recensete omnia muliebria iura, quibus licentiam earum adligaverint maiores nostri. Putidi nescio quid habet illud omnia, quasi cavendum sit, ne ullum omittatur, quum præsertim recte et apte adiungatur: quibus omnibus (quæ tot numero reperietis) constrictas vix tamen continere potestis. In B est: Recens et ea omnia; suspicor in illo Recensete a omnia latere: Recensete animo muliebria iura. [Ibidem quod editur: per quæque subiecerint viris, verum non esse arguit per quæque pro et per quæ positum et quod prave licentia mu-

lierum subiecta viris dicitur. B: per q̄ subiecerint, e quo Ussingius probabiliter efficit: per quæ eas subiecerint viris. Origo erroris ex s semel scripto. § 5: id modo quæritur, si maiori parti et in summam (lex) prodest. In his prodest vix verum est; Livius videtur scripsisse prosit, deinde, quum ex prositsi ortum esset prosi, corrigendo factum esse prodest si. 1863.]

Cap. 4, 18 (in eadem oratione): Nunc vulgo alienos (396)
viros rogant et, quod maius est, legem et suffragia rogant, et a quibusdam impetrant, adversus te et rem tuam et liberos tuos inexorabiles. Plura hic, si quis diligenter attenderit, iure offendent, subitus primum in eadem periodo ad unum aliquem, qui antea significatus non est, adloquendum transitus, sed multo magis ipsa sententia; cur enim inexorabiles mulieres appellantur, quæ nihil rogantur, ipsæ alios rogant et quosdam exorabiles experiuntur? et cur adversus liberos, quorum nullæ preces significatæ sunt, inexorabiles? Atqui totum hoc inexorabiles in optimo codice B non est, in quo omnibus apicibus sic scribitur: — et a quibusdam impetrant. Adversus te et rem tuam et liberos tuos exorabilis es. Postquam a quibusdam Cato mulieres impetrare, quod petant, dixit, subito orationem avertit ad unum aliquem ex his viris facilibus et exorabilibus, et in suum suorumque damnum exorabilem eum esse ostendit. Miror tam necessariam, tam apertam, tam egregiam scripturam neglectam esse. (Weissenbornius in altera edit. inexorabilis scripsit, omisso es, nominativumque pro inexorabiles esse voluit!)

Cap. 5, 9 (in oratione L. Valerii, suadentis, ut lex Oppia tollatur): Iam urbe capta a Gallis quo redempta urbs est? Nempe aurum matronæ — in publicum contulerunt. Nihil similiter scriptum neque apud Livium neque apud quemquam bonum scriptorem

legi, ut in brevissimo et facillimo orationis ambitu subiectum sententiæ ipsum eadem substantivi forma includatur in ablativos absolutos: urbe capta urbs redimitur. (W. XXXI, 2, 6, comparari iubet, ubi quid ex minima parte simile sit, nescio.) Certum est, Livium scripsisse tantummodo: Iam capta a Gallis quo redempta urbs est?

(397) Cap. 6, 7 (in eadem oratione): Hæc quum ita natura distincta sint (ut aliæ leges perpetuæ utilitatis causa, aliæ ad tempus ferantur), ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? quæ vetus regia lex simul cum ipsa urbe nata aut, quod secundum est, ab decemviris ad condenda iura creatis in duodecim tabulis scripta, sine qua quum maiores nostri non existimarint decus matronale servari posse, nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatemque feminarum abrogemus. Quis igitur nescit cet. Sic B; ceteri codices (de M tacetur) pro quæ vetus habent quia vetus, nisi quod unus Drakenborchii eodem modo interpolatus erat, quo Sigonii vetns (si dis placet) liber, quem editores usque ad nostrum tempus secuti sunt, sic scribentes: — abrogamus? **an** vetus regia lex — nata? **an**, quod secundum est, ab decemviris cet. Apparet (ne quid de an et quæ vel quia permutatis dicam) prius an vitiose poni pro vetusne. Itaque Weissenbornius codicum vestigia propius premens edidit: Quippe vetus regia lex — aut, quod secundum est, ab decemviris cet., ut ironice hæc dicerentur eodem significatu, quo: Vetus, credo, regia cet. Sed quippe numquam sic ponitur initio eius sententiæ, quæ ironice fingitur, repugnante ipsa vocabuli natura ab interrogando orta; posito ipso illo, quod irridendo fingitur, subiicitur cum ironica adfirmatione (warum nicht?). Ad emendationem inveniendam proderit animadvertisse, non recte

coniungi vetus regia, quasi sint leges regiæ non veteres; vetustas, eaque summa, indicari debet solo regiæ aut decemviralis legis nomine. Scribi igitur primum debet: — ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? **quam** vetus? Regia lex, simul cum ipsa urbe nata aut, quod secundum est, ab decemviris cet. Ironice respondetur. Sed emendationem ita absolutam non credo; nam et in respondendo abundat lex et desideratur vox ironiam notans (Regia, credo cet.). Itaque Livium scripsisse opinor: Regia **scilicet**, simul cum (398)
ipsa urbe nata cet. [Seyffertus interrogative accipit, Regiane lex scribens.] Paulo post (§ 10), ubi editur: Nam si ista lex ideo lata esset cet., quoniam et B et vulgares codices (Drakenborchiani septem, ceterorum vestigiis idem significantibus) habent: Nam si ista lex aut ideo lata esset cet., Livius scripsisse videtur: Nam si ista lex aut **antiqua aut** ideo lata esset cet. Inferius (§ 15), ubi scribitur: Tali tempore in luxuria et ornatu matronæ occupatæ erant, ut ad eam coercendam lex Oppia desiderata sit?, in codice Bambergensi inverso ordine est Oppia lex; vellem, omisso nomine, scriberetur: ut ad eam coercendam lex desiderata sit? Melior enim fieret sententia, notione generali posita.

Cap. 7, 2 et 3: hic Romæ infimo generi, magistris vicorum, togæ prætextæ habendæ ius permittimus, nec ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui. Non potest tantum pro adiectivo esse; nam neque magnum insigne pro honorifico et splendido dicitur et Valerius id ipsum disputat, commune et vulgare insigne purpuræ esse. Itaque prorsus coniunctim una interposita voce dicitur nec solum tantum pro nec solum aut nec tantum, quod a Perizonio aut Dukero non notatum miror. Equidem valde vereor, ne solum mala manu additum sit,

quum tantum ad nec ut vivi pertinere non animadverteretur.[1])

Cap. 13, 4 (de M. Catone consule in Hispania rem gerente): Ubi satis admodum et suorum et hostium
(399) animos est expertus, convocari tribunos — iussit. Quum Dukerus animadvertisset, inusitate dici satis admodum, Handius, vir in hoc genere interpretationum excogitandarum non mediocriter exercitatus, Turs. I p. 171: „Verte modo“ inquit „ista verba hinlänglich genug, gar genug“; exemplum, ubi sic diceretur, non addidit, nec admodum esse hinlänglich ullo argumento probavit; ne id quidem cogitavit, dicturusne quisquam unquam Germanus esset, quum ad Livii formam historiam narraret, gar genug prüfen. Sed in B (de M siletur) nullum vestigium est vocis satis. Verum ne admodum quidem Cato suorum et hostium animos expertus esse apte dicitur; unum dici poterat, satis; sed quum expertum esse eum animos Livius narraret, facile intellegebatur, satis expertum. Recte Dukerus iudicavit Livium scripsisse: ubi ad hunc modum (nisi quod is, omittendæ alterius vocis auctoritatem ignorans, satis ad hunc modum posuit). [Satis errore in B omittitur.] Sequitur paulo post § 7 in Catonis apud tribunos præfectosque et ceteros convocatos oratione: Patres nostri quum Hispania Carthaginiensium et imperatores ibi et exercitus essent, ipsi nullum in ea militem haberent, tamen addere hoc in foedere voluerunt, ut imperii sui Hiberus fluvius esset finis. Primum vehementer offendit verbum substantivum

---

[1]) Quod quidam nuper hic sex verba tolli voluerunt (hic Romæ — vicorum), rectissime Valerius, qui coloniarum et municipiorum magistratus commemoravit, quid hic Romæ fiat, admonet, neque ullum omnino in Livii codicibus est vestigium huiusmodi additamentorum novas prorsus res ad eas, quas Livius commemoravit, adiungentium. Idem mihi de c. 16, 1—3 dictum esto. Permultas lacunas ceterorum codicum (etiam B) solus M explet.

sic omissum apud genetivum possessivum, ut audiatur ex pluralis numeri verbo postea cum adverbio (ibi essent) subiecto; deinde oportebat saltem scriptum: et eorum imperatores ibi cet. Sed, quod caput est, non agitur, quorum Hispania fuerit, sed tantummodo, utri ibi exercitus habuerint, utri non habuerint, pervertiturque comparatio illo adiecto; neque sane Cato concessurus erat, Hispaniam tum, quum Romani postularent, ut in foedere adscriberetur, fines Hibero terminari, Carthaginiensium fuisse; iniusta enim Romanos postulasse diceret. Contrarium quoque, qui nunc sit, rerum statum Cato proximis verbis non ita describit, ut Romanorum Hispaniam esse dicat, sed ut Romanorum prætores exercitusque eam obtinere, Carthaginiensem neminem ibi esse. Apparet, scribendum esse: Patres no- (400)
stri, quum **in** Hispania Carthaginiensium et imperatores et exercitus essent cet. Quum præpositio post litteram **m**, ut sæpe, intercidisset, additum est ibi. Et in erat in editionibus ante Gronvium, sed quum simul ibi retineretur, vitiosa fiebat oratio. Postremo, ne quid reticeam, vix dubito, quin Livius (de re imperiose efflagitata) scripserit: tamen **addi** hoc in foedere voluerunt, non addere.

Cap. 15, 3 (in narratione pugnæ contra Hispanos): Ubi omnia fuga completa vidit Cato, ipse ad secundam legionem, quæ in subsidio posita erat, equo revehitur et signa præ se ferri plenoque gradu ad castra hostium oppugnanda succedere iubet. Nunquam legi, quum in hostem eundum esset, non modo imperatorem signa præ se ferri (hoc est necessario, præ imperatore) iussisse, quod totum ridiculum est, sed ne legiones quidem et cohortes signa præ se ferre iussas; signa ferri iubentur eaque locutio permultis Livii locis legitur; quattuor exempla dabit Drakenborchius ad XXVII, 47, 8, quibus plura addi possunt (ut XXXIII, 7, 1, XXXV, 27, 16; XLI, 3, 8 in narrando: ferunt citati signa; IX,

23, 13 ipsum imperium ponitur: ferte signa in hostem). Itaque dubium non est, quin hoc loco corruptum sit præ se. Scripserat Livius: signa **propere** ferri, quemadmodum IV, 47, 2 est: signa inferri propere iussit et XLI, 3, 8: ferunt citati signa. [Signa proferri iussit Seyffertus, coll. IV, 32, 10, XXII, 42, 3.][1])

Cap. 23, 2 (ubi narratur de conventu legationum civitatum Græcarum a T. Quinctio Corinthi habito ad deliberandum de bello contra Nabidem Lacedæmonium): Quum legatus Atheniensium, quantum poterat, gratiis
(401) agendis Romanorum in Græciam merita extulisset, imploratos auxilium adversus Philippum tulisse opem, non rogatos ultro adversus tyrannum Nabim offerre auxilium, indignatusque esset, hæc tanta merita sermonibus tamen aliquorum carpi, futura calumniantium, —, apparebat incessi Ætolos. Habet aliquid offensionis illa in eadem sententia auxilii et opis distinctio: imploratos auxilium — tulisse opem, sed quæ aliquo modo excusari possit defendique; sed duo sunt in hoc loco vitia, quæ excusationem respuant; eorum alterum rhetoricum est, quod, quum duo orationis membra, quibus duplex Romanorum meritum contineatur, ceteroquin diligenter exæquata sint (imploratos adv. Ph. tulisse opem,

---

[1]) [Cap. 17, 4 (decem millia Celtiberum mercede Turduli conducunt alienisque armis parabant bellum) nulla apparet variati temporis causa; itaque Ussingius parant scribi iussit; et tamen fortasse status rerum post conductos mercenarios significatur. Cap. 18, 3 videndum puto ne Livius scripserit: ut omnia maxima minimaque per se obiret (pro adiret) atque ageret. Nam neque adire omnia neque adire atque agere usitate dicitur. 1863.] Cap. 20, 2 scribendum puto: conscientia, dum consul — esset (pro est) occupatus, depopulatorum — sociorum. Neque enim ad hanc orationis et sententiæ formam, quæ de dum proprie præcipiuntur, pertinere videntur. Præter indicativum perfectum quoque prave dicitur tamquam de uno tempore occupationis coeptæ.

non rogatos ultro adv. tyr. Nab. offerre auxilium), variato ob eam ipsam rem artificiose opis et auxilii nomine, hæc æqualitas perturbatur addito ad imploratos illo auxilium, eo quidem incommodius, quod auxilium bis ponitur. Alterum grammaticum est vitium; nemo enim unquam imploro cum duplici accusativo aut passive cum accusativo rem flagitatam significante coniunxit (imploro aliquem auxilium pro eo, quod est: alicuius auxilium, imploror auxilium). Satis, opinor, manifestum est, Livium sic scripsisse: imploratos adversus Philippum tulisse opem, non rogatos ultro adversus tyrannum Nabim offerre auxilium, mala manu alicuius, cui nimis nude et infinite dici videretur imploratos, additum esse auxilium. [Idem iudicaverat I. H. Vossius; offensus erat iam Gronovius.] Et quoniam hoc certissimum est exemplum huiusmodi additamenti omnes codices obsidentis, conferamus in unum, quæ eiusdem generis exempla, ut nobis quidem videntur, certa et perspicua in hac quarta decade aut coarguimus iam aut posthac coarguemus; sunt autem hæc: XXXI, 7, 3 (Punico), 40, 9 (auctor), 47, 6 (quem), XXXII, 21, 16 (potius), XXXIII, 18, 18 (fugerunt), (43, 9 ad Etruriam?), XXXIV, 5, 9 (urbe), 7, 3 (402)
(solum), 40, 5 (prope), XXXV, 12, 8 (propter), XXXVI, 4, 1 (Philippo et Ptolemæo Ægypti rege), 20, 2 (dies), XXXVII, 11, 3 (ad Sipylum, a Creverio damnatum), 30, 2 (Rhodios), 42, 2 (alii), 58, 4 (tanta, a Gron. et Crev. damnatum).[1])

---

[1]) Cap. 23, 6 (Philippi) et 26, 6 (et Aristænum) et 28, 2 (descensum) Weissenbornius in altera editione vera secutus est. (A Sellasia Spartam descendi, non ascendi, admonere poterat Oenus amnis præter Sellasiam in Eurotam defluens.) [Cap. 24, 4: vos rogamus, ut — ita res Græciæ constituatis, ut ab latrocinio quoque Ætolorum satis pacata hæc relinquatis B omittit hæc; potest Livius scripsisse: pacatam relinquatis. 1863.] Cap. 30, 2 partim cum Drakenborchio scribendum est: Postquam id

Cap. 31, 19 (in oratione Nabidis tyranni apud T. Quinctium): Pluribus me ipse egisse quam pro patrio sermone brevitatis fateor. Sic B (nisi quod met) et novem Drakenborchiani, mendose. Quod vulgo edebatur: pro patriæ sermone brevitatis, absurdum erat; nam sermonis brevitas est aliqua, sermo brevitatis nullus. Sed quod Kreyssigius et Weissenbornius scripserunt: pro patrio sermone, omisso brevitatis, primum non intellegitur, unde hoc cuiquam in mentem venerit addere, genetivo præsertim casu; deinde nihil erat in ipso per se Dorico et Laconico sermone, cur non copiose homines loquerentur. Proxime ad verum accessit Roëllius, qui scribi voluit: pro patrii sermonis brevitate; verum ne hoc quidem recte dicitur, sed: pro patria sermonis brevitate. Patrium erat Lacedæmoniis brevi sermone uti.[1])

Cap. 32, 3 (in oratione T. Quinctii Nabidi respondentis): Nam quid minus conveniret quam eos, qui pro li-
(403) bertate Græciæ adversus Philippum gereremus bellum, cum tyranno instituere amicitiam, et tyranno quam, qui umquam fuit, sævissimo — in suos. Sic ed. Mog. et B, idque Weissenbornius revocavit; Gronovius ceterique tenuerant, quod in vulgaribus codicibus scribitur et in editionibus ante Moguntinam: et tyranno quam qui umquam sævissimo, omisso fuit. Sed addito quoque verbo oratio manifesto vitiosa est. Nam positum sim-

---

quoque traditum Romanis audivit esse et (hoc vulgo abest), quum ab terra, omnibus circa hostibus, nihil spei esset, a mari quoque toto se interclusum, cedendum fortunæ ratus cet. Nihil omnino duri habet omnibus circa hostibus pro: quod omnes circa hostes erant; vix credas cuiquam in mentem venisse, sic hoc accipi posse: quum omnia hostibus essent. [Rectius tamen fortasse Gronovius hostilibus.]

[1]) [Eodem cap. § 5 in his: eum esse spero necessario addendum est me, ut aut cum Siesbyeo scribatur eum me esse aut (quoniam in M est respexissem): me eum esse. 1863.]

pliciter adiectivum augeri adiecta per quam comparatione potest (tyranno tam sævo, quam qui umquam sævissimus fuit; vid., ne in re nota testes e longinquo arcessam, Gramm. nostr. Lat. § 310 n. 4); posito autem ipso superlativo nulla cum altero comparatio adiungi potest (sævissimo quam qui cet.), repugnante sermonis natura, miroque errore demonstratur tamquam simile, quod V, 25, 9 scriptum est: grataque ea res, ut quæ maxime umquam, fuit; sic enim interpungendum esse (ut plena oratio sit: grataque ea res fuit, ut quæ m. u. grata fuit), apparet ex multis aliis locis, velut Ciceroniano illo ad Fam. XIII, 62: te sic colam et tuebor ut quem diligentissime, aut Liviano XXIII, 49, 12: ex provincia, ut quæ maxime omnium, belli avida. Superlativus tantum sententia relativa ad ipsum adiecta augeri potest, scribendumque necessario est: et tyranno, qui umquam fuit, sævissimo; verbum quidem in hac sententia relativa omitti non potest. (Modius in M scribit quam non esse. Sed eum codice ipsum usum esse, recte Drakenborchius, vol. VII p. XLV, negare videtur. Carbachius tantum: qui umquam fuit pro: qui umquam adnotavit.)[1])

Cap. 35, 4 (in condicionibus pacis Nabidi a T. Quinctio scriptis): vacuaque et libera (Argi oppidaque, quæ in Argivorum agro essent) traderentur Romanis, et ne quod inde mancipium regium publicumve aut privatum educeretur; si qua ante educta forent, dominis recte restituerentur. Pleniora hæc habet M, e quo pro educeretur iisque, quæ sequuntur, hæc enotantur: educeretur sine dolo malo; si qua publice aut privatim ante educta forent, dominis recte restituerentur. Perspicuum est illud sine dolo malo (404)

[1]) [Cap. 34, 7 in his verbis: ad respicienda cuique domestica mala dativus vix ferri potest, nisi cum Ussingio scribas sua cuique. 1863.]

a librario addi non potuisse; quis enim vulgatissimi usus adverbio recte adscripturus interpretandi causa erat propriam iuris formulam? neque ex publicumve aut privatum facile oriri potuit publice aut privatim. Itaque eidem codici, ex quo tam multis locis suppletæ lacunæ ceterorum sunt, hic quoque ita credendum puto, ut errorem aut ab ipsa scriptura aut ab eius notatione afuisse non putem. Magno opere offendit diligens illa omnium generum mancipiorum enumeratio distinctioque, quum satis esset: ne quod mancipium. Regia mancipia video intellegi Philippi regis; sed cur de iis hic caveatur, non apparet, et admodum ambigua illa significatio esset, nulla præcedente in hoc tota re Philippi mentione; imo Nabidis significantur, de quo etiam c. 36, 4 regius dicitur; suos ipse servos ut educeret, permittebatur. Nisi fallor, Livius sic scripsit: ne quod inde mancipium nisi regium publice aut privatim educeretur sine dolo malo; si qua ante educta cet. Recte iam cavetur, ut dolus malus absit, ne pro regiis alii educantur. Vetatur autem et Nabis publice et Nabidis præfecti militesque privatim educere. Quum publicumve aut privatum scriptum esset, altera scriptura, in margine adnotata, in alienum locum translata videtur.[1])

Cap. 36, 3: Iuventutem præterea civitatium earum (maritimarum, quibus cedere Nabis iubebatur) ad supplementum longe optimi generis militum habebat. Neque iuventutem habere ad supplementum (hoc est, unde supplementum capiatur) Latine dici puto, nec ad supplementum optimi generis militum; hoc enim erit ad supplendum optimum genus militum, ut non ipsa hæc iuventus laudetur, sed militum illæ copiæ, quæ inde suppleantur. Latinum et rectum erat: Iuventu-
(405) tem præterea civitatium earum supplementum longe

[1]) [1863; nam antea aliam coniecturam proposueram.]

optimi generis militum habebat, hoc est, supplementum ex optimi generis militibus constans. [Vid. tamen Addenda.]

Cap. 37, 1 recipiendum puto, quod et Bambergensis codex habet et vulgares (Drakenborchiani sex, præter duos, qui, quum primo oculos habeant, idem significant): Hæc inter se primo circulos serentes fremere; videtur enim, quum sermones serere et serere aliquid sermonibus diceretur, deinde etiam colloquia (XXIV, 31, 3), potuisse etiam dici circulos sermonum causa serere; neque, si paulum aliquid novitatis est, id multo minus est, quum dicitur in circulis serere aliquid.

Cap. 38, 5 (de T. Quinctio Spartam oppugnante): Quod roboris in exercitu erat, trifariam divisum parte una a Phoebeo, altera a Dictynneo, tertia ab eo loco, quem Heptagonias appellant, — aggredi iubet. Dure, quod roboris in exercitu erat, dicitur divisum una (sui) parte a Phoebeo aggredi, altera a Dictynneo; longe erit aptius, si, lineola litteræ **m** vicaria addita, scripserimus: Quod roboris in exercitu erat, trifariam divisum; partem unam a Phoebeo, alteram a Dictynneo, tertiam ab eo loco, q. H, a., aggredi iubet.

Cap. 40, 5. Dum oppugnatur tyrannus, Argivi, nuntiis aliis prope super alios adferentibus, tantum non iam captam Lacedæmonem esse, erecti et ipsi — præsidium expulerunt. Iure Weissenbornio displicuit prope interpositum his aliis super alios; nam ei, quæ in his verbis inest, celerrimæ et non interruptæ successionis significationi prope repugnat; sed quod ei fortasse substituendum esse propere suspicatus est, non vitavit alteram reprehensionem; nam ita hoc dicitur alius super alium, ut nihil interponi possit; (itaque dici debebat, si prope rectum esset, prope aliis super alios). Sed tollendum prorsus est prope, quod Livii verbis insertum est, quum esset adscriptum interpretandi causa (406)

ad tantum non. Cfr. ad 23, 2. (Sic iam P. R. Müllerus Philol. XII p. 59.)[1])

Cap. 52, 5 (de triumpho T. Quinctii): Infecti argenti fuit decem et octo millia pondo et ducenta septuaginta facti; vasa multa omnis generis. caelata pleraque, quædam eximiæ artis. Recte Creverius nimis exiguum facti argenti pondus miratus est, minime sufficiens vasis multis omnis generis; poterat suspicionem augere rotundus numerus librarum infecti argenti, tum numeri sic substantivis interpositi, ut concurrerent, et substantiva particula et copulata; Livius enim scripsisset: XVIII milia pondo, facti CCLXX. Apparet numeros continuandos esse et verba sic distinguenda: infecti argenti fuit XVIII milia pondo et CCLXX, facti vasa multa omnis generis cet. Facti argenti Livius copiam universam et genus significat, pondus non ponit, quemadmodum in M.' Acilii Glabrionis triumpho XXXVII, 46, 3: vasa argentea caelata multa magnique ponderis. Hic subsistendum erat, si nihil esset extra Livii libros ad hunc locum tractandum subsidii; nunc Plutarchus in vita Flaminini c. 14 e Sempronii Tuditani annalibus et auri facti et Philippeorum eosdem numeros, quos Livius, ponit (auri tamen MMMDCCXIII pro MMMDCCXIV), argenti autem λίτρας τετρακισμυρίας τρισχιλίας διακοσίας ἑβδομήκοντα. Itaque apud Livium pro $\overline{\text{XVIII}}$ scribendum $\overline{\text{XLIII}}$, intellegendumque etiam ex hoc loco, in antiquis Livii codicibus notis huius-

[1]) [Cap. 48, 5 fortasse scr. Omnia cum approbatione ingenti sunt audita, præterquam quum ad mentionem Nabidis ventum est (pro esset). Cap. 49, 5, ubi sic scribitur: Libertate modice utantur; temperatam eam salubrem et singulis et civitatibus esse, nimiam et aliis gravem et ipsis, qui habeant, effrenatam et præcipitem esse, mallem abesset et effrenatam aut scriberetur: nimiam et effrenatam et aliis gravem et ipsis, qui habeant, præcipitem esse. Vitium sensit etiam Ritschelius Mus. Rh. XVIII p. 479. 1863.]

modi numeros, non verbis et litteris indicatos fuisse; ex L (quod in vetere forma facile potuit) factum V. [Sic Rupertius.]

Cap. 54, 1 verba hæc: Comitia consulum fuere quibus creati sunt cet. inanissimam abundantiam habere, Forchhammer sensit. Excidit nomen diei: com. cons. fuere a. d.*, quibus cet. Sic habet, quo referatur illud: postero die. (1863.)

Cap. 58, 5 (in disceptatione legatorum Antiochi regis cum T. Quinctio): Enimvero id auditu etiam dicere indignum esse Hegesianax (legationis Antiochi princeps), Thraciæ et Chersonesi urbibus arceri Antiochum; quæ Seleucus proavus eius, Lysimacho rege bello victo et in acie cæso, per summum (407) decus parta reliquerit, pari cum laude partim ab Thracibus possessa armis receperit Antiochus, partim deserta, sicut ipsam Lysimachiam, et revocatis cultoribus frequentaverit et, quæ strata ruinis atque incendiis erant, ingentibus impensis ædificaverit. Quattuor verba alio ordine codices habent, B et vulgares: ab Thracibus partim possessa. M cum edd. vett.: ab Thracibus possessa partim; sed codices fide digni (MB) ante ab Thracibus addunt eadem idque Weissenbornius recepit (eo ordine, quem B et vulgares habent). Sed in hac coniunctione (sine copula) duorum membrorum idem obiectum (quæ) habentium id pronomen, quod comparationem aliquam indicat, addi recte nequit. Accedunt alia incommoda, ordo verborum, in hac sententiarum coniunctione, non recte variatus (in utroque enim membro subiectum præcedere debebat: quæ Seleucus — reliquerit, Antiochus — receperit) et transitus durissimus nec ferendus (quum nulla nec causa nec excusatio sit) a feminino genere ad neutrum (Thraciæ et Chersonesi urbibus, quæ Seleucus parta reliquerit pro: quas — partas reliquerit). Viam veri reperiendi cer-

tissimam ostendunt illa: pari cum laude eadem una cum ordine verborum, ut dixi, inverso (quæ Seleucus — reliquerit, — eadem — receperit Antiochus); apparet enim, relativæ sententiæ, in qua pronomen (quæ) generatim ponatur, non ad urbes pertineat, demonstrativam reddi (ἀνταποδ'δοσθαι), quod ut fieri recte possit servarique coniunctivorum (receperit cet.) causa, addenda est coniunctio, quæ similitudine litterarum extrita est, et ita scribendus totus locus: Enimvero id auditu etiam dicere indignum esse Hegesianax, Thraciæ et Chersonesi urbibus arceri Antiochum, **quum**, quæ Seleucus proavus eius, Lysimacho rege bello victo et in acie cæso, per summum decus parta reliquerit, pari cum laude eadem, ab Thracibus possessa, partim armis receperit Antiochus, partim cet. Post An-
(408) tiochum excidit cum. Apparet nunc etiam, partim in M rectius quam in ceteris poni; nam illis Lysimacho — cæso contraria ponuntur hæc: ab Thracibus possessa, deinde partitio fit.

Cap. 62, 13 (in legatorum Numidarum contra Carthaginiensium querelas et postulata oratione): Neque eum (agrum), de quo agitur, probare eos posse, non modo semper, ex quo coeperint, sed ne diu quidem eos possedisse. Nullo artificio defendi potest, hoc posterius eos non soloecum esse pro se; (probare non possunt, — eos possedisse;) manifestum est, id pronomen male suppletum esse, quum subiectum desideraretur; utrum Livius scripserit: probare eos posse — possedisse an probare eos posse **se** — possedisse, non definio; magis tamen in hanc partem inclino; nam omissi pronominis reflexivi (sive personalis reflexive subiecti loco ponendi) exempla apud perfectum infinitivi tempus, post huiusmodi præsertim verbum, quale est probare (— facilius enim fertur fecisse dixit et similia —) nec multa nec

certa sunt. Sed restat aliquid. Livium enim opinor scripsisse: *ex quo ceperint*, non: *ex quo coeperint*; debebat enim addi *possidere*.

Lib. XXXV.

Cap. 8, 7 (in oratione Metelli, querentis, quod L. Cornelius consul non M. Marcellum legatum Romam secum deduxisset, qui contraria consulis litteris de proelio cum Boiis facto ad multos scripserat): *Nunc videri esse amotum de industria, qui ea, quæ scripsisset, præsens diceret, arguere coram et, si quid vani adferret, argui posset, donec ad liquidum veritas explorata esset.* Sic nunc (a Weissenbornio) editur e B et vulgaribus codicibus, in qua scriptura et longum hoc et bipartitum membrum *arguere coram et — argui* (409)
posset vitiose sine particula adiungitur illi: *qui — diceret*, et prave hoc dicitur: *amotum esse, qui ea, quæ scripsisset, præsens diceret*, quæ orationis forma aperte consilii significationem habere videtur (*amotum, ut alicubi diceret*; longe enim aliud esset, si sic scriberetur: *nunc amotum esse, qui contraria consuli scripsisset*). Itaque si horum codicum vestigiis insistendum esset, scribendum saltem erat: *qui — præsens* **dicere et** *arguere coram et — argui posset*; etsi ne sic quidem placet hæc orationis relativæ forma: *amotum esse, qui — posset*, qua tamquam incerta persona generatim significatur, cui significationi contraria sunt illa: *ea, quæ scripsisset*. Itaque redeundum videtur ad præstantiorem codicis M auctoritatem, in quo sic scriptum est: *amotum esse de industria, ne ea, quæ scripsisset, præsens diceret aut argueret coram et, si quid vani adferret, argui posset* (etsi tantum usque ad *coram* notatur codicis scriptura), tenendumque aptissimæ diiunctionis indicium (*aut argueret*); scribendum est enim: *ne ea, quæ scripsisset, præsens diceret* **et** *aut ar-*

gueret coram **aut**, si q. v. a., argui posset. Atque idem video placuisse Creverio, nisi quod de ne restituendo non cogitavit. Origo prioris mendi nata est ex nea pro ne ea scripto, deinde **n** omisso, alterius ex et post diceret omisso.[1])

Cap. 12, 8 (ubi Damocritus Ætolus Nabidi suadet, ut maritimas Lacedæmoniæ civitates bello recuperet): Nullum exercitum Romanum in Græcia esse, nec propter Gythium aut maritimos alios Laconas dignam causam existimaturos Romanos, cur legiones in Græciam rursus transmittant. Vitiosissime dicitur propter aliquid dignam causam existimare (ne
(410) addito quidem esse), cur aliquid facias; usitate et recte aliquid (aliquem) dignam causam existimo, cur faciam; atque ad hanc formam Livius scripserat: nec Gythium aut maritimos alios Laconas dignam causam existimaturos cet. Addidit propter eadem sedulitas, quæ non pauca alibi, quorum ex hac decade exempla collegi ad XXXIV, 23, 2. [Sic iam Gron.] Paulo post (§ 13) nollem a Weissenbornio [in ed. priore] revocatum in oratione obliqua fuerunt pro fuerint, quum ipse M (in quo est fuerant), quam facile in hac re aberratum sit, ostendat. Dixi iam ante (p. 181 not., ad IX, 25, 5), aliam in hac re imperfecti et plusquamperfecti ex oratione recta retenti legem esse. Idem mendum residet in c. 16, 10 (venerunt; tres Drakenborchii codd. venerint; contra paulo ante necessario cum Dukero scribendum mutave-

---

1) Cap. 5, 14 tollendum est codicum auctoritate sunt ante amissa. [Cap. 6, 6 editur: senatum, ni is (L. Cornelius consul) ad magistratus subrogandos Romam veniret, potius quam Q. Minucium a bello integro avocaret, interregnum iniri passurum. In M pro ni is fuit velle ut is; inde effici debet: senatum velle, ut is — veniret; **ni veniret**, potius quam cet. Multo rectius sic gradus distinguuntur, et multo facilius excidere non veniret potuit quam addi velle ut. 1863.]

runt in eo, quod Sulpicius ipse affirmat) et 17, 7 (petierunt contra M B et 4 Drakenb. codd.). Lib. XXXVII, 60, 6 Bekkerus pro timuerunt posuit timuerint. (X, 26, 11 valuisse videtur consuetudo in particulis non ante — quam recepta.)

Cap. 17, 5 editur: Nabidi tamen dominationem in patriam suam et patriam Lacedæmonem remissam; B et recc. in patria sua et patriam Lacedæmonem. Restituendus utroque loco ablativus; in urbe tyrannus dominatur. (1863). Cap. 19, 4 W. edidit, quod in M et B est: ubicunque vires, ubi arma esse sciam, inveniam. Quod scimus ubi sit, non invenitur; scribendum: sciam, veniam. In ex m ortum. Et edebatur vulgo: sciam, huc veniam; sed adverbio facile caremus. (1863.)[1])

Cap. 29, 2. Cretenses et hostium auxiliares, equitumque idem genus Tarentini, præsidio aquatoribus erant. Significari debet, ab hostium quoque parte auxiliares, qui Cretenses erant, et equites Tarentinos præsidio fuisse. Sed adeo impeditus et pravus verborum ordo est, ut Cretenses ab hostium auxiliaribus separentur, et prorsus obscuretur, ad hostes orationem transferri. Sublato

---

[1]) Cap. 17, 2 non recte Drakenborchius et recentiores e cod. Moguntino scripserunt nunc querelas, nunc expostulationes; recte ceteri codices postulationes; nam diversa componi ostendit particula (nunc — nunc); querelæ et expostulationes eiusdem generis sunt. Quem Drakenborchius ex XLII, 42, 9, advocat locum, ipse eum revocare debuerat. De c. 20, 11 et 21, 1 dixi p. 52 ad I, 46. [Cap. 25, 7 quem Gronovii errorem Kreyssigium et Weissenbornium secutos dixeram, apud Achæos scribentes, eum in edit. II W. abiecit.] Cap. 27, 8 Bekkerus recte sensit, tamen particulam ineptam esse, quum rerum cladi hominum adiungatur. Quum M habeat tamen ex tam ancipiti peste (si recte scriptura adnotata est), B tam ancipiti peste, ceteri tamen ancipiti peste, suspicor Livium scripsisse: perpauci tam ex ancipiti peste, de quo ordine dixi ad Cic. Fin. V, 9 p. 651; addo Liv. VIII, 13, 4: admodum a paucis populis, XXXVI, 30, 5: quam cum inerti hoste.

interpretamento manifesto restat: et (etiam) hostium auxiliares (id est Cretenses) equitumque idem genus, Tarentini cet. Sed hæc quoque postrema vox (Tarentini) valde suspecta fit eiusdem originis esse. (1863 et 1876.)

(411) Cap. 31, 1: Dum inter Achæos et tyrannum bellum erat, legati Romanorum circumire sociorum urbes, solliciti, ne Ætoli partis alicuius animos ad Antiochum avertissent. Ne hoc quidem loco ulla est repetitæ sæpius per aliquod tempus actionis aut status alicuius coepti et aliquamdiu manentis significatio, quæ infinitivi historici propria est, sed rei semel factæ narratio. Itaque sequitur: Minimum operæ in Achæis adeundis consumpserunt. Scribendum igitur una littera adiecta: circumiere, quemadmodum iam in editionibus veteribus scriptum est. Contrarius error tollendus erit XXXVII, 31, 7; cfr. ad XXII, 47, 6 p. 252. [Ire pro iere M et H 1 I, 27, 6, inter ire pro interiere M et P VI, 1, 2.]

Cap. 32, 4 (ubi Thoas et Menippus Antiochi opes extulisse commemorando narrantur) scribendum est ex M: ingentem vim peditum equitumque venire; ex India elephantos accitos; ante omnia — tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos posset. Vulgo, suasore Gronovio, B et deteriorum auctoritate omittitur accitos; sed hic quoque omittendo vitiatum fuisse codicem
(412) horum parentem ostendit orationis forma et verbum cum delectu suum cuique membro datum: venire (ex ipso Antiochi regno), accitos (e longinqua et peregrina terra), advehi. Postremo, turbatum hic esse, manifestum fit ex eo, quod B et deteriores pro ante omnia habent ad omnia, ortum ex ipso illo accitos, quod postea sublatum est.

Cap. 34, 4: Ætoli consilium uno die spei quoque non audacis modo, sed etiam impudentis ceperunt, Demetriadem, Chalcidem, Lacedæmonem occupandi. Mirum profecto, notabile aut Livio aut cui-

quam visum esse, consilium uno die captum esse; quamquam ne hoc quidem verba uno die illo loco posita (inter consilium et genetivos ei nomini adiunctos) recte significare possunt, sed tantum, quale illud consilium uno die (non ceteris) fuerit. Nec me fallit, vulgo hæc verba accipi de consilio inito tres urbes uno die occupandi; sed eam sententiam ex verbis salva sermonis natura nego effici posse; nec moveor Drakenborchii iudicio, ad c. 31, 13 hæc aliis exemplis verborum traiectorum sine ullo discrimine admiscentis. Sed ut concedam, ita intellegi verba posse, primum nihil omnino erat, cur uno die urbes diiunctas occupari vellent, quum non iis artificiis uterentur, ut ad consilii exsecutionem pertineret, eodem temporis momento omnibus locis rem agi. Et apertissimum est ex tota narratione, nihil huiusmodi (de uno die) cogitatum esse. Lacedæmone quidem sensim ac per longum tempus res præparanda et occasio captanda erat, ut certus rei agendæ dies ante constitui nullo modo potuerit (cap. 35 et 36). Nec eodem die, sed iisdem diebus (c. 37, 4) Chalcis tentari coepta est et in conatu aliquantum temporis consumptum (c. 37 et 38). (Ad hæc accedit, quod particula quoque post spei non habet, quo referatur.) Manifestum est igitur, corruptum esse uno die, latetque sub his litteris aliquid, quod, sicut proxima (spei cet.), ad notandum, quale illud consilium fuerit, pertineat. Mihi videtur Livius scribere potuisse: Ætoli consilium **rei** spe quoque non audacis modo, sed etiam impudentis ceperunt, Demetriadem, Ch., Lac. occupandi, ad genetivum rei (413)
appositione adiuncto gerundii genetivo. Sic enim Livius interdum gerundii non ablativum solum (I, 56, 2, ubi Weissenbornius VI, 11, 9 citavit), sed etiam accusativum et genetivum ponit, accusativum XXI, 4, 3 et XXII, 8, 5, genetivum II, 47, 12 (immemor eius, quod initio consulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis) et XXXII, 19, 1 (rei maioris spes, Achæorum gentem —

avertendi). (Cfr. Hor. Ep. II, 1, 19 (abl.), Ter. Ad. IV, 2, 6 (dat.).) [Si hoc verum est, uno ex postremis litteris vocabuli consilium natum et ad die ex rei ortum accommodatum est; sed pervellem ad litteras propius accedere liceret.] In proximis superioribus verbis recte Sigonius scribi voluit: omnia novari velle (pro novare) de hominibus mutationum cupidis, non ipsis earum consilia capientibus nec quidquam sua sponte moventibus. (Cfr. de mendi genere p. 38 not. 2.) Initio capitis post Antiocho aliquid excidisse, animadversum iam a Weissenbornio video; sententia huiusmodi fere fuisse videtur: Inde, ut quæque de Antiocho **fama adlata erat, Ætoli excipiebant. et ne** nihil per se ipsi moti et sedentes exspectare adventum viderentur regis, concilium quidem cet. [Aliam tamen supplementi formam suadere videtur inde, quod facilius ad Corinthum refertur quam pro deinde accipitur.] Eodem capite paulo post (§ 7) quæ de Ætolorum consilio Demetriadis occupandæ ab Eurylocho exsule adiuto narrantur, eorum initium in codicibus vitiose sic scribitur: Litteris Eurylochi admoniti propinqui amicique et qui eiusdem factionis erant, liberos et coniugem eius cum sordida veste, tenentes velamenta supplicum, contionem frequentem adierunt, singulos universosque obtestantes, ne insontem indemnatum consenescere in exilio sinerent. Quod editionis Frobenianæ primæ auctoritate vulgo tenetur: contionem frequentem adire iubent, tantum abest, ut, quod Drakenborchius scribit, ex M sumptum sit, ut, quum in ipsa editione Mog. scriberetur frequenter adierunt, Carbachius e cod. adnotarit frequentem adierunt. Hoc Weissenbornius recepit, posita post sordida veste lacunæ nota. Livius scripsisse videtur: liberos et coniugem eius —, tenentes velamenta supplicum, **in** contionem frequentem adcierunt (v. adduxe-

runt). Erroris initium oriri potuit aut ex omisso in post (414)
m aut ex verbo rariore (accierunt).[1])

Cap. 41, 3: Decrevere, ut consulibus (a. 191, P. Scipioni et M'. Acilio) Italia et quo senatus censuisset (iam esse bellum adversus Antiochum regem omnes sciebant) provinciæ essent. Neque ordo verborum in parenthesi rectus est, pondere prave in iam adverbium incumbente, nec sententia; nondum enim erat bellum cum Antiocho, sed instare id apparebat, de eo indicendo latum ad populum esse, proximi demum libri cap. 1 narratur. Scripsit Livius: **eam** esse bellum adv. Ant. reg. omnes sciebant. Omnes sciebant, quæ ambiguis illis verbis: quo sen. censuisset tamquam incerta significaretur provincia, nullam aliam esse nisi bellum cum Antiocho. Paulo post (§ 6) notanda saltem, si Livio imputabitur, insolentia et pravitas dicendi in hac scriptura:

---

[1]) Cap. 35, 9 ex M (etsi pro Nabidi habet nam id) scribendum: Nabidi quoque ipsi; nam quoque et ipse non recte dicitur. [§ 14: Fecerat sibi morem — recipiendi se ad tyrannum. Se in B aliisque omittitur, in aliis post tyrannum ponitur. Dixitne Livius recipiendi pro recipiendi sui aut se, ut Cæsar B. G. VII, 52, quamquam ibi hoc in re militari de copiis dictum propius accedit ad notionem substantivi, quod est receptus, de quo genere dixi post alios ad Cic. Fin. p. 129? Eodem fere modo Livius XXXI, 21, 6 dixit: vix spatium instruendi fuit, hoc est, se instruendi, Ciceroque pro Mil. § 11: potestatem defendendi et ad Att. VII, 20, 2: turpitudo coniungendi cum tyranno et Tibullus IV, 6, 5: ornandi causas. Similiter accusativo casu usus est Cæsar B. C. III, 46: ad recipiendum, hoc est, ad se recipiendos, et Livius IX, 37, 3 et XXVIII, 22, 13: ad instruendum, durius autem nominativo gerundivi Cæsar B. G. I, 48: si quo erat — prodeundum aut — recipiendum, sublato in gerundivo discrimine verbi intransitivi, quod est prodire, et reflexivi se recipere, quod ne permittebat quidem huius ætatis usus, ut nominativo gerundivi impersonaliter positi accusativum se adderet, et Cicero ad Att. IX, 7, 7: ut tibi ambulandum, unguendum, sic mihi dormiendum, et Livius VI, 35, 2: accingendum ad eam cogitationem esse. 1863.]

Item de provinciis prætorum decretum est, prima ut sors duæ, urbanaque et inter cives ac peregrinos iurisdictio esset, secunda Bruttii, tertia classis cet. Mire enim dicitur prima sors duæ esse (pro: composita ex duabus rebus), sequente præsertim secunda, quæ isto modo tertia esse videtur. Vereor, ne Livius scripserit: prima ut sors duplex, urbanaque — iurisdictio esset. Poterat etiam duæ prorsus omitti.[1])

Cap. 47, 6 (Philippus quidam Megalopolitanus), se ori-
(415) undum a Magno Alexandro ferens, filiis duobus Philippum atque Alexandrum et filiæ Apamam nomina imposuerat, quam regiis (Amynandri Athamanis) inclutam nuptiis maior ex fratribus Philippus secutus in Athamaniam fuerat. Mire femina regulo panut statim incluta his nuptiis dicitur, tamquam nominis claritas ad longinquos et posteros propagata significetur, et frater inclutam nuptiis secutus, tamquam fama e longinquo adlata excitatus. Opinor una littera aberratum esse, quum Livius scripsisset: quam regiis **inclusam** nuptiis — Philippus secutus in Athamaniam fuerat. Nam illigatam longius discedit.[2])

---

[1]) Cap. 42, 3 nescio Liviine error an scripturæ mendum sit in his verbis: et primo naves apertæ, quas cum eo (Hannibale Antiochus) missurus in Africam fuerat, moratæ sunt. Nam et lib. XXXIV, 60 Hannibal narratur centum tectas naves postulasse nec poterat, opinor, aliter exercitum ex Asia Carthaginem traiicere.

[2]) Cap. 49, 13 (in T. Quinctii oratione in concilio Achæorum) non minus nunc quam olim (ad Cic. libr. I de Fin. c. 7 p. 52) miror, qui factum sit, ut plerique recentiores Drakenborchio crederent recte scribi: Nam quod optimum esse dicant, non interponi vos bello, nihil immo tam alienum rebus vestris est. Coniunctivus enim in hoc genere, ubi iudicatur de re facta, de sententia iam ab aliis proposita, ferri nequit, longeque diversum est quod apud Plautum et Terentium cum coniunctivo (potentiali) sic positum, ut coniectura præcipiatur id, quod quis fortasse dicturus sit, ut quod dicas sit: fingamus te dicere; si forte

Cap. 49, 7: homo non, quam isti sunt, gloriosus. Id enarrant: non tam, quam isti sunt, gloriosus. Sed ad reliquam de non quam pro non tam — quam dubitationem, de qua dixi supra p. 313, accedit h. l., quod quam omisso tam interponitur ante adiectivum. Nec recte hospes Chalcidensis negatur gloriosus esse; nam utrorumque gloriationis genus comparatur; ille quoque gloriabatur, sed alia re, condiendi arte. Itaque scribendum puto: homo non, qua (qua via, quo genere) isti sunt, gloriosus; Mog. non quam ut, ex quo nihil efficias, nisi forte ut additum esse ab aliquo, qui in nostram sententiam verba acciperet. (1863.)

Lib. XXXVI.

Cap. 2, 1: His ita in senatu ad id, quæ cuius provincia foret, decretis, tum demum sortiri consules placuit. Qui primus hæc sibi obscura et dubia (416)
videri confessus est, Creverius, idem ita enarrare conatus est, ut ad id esset: usque ad id caput decreti, quo finiretur, quæ cuiusque provincia esset. Sed neque ad id sic dici potest nec, quæ cuiusque provincia esset, a senatu decernebatur, sed sorte, ut nullum de ea re caput in senatus consulto esset; senatus, quod eius erat, utramque consularem provinciam communiter iam decreverat. Perspicuum est, Livium hoc dicere, ea, quæ exposita hactenus sint, in incertum sortis eventum decreta esse, ut in instruendis provinciis nihil posset consulis, qui cuique præ-

dixeris. Hunc tamen comicorum, hoc est, veteris sermonis quotidiani usum secutus est Cicero non solum in Pison. 27, 66, quem locum olim non recte tentavi (quod vobis iste tantummodo improbus, crudelis — esse videatur, nihil scitote esse luxuriosius), sed etiam, qui locus me et alios fugit, Verr. V, 68, 175: Quod enim te liberatum iam — cogites, mihi crede cet. Apud Livium Creverius recte dicunt edidisse videtur.

futurus esset, gratia aut favor. Opinor igitur Livium scripsisse: His ita in senatu **haud** ad id, quæ cuius (vel potius cuiusque, ut Rupertius scripsit) provincia foret, decretis (ohne Rücksicht darauf, welche Provinz jedem der Consuln zufallen würde). Nam violentum est: in senatu ab ignaris, quæ cuiusque cet. Quam facile haud illo loco excidere potuerit, apparet.

Cap. 4, 1: Sub idem tempus legati ab duobus regibus, Philippo Macedoniæ et Ptolemæo Ægypti rege, Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia et pecuniam et frumentum; ab Ptolemæo etiam mille pondo auri, viginti millia pondo argenti adlata. Hæc non ita a Livio scripta esse, nonnihil etiam orationis forma arguit, in repetito post regibus nomine rege vitiosa, sed multo magis codices, a quibus omnibus, excepto uno interpolatissimo apud Creverium, abest Macedoniæ (a B etiam et, ut scribatur: Philippo Ptolemæo Ægypti rege). Itaque Gronovius, quum aut in utroque aut in neutro regni nomen addendum esset, scribi volebat: — regibus, Philippo et Ptolemæo, Romam venerunt. Sed in codice longe optimo, M, præterea pro pollicentes scribitur Philippo pollicente, quo loco nemo aut inter venerunt et pollicentes additurus Philippo erat de suo aut pollicentes mutaturus. Apparet, opinor, aut, adscita Gronovii coniectura, sic scribendum esse:
(417) legati ab duobus regibus, Philippo et Ptolemæo, Romam venerunt; Philippo pollicente (per legatos) ad bellum auxilia et pecuniam et frumentum, ab Ptolemæo etiam (præterquam quod eadem pollicebatur) mille pondo auri — adlata, aut potius intellegendum, quum ita Livius scripsisset, ut nomina regum non statim coniuncta poneret, sed separatim subiiceret: legati ab duobus regibus Romam venerunt; Philippo pollicente ad bellum a. e. p. e. fr., ab Ptolemæo etiam cet., — quum sic, inquam, Livius scripsisset, aliena manu

ad illud regibus cum minore orationis formæ cura adscriptum esse: Philippo et Ptolemæo Ægypti rege. Vid. ad XXXIV, 23, 2.[1])

Cap. 7, 4 (in oratione Hannibalis) verba sic describenda sunt, ut appareat, quid agatur quæraturque ad propositam rem, quid pro argumento interponatur: Nam quod ad Euboeam Boeotosque et Thessalos attinet, cui dubium est, quin (ut quibus nullæ suæ vires sint, præsentibus adulando semper, quem metum in consilio habeant, eodem ad impetran- (418) dam veniam utantur), simul ac Romanum exercitum in Græcia viderint, ad consuetum imperium se avertant nec iis noxiæ futurum sit cet. Recte iam descripta oratione, sublata simul est omnis dubitatio de simul ac et de asyndeto duro, quod erat in vulgata huius loci forma. Obstitit, quo minus vera sententiæ continuatio intellegeretur, forma orationis paulo minus vulgaris, minime tamen rara in iis, quæ parenthesi continentur, adhibita, ut ex dativo pronominis relativi in priore membro posito audiatur in altero, hoc quidem loco cum

[1]) Cap. 6, 5 recte Bekkerus e B: sub leni verborum prætextu. Lenibus et mitibus verbis verum decreti sensum Thebani prætexuisse et involvisse dicuntur; levitas nulla erat; causæ (in quem significatum credo nonnullos levem illum prætextum deflexisse) in decreto non adferebantur neque in verbis erant. § 6 vereor ne pro ad diem indictum scribi debeat ad diem dictum. Nam indicuntur, quæ fieri præstarique debent (etiam exercitus, hoc est, eius congregatio); tempus rei agendæ dicitur (Gron. et Drakenb. ad XXXV, 3, 2) aut edicitur (Drakenb. ad XXXI, 49, 12). Nec, qui h. l. tacent, editores c. 8, 2 tulerunt e M scriptum: dies ad conveniendum exercitui (scr. cum Gron. cum exercitu) Pheras est indictus, sed e B et ceteris revocarunt: est dictus. Obstat XXVII, 30, 6: concilioque et locus et dies certa indicta. Nam X, 27, 3 scribendum videtur necessario: dies inde dicta pugnæ pro: dies indicta pugnæ; desideratur enim omnino vox, quæ transiri ad novam rem significet.

particula copulativa, nominativus (et qui, præsentibus adulando semper, — utantur), de quo genere dixi olim ad Cic. Fin. V, 9 p. 650 et Opusc. Acad. II p. 177 (Gramm. Lat. § 323). Livii geminum est exemplum in X, 26, 6: Sunt, quibus ne hæc quidem certamina exponere satis fuerit, adiecerint (hoc est: et qui adi.) et Appii criminationes cet., ubi Weissenbornius se non expedivit, paulo durius, quod post duo membra ex quibus et quorum in tertio auditur et qui, in IX, 1, 9. (De cui dubium dictum est ad XXIV, 45, 6.) Paulo post (§ 10) nullo modo ferri potest per parenthesin interiecta interrogando eadem de populo Romano sententia, quæ in ipsa primaria oratione est, rectissimeque Douiatius et Creverius ex quicquid fecerunt qui quid (qui [Pyrrhus] quid tandem erit vobiscum comparatus?). Sed aut fallor aut simul necessario scribendum erat. Quid fuerit Pyrrhus, recte quæritur, (si nunc comparetur), non quid futurus sit.

Cap. 12, 6: ad spem vulgatæ clementiæ aliquot populi Acarnaniæ defecerunt. Vulgatæ iam clementiæ spes non est, sed fama; nec vulgata erat Antiochi clementia et in multis experta, sed, quam in una urbe ostenderat, eam ad plures omnesque translatum iri sperabant. Itaque scribendum est: ad spem **vulgandæ** clementiæ, quemadmodum scribitur XXXIV, 29, 8: spes dedendæ urbis, id est, fore, ut dederetur; Cic. ad Att. III, 7, 3: spem mutandarum rerum, de R. P. II § 4: ob labefactandi regni timorem, id est, ne labefactaretur. (1865.)

Cap. 14, 13 (de M'. Acilio Glabrione, in quem Thaumacis appropinquantem iuventus oppidi, quæ armata silvas et itinera insederat, incursavit): Consul primo mittere, qui ex propinquo colloquentes deterrerent eos a tali furore; postquam perseverare in incepto vidit,
(419) — interclusit, — cepit. Parum aptus est infinitivus historicus, qui significat consulem identidem homines mittere coepisse et in eo aliquamdiu perstitisse, cui unum co-

natum satis fuisse probabile est. Sed mittere e solo M est; in ceteris (B) est missi, quod vix ex illo ortum est, sed ex misit.[1])

Cap. 20 init. (de M'. Acilio): Consule per Phocidem et Boeotiam exercitum ducente, consciæ defectionis civitates cum velamentis ante portas stabant, metu, ne hostiliter diriperentur. Ceterum per omnes dies haud secus quam in pacato agro sine violatione ullius rei agmen processit, donec in agrum Coronæum ventum est. Coronea a Thermopylis, unde Acilius profectus est, vix geographorum mensura octo milliaria distat; itaque non multi fuerunt omnes illi dies; nec Latine dicitur per omnes dies facere aliquid nisi de finito numero (per omnes quinque dies); omninoque temporis significatio hinc aliena est, ubi, quod in ceteris populis eorumque agris servatum esset, in uno mutatum narratur. Scripserat Livius: Ceterum per omnes (reliquos populos) haud secus quam in pacato agro — agmen processit, donec cet. Dies pravum est interpretantis additamentum eiusdem prorsus generis, cuius additum in M XXXV, 4, 3 agros ad inter pacatos.

Cap. 22, 7 de Acilio consule Heracleam quattuor simul locis aggrediente in B et vulgaribus codicibus sic scribitur: a flumine Asoro (recte restitutum Asopo), qua et gymnasium est, L. Valerium operibus atque oppugnationi præposuit frequentius prope quam in urbe habitabatur, Ti. Sempronio Longo oppugnandam dedit et regionem Mella quoque aditum (420)

---

[1]) Cap. 15, 8 sic interpungendum: intra fauces ad meridiem vergunt — Euboea et, excurrente in altum velut promuntorio, Attica terra, sita ab tergo, et Peloponnesus. (1865.) Cap. 19, 10 mira neglegentia, qui alibi accusativo casu constanter sequentes scribunt, edunt: magnam partem agminis aut lassitudine subsistentis aut errore — dissipatos oppresserunt.

haud facilem pars habebat, M. Bæbio (B; e ceteris ad scripturam M. Bæbium nihil notatur), ab altero angulo (quidam, si recte tacetur: ab altero amniculo), quem Melena vocant, adversus Dianæ templum, App. Claudium opposuit, in qua scriptura, ut alia dubia sint, id dubium non est, quin ante frequentius aliquid exciderit. In M primum Carbachius sic scribi adnotavit: — oppugnationi præposuit arcem extra muros, quæ frequentius prope quam urbs habitabatur; deinde pro illis: regionem Mella quoque Gelenius in M et Spirensi (quo altero codice usus est) dicit esse: a sinu Maliaco quæ; postremo quum in editione ipsa Moguntina esset, ut in superioribus: ab altero amniculo, quem Melena vocant, Carbachius e cod. adnotavit: ab altero amnis latere, quem Melana vocant, sed Gelenius adfirmat, et M et Spir. habere ab altero amniculo. Primum in Mellaquo que (B dett.) aperte inest id ipsum, quod M servavit: Maliaco, quæ. Deinde illud extra muros perspicue et res confirmat et quod c. 24, 5 de eadem Ti. Sempronii parte (c. 24, 2) in eodem M scribitur, ceteris longe aberrantibus: Pars una, in qua ædificia extra urbem erant. Sed ab arce (quæ imminebat loco alto et undique præcipiti, § 5, et in quam Ætoli se receperunt, quum illa ipsa parte urbs capta esset, § 6) suburbium illud diversum fuisse. manifestum est; itaque Gronovii coniecturam, partem scribentis, fere amplectuntur, non valde probabilem. Mihi arcis nomen malæ originis suspectum est tamquam additum, quod substantivum desideraretur, et sic scribendum videtur: extra muros, **qua** (sic iam Gronovius) frequentius prope quam in urbe habitabatur, Ti. Sempronio Longo oppugnanda dedit; a sinu Maliaco, quæ aditum haud facilem pars habebat, M. Bæbium, ab altero amniculo — App. Claudium opposuit. Si quis in B ceterisque (et regionem) veri vestigium latere credet, scribet: extra

muros, qua — habitabatur, Ti. Sempronio Longo (421) oppugnandam dedit regionem; a sinu Maliaco cet. Apparet in illustri exemplo (eaque ipsa causa mihi fuit loci commemorandi suspicionemque incertam non premendi), quam molestum sit, quod neque in singulis locis M plenam continuamque scripturam certa fide enotatam habemus, indicatis, si quæ ambigua, erasa, supra scripta, correcta fuerunt, neque totius codicis mendorumque formæ perspicuam imaginem animo comprehendere possumus.[1])

Cap. 25, 7. Consul Romanus Philippum regem Lamiam oppugnantem et de deditione cum oppidanis agentem ab oppugnatione desistere iussit: æquius esse Romanos milites, qui acie dimicassent cum Ætolis, præmia victoriæ habere. Non tantum cum Ætolis, sed, quod caput dimicationis et victoriæ erat, cum Antiocho. In M erat quam Ætolos, perverse; debebat enim dici quam Macedonas. Sed ex pravo illo supplemento ad explendam comparationem addito ortum videtur, quod ceteri codices habent, Liviusque tantum scripsisse: æquius esse, Romanos milites, qui acie dimicassent, præmia victoriæ habere. Commodius præda et acies universe (422) inter se referuntur, non addito, quibuscum pugnatum sit. (Cfr. quæ ad XXXVII, 30, 2 dicentur.)

Cap. 28, 6 (in M.' Acilii oratione ad Ætolorum legatos): Itaque, ni propere fit, quod impero, vinciri vos iam iubeo. Quod verbi tempus unum in tali comminatione cum particula iam coniungi recte potest, habet B: iam iubebo. (De M tacetur.) Nec ideo non prorsus legitime in condicione præsens ponitur de eo, quod iam fit

[1]) C. 24, 2 quoniam eorum codicum, qui exspectantes habent, princeps (B) aperto mendo iussit omittit, sequendus M, qui habet: Ti. Sempronium tenere intentos milites signumque expectare iussit (ipsum, ut, quum accepisset, procurrere milites iuberet). Intentus et paratus tenetur miles, exspectans teneri vix recte dicitur.

aut quum maxime fieri incipit fierive debet (de qua re et ceteri grammatici præcipiunt et ego breviter præcepi Gramm. Lat. § 340 not. 1), maximeque comminationis, in qua omnem dilationem et moram sublatam volumus, proprius est hic præsentis cum ni (nisi) usus, sequente aut præcedente futuro; ex quo genere et illud est apud Ciceronem in Verr. IV, 39, 85: moriere virgis, nisi mihi signum traditur (cfr. I, 32, 82) et alterum ex oratione de rege Alexandrino servatum (Scholiast. Cicer. ed. Orell. II p. 351): non patiar hanc exaudiri vocem huius imperii: Ego te, nisi **das** aliquid, hostem, si quid **dederis**, regem et socium et amicum iudicabo, et apud Livium hoc ex VI, 15, 6: quod nisi facis, — in vincla te duci iubebo. [Cic. ad Att. XII, 40, 4, Acad. II, 29, 93, Corn. Nep. Epam. 4, Plaut. Pers. V, 2, 46, Ter. Eun. IV, 7, 33, Hor. Sat. II, 3, 153.] Non mutatur res, substituto pro futuro imperativo exspecta aut simili, ut XXXVIII, 14, 12: Quingenta talenta nisi triduo numeras, populationem in agris — exspecta.

Cap. 34, 10 (in oratione T. Quinctii M.' Acilio suadentis, ne in Naupacti oppugnatione perstet): Atqui non tantum interest nostra, Ætolorum opes ac vires minui, quantum non supra modum Philippum crescere, et victoriæ tuæ præmium te milites que tuos nondum duas urbes, Philippum tot gentes Græciæ habere. Hæc quid haberent in sententia vitii, quum Imm. Bekkerus perspexisset, postremam partem inde a verbis et victoriæ tuæ delendam significavit, cuius iudicii causam Kreyssigius et Weissenbornius
(423) adeo non intellexerunt, ut omnino se, quid Bekkerum movisset, nescire faterentur. Et tamen res manifesta est moveratque me nondum cognita Bekkeri suspicione. Primum enim perspicue tollitur, illis adiectis, comparationis æqualitas, quæ posita est in duabus rebus, Ætolorum opum deminutione et Philippi incrementis. Deinde hæc nova com-

paratio præmiorum Acilii militumque Romanorum et ex altera parte Philippi nullo modo ita cum Ætolorum deminutione componi potest, ut non tantum interesse Romanorum dicatur, Ætolorum vires minui, quantum non inique distribui inter Romanos Philippumque victoriæ præmia; hæc enim distributio nihil cum illa deminutione coniuncti habet. Postremo ne ad grammaticam quidem oratio recte procedit, pravissime ex his: non supra modum Philippum crescere negatione propagata ad alterum membrum; sic enim intellegi oportet: et quantum interest, non victoriæ præmium te cet. (quantum interest, non ita inique dividi præmia); debebat saltem dici: nec victoriæ tuæ cet. Ut nunc scribitur, dicitur Romanorum interesse, sic dividi præmia. Itaque certum est hanc de eo, quod Romanorum intersit, sententiam his verbis terminari: Atqui n. t. i. n., Ætolorum opes — minui, quantum non supra modum Ph. crescere. Verum illa, quæ præterea adhærent, nullo modo ab interpretanti addita putari possunt, quoniam nec eiusmodi habent orationis formam, sed per se rectam et Livianam, nec quidquam est, quod illis verbis enarrare cuiquam in mentem venire potuerit; prorsus nova res in iis commemoratur. [Et eadem sententia in eadem re apud Plutarchum ponitur Flamin. c. 15 ex Polybio.] Quid igitur censebimus? Accidisse hoc loco putabimus in codice nostrorum principe, quod et in primæ et in tertiæ decadis codicibus nostrorum archetypis aliquoties accidisse demonstravi (ad VIII, 10, 13 p. 163 et 164, ad XXII, 10, 3 p. 236, ad XXX, 5, 4 p. 320) et in hac decade iterum accidisse demonstrabo in XL, 13, 1 et 2, ut voces aliquot, primum errore omissæ, deinde, quum essent in margine adnotatæ, alieno loco orationi insererentur. Omnia enim rectissime habebunt, si, his verbis sine ullius syllabæ aut litteræ mutatione (quod ipsum veritatis indicium est) ante illa: Atqui non tantum interest translatis, sic (424)
oratio decurret (§ 8, 9, 10): Ecquid vides, te — in

duabus urbibus oppugnandis tempus terere —, Philippum autem — non solum urbes, sed tot iam gentes, Athamaniam, Perrhæbiam, Aperantiam, Dolopiam sibi adiunxisse, et victoriæ tuæ præmium te militesque tuos nondum duas urbes, Philippum tot gentes Græciæ habere? Atqui non tantum interest nostra, Ætolorum opes—minui, quantum non supra modum Philippum crescere.[1])

Cap. 35, 7: Ibi (in concilio Achæorum) de Eleis et de exsulibus Lacedæmoniorum restituendis actum est; neutra (sic recte Weissenb., ante erat: actum et neutra) perfecta res, quia suæ gratiæ reservari eam Achæi, Elei per se ipsi quam per Romanos maluerunt Achaico contribui concilio. Sic editur inde a Gelenio ex M et Spirensi; antea edebatur, ut in deterioribus codicibus scriptum est: quia suæ gratiæ reservari ea Achæi per se ipsi quam cet. (Magis etiam lacunosus B, in quo est: quia suæ Græciæ [sic sæpe corrumpitur gratiæ] reservari eam Achæi per maluerunt Achaico contribui concilio, omissis errore etiam his: se ipsi quam per Romanos). Recte tamen Dukerus animadvertit, in significanda priore ex duabus rebus ante nominatis non posse eam pro eo, quod est illam, poni, Creverius præterea, quum communiter ante neutra res appellata sit, non posse simpliciter alteramutram certo pronomine (illam aut hanc) demonstrari; itaque alteram requirebat, quod ipsum parum responderet plenæ et distinctæ alterius rei (de Eleis) notationi. Apparet, ubi in codicibus eam (ea) scriptum est, subesse certiorem Lacedæmoniorum exsulum causæ significationem, substantivo inclusam; nec in illo eam aliud latet nisi cau-

---

[1]) § 3 pro acciderant vix dubium est quin aut accidebant aut acciderent scribendum sit. (1865.)

sam; sed excidisse videtur vox necessaria, quum Livius scripsisset: reservari **exsulum causam** Achæi, Elei cet.[1]) (425)

Cap. 45, 9: creati sunt consules L. Cornelius Scipio et C. Lælius, intuentibus cunctis ad finiendum cum Antiocho bellum. Prorsus inusitate dicitur intueri ad aliquid faciendum pro eo, quod est intentum esse; neque in L. Scipione saltem creando, cuius nulla magno opere fama aut exspectatio erat, illa cura belli finiendi per se apparet; nam Lælius P. Scipionem in Hispania et Africa egregie iuverat. In codicibus vulgaribus plerisque scribitur C. Lælius Africanus, quod cognomen Lælius neque alibi habet neque parare sibi quæstor potuerat, æquiparato cum ipso imperatore gloriæ titulo; quod (426) tamen in Cassiodori fastis Lælius Africanus appellatur, ostendit, iam tum, quum illi confecti sunt, sic in quibusdam Livii libris scriptum fuisse. Sed eius scripturæ originem ostendit B uno adiuncto e Drakenborchianis testimonii socio (Mead. 2), in quibus scribitur: C. Lælius Africanum intuentibus cet. (Quod in editione Moguntina primum deletum est Africanus, ex eo de codice M nihil conficitur, Carbachio et Gelenio tacentibus; itaque ibi idem scriptum fuisse, quod in B, opinor.) Atque hanc codicis Bambergensis scripturam omnibus litteris veram et integram esse puto nec quidquam ultra quærendum. Hoc enim Livius dicit, in creandis L. Scipione et C. Lælio homines belli cum Antiocho finiendi et in ea re Africani rationem habuisse, cuius alter ex iis, qui creabantur, frater esset, alter olim in rebus gerendis socius et adiutor fuisset, ut credi posset, neutri illum operam in eo bello, quod nunc gereretur, denegaturum esse.

---

[1]) Cap. 40, 4 sine ulla dubitatione recipienda erat Rubenii emendatio Gronovio et Creverio probata: quot cum millibus. [Sic iam Lovv. 1 et 3.]

Lib. XXXVII.

Cap. 2, 5 et 6: Exercitum ex Liguribus Q. Minucius (iam enim confectam provinciam scripserat) traducere in Boios et P. Cornelio proconsuli tradere iussus. Ex agro, quo victos bello multaverat Boios, deducendæ urbanæ legiones, quæ priore anno conscriptæ erant, M. Tuccio prætori datæ — ad Apuliam Bruttiosque obtinendos. Brevissime urbanæ legiones superioris anni commemorantur in agro Boiis adempto, quoniam suo ibi exercitu rem P. Cornelius gesserat eumque bello confecto dimisisse narratur lib. XXXVI, 39 et 40 sine ulla legionum urbanarum mentione; quæ si ibi fuissent, retinuisset eas Cornelius, non alium exercitum a Minucio accepisset; neque minus perverse prætori novo legiones dantur e provincia deducendæ, ut deinde easdem in alia provincia habeat. Vel verborum ordo ostendit, illa ex agro — deducendæ ad aliam rem pertinere, quæ ad Tuccium pertineant, incipere ab urbanæ legiones, idemque illa demonstrant de P. Cornelio, ne interposito quidem pronomine, adiuncta: quo — multaverat; nam si nunc de Tuccio diceretur nova periodo, saltem quo is scribendum erat. Scripsit Livius: — tradere iussus, ex agro quo —, Boios, deducenti. Duæ urbanæ legiones cet. P. Cornelio negotium datum est, ut Boios ex agro, quem iis ademerat, deduceret in alias sedes eumque vacuefaceret; ad eam rem, quæ sine armorum metu effici non poterat, Q. Minucii exercitus ei traditus est. P. Tuccio urbanæ legiones superioris anni dantur, ut, quemadmodum sæpe factum scribitur, post urbanam militiam et otiosam in provinciam eant. Ex deducenti duæ factum deducendæ. (1865.)[1])

[1]) [§ 12, ubi editur binæ eo anno decimæ, M. habet binæ eæque proximæ decimæ, e quo fit: binæ æque ac proximo anno decimæ; vid. XXXVI, 2, 12 et 13. 1865.]

Cap. 3, 4 tam incredibile est Livium obsoleto nominativo carnis usum esse, ut suspicer scriptum fuisse pars carnis, sed prius nomen ante Prisciani ætatem excidisse. (1865.) Cap. 9, 6 scribendum opinor: cum triginta navibus suis et septem quadriremibus, quas secum Eumenes rex adduxerat. (1865.)

Cap. 12, 11 (de classe Romanorum et Eumenis): Inde (a Coryco, Teiorum promuntorio) quum in proxima Samiæ vellent traiicere, non exspectato solis ortu, ex quo statum cæli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem miserunt. Fieri potest, ut fallat nos proprium rei navalis loquendi genus; miror tamen hunc verbi mittere usum adiuncta in præpositione, dubitoque, an Livius scripserit: in incertam tempestatem ierunt, posteaque, geminata errore littera **m**, ex mierunt ortum sit miserunt.

Cap. 20, 3 et 4 (de Pergamo obsesso) oratio sic diiungenda et continuanda est: Ita libera ab tergo populatio erat. Nullo ab urbe, ne in stationes quidem qui procul iacularetur, excurrente, postquam se- (427)
mel compulsi metu se moenibus incluserunt, contemptus eorum — apud regios oritur. Contemptus natus est, non postquam se incluserunt, sed quod, postquam semel se incluserunt, nemo omnino excurrebat. Ad populationem post terga regiorum nihil impedimenti adlaturæ erant excursiones.[1])

---

[1]) [Cap. 17, 6 pro effugerent M effugere vellent, ex quo faciendum effugere velint ob sint et maneant. Cap. 23, 2 pro providerent scribendum necessario providerant; antea provisum oportuerat. Cap. 25, 5 Antiochus litteris transitum in Asiam Romanorum increpuisse dicitur: Venire eos ad omnia regna tollenda, ut nullum usquam orbis terrarum nisi Romanum imperium esset. Fortasse scribendum usquam in orbe terrarum; volebat Antiochus alia præter Romanum relinqui in orbe terrarum imperia, non alia orbis terrarum imperia. 1865.]

Cap. 26, 6 et 7 (de Antiocho Notium, oppidum Colophoniorum, oppugnante): Et ipsam urbem suæ potestatis esse volebat, adeo propinquam Epheso, ut nihil terra marive (Ephesi Antiochus) ageret, quod non subiectum oculis Colophoniorum ac per eos notum extemplo Romanis esset, quos, audita obsidione, non dubitabat ad opem sociæ urbi ferendam classem a Samo moturos; eam occasionem Polyxenidæ ad rem gerendam fore. Pendet et initio totius sententiæ positum nec sequitur altera causa huic (et ipsam urbem) respondens; nam duplicem causam studiose susceptæ rei significari apparet, alteram in ipsius urbis possessione positam, alteram in re adiuncta. Scripsit Livius: Et ipsam urbem suæ esse potestatis volebat, —, **et hos** (Romanos), audita obsidione, non dubi-
(428) tabat cet. Excidit et post esset; deinde factum quos. In anacoluthon Livius in tali orationis forma tam aperte instituta et tam facili incidere non potuit. Paulo post, ubi agitur de L. Æmilio prætore cunctante Colophoniis (Notii incolis) auxilium ferre, sic scribitur (§ 12): Eudamus Rhodius, qui et tenuerat eum Sami cupientem proficisci in Hellespontum, cunctique instare et dicere, quanto satius esse vel socios obsidione eximere vel cet. Vitiosum, ut ferri nequeat: dicere, quanto satius esse [perversissime comparatur Cic. pro Mil. § 16, sublata recta interrogationis forma: quantum — accepimus]; si esset scripseris, subineptum tamen est: dicere, quanto satius esset, quum rectissimum esset: — instare; quanto satius esse cet.; saltem dixisset: et disserere aut et exsequi aut instare exsequendo. Vereor, ne mendum subsit scribendumque sit: instare, ut duceret: Quanto satius esse cet. Cfr. c. 39, 3: Conclamatum undique est, duceret extemplo et uteretur ardore militum.

Cap. 30, 2 (de classe Romana Rhodiaque et Antiochi proelium inituris): Robore navium et virtute militum Romani longe regios præstabant, Rhodiæ naves agilitate et arte gubernatorum et scientia remigum. Perizonii hæc est coniectura; in codicibus legitur: longe Rhodios præstabant (B lodios errore) Recte Perizonius negat, in præparanda narratione proeli inter Romanos Rhodiosque et ex altera parte regios apte induci comparationem Romanorum Rhodiorumque inter se ut, qua re Romani Rhodios vicerint, dicatur (et debebat e contrario addi in altero membro Romanas); verum non e regios natum illud Rhodios, sed interpretandi causa additum (ut illud quam Ætolos in XXXVI, 25, 7), quum Livius universe de tribus classibus Romanam uno genere, Rhodias altero excelluisse scripsisset, regiis nullius rei tribuisset principatum: Robore navium et virt. mil. Romani longe præstabant, Rhodiæ naves agilitate cet.

Cap. 31, 7: Rhodii (post proelium navale ad Myonnesum a L. Æmilio prætore domum redire iussi) impigre prævertere ad traiiciendasque copias consulis (429)
(Scipionis Hellespontum) iere, atque eo quoque functi officio, tum demum Rhodum rediere. Prorsus prave dicitur prævertere, non addito, ad quid præverterint. Particula que nec in B nec in Drakenborchii codicibus (decem) fuit. Detracta igitur una littera scribendum est: Rhodii prævertere ad traiiciendas copias consulis **ire**, atque cet.

Cap. 35, 3 (in Antiochi legatorum oratione de pace): eas, quæ in Asia sint, civitates (Lampsacum et Alexandriam Troadem) tradere (regem) paratum esse, et si quas alias Romani, quod suarum partium fuerint, vindicare ab imperio regio velint. Codex M: quas suarum partium ediderant, quod iure vix credunt ex altero illo ortum esse; quod autem aliquid sub

hac scriptura latere dicunt, nihil, opinor, latet, nisi quod una littera mutata rectum tempus restituendum est: ediderint, h. e., quas tamquam suarum partium nominaverint.

Cap. 41, 4, ubi est: regii tam lata acie ne ex medio quidem cornua sua circumspicere pote-
(430) rant, nedum extremi inter se conspicerentur, necessario scribendum puto conspicere; nam circumspicere, hoc est, oculis quærere, facile poterant, neque circumspectionem caligo tollit, sed conspectum; et idem verbum utroque loco esse debet, ut, quod ne ex media quidem acie fieri potuerit, id multo minus e cornibus fieri potuisse significetur. De duabus simul partibus conspiciendis non ponitur circumspicere. [Coniectura in duabus Drakenborchii codicibus præcepta est.]

Cap. 42, 2 (in narratione proelii ad Magnesiam): Ad quos (equites cataphractos) quum, dissipatis subsidiis, pervenisset equitatus Romanus, ne primum quidem impetum pars eorum sustinuerunt; alii fusi sunt, alii propter gravitatem tegumentorum armorumque oppressi [sunt]. Si hæc vera sunt, pars equitum cataphractorum impetum sustinuerunt neque fusi aut oppressi sunt; sed quid ea pars deinde aut fecerit aut passa sit, non dicitur. Apparet, perversum esse illud de parte (aliqua incerta) impetum non sustinente pravoque loco divisionem fieri. Scripserat Livius: — ne primum quidem impetum sustinuerunt; pars eorum fusi sunt, alii propter gravitatem cet. Quum aliquis vulgarem distribuendi formam significasset, adscripto ad pars eorum vocabulo alii, idque in contextam orationem venisset, pars eorum ad priora tractum transpositumque est. [Offensus erat Creverius.]

Cap. 43, 9: Ceterum fugientibus maior pestis intermixtis quadrigis elephantisque et camelis erat et sua ipsorum turba, quum solutis ordinibus velut cæci super alios alii ruentes incursu beluarum obtererentur. Necessario tollendum et ante

sua, quod si pro copulativa accipitur, omnem structuram evertit (maior pestis est alicui intermixtis quadrigis atque sua turba), si pro etiam, et pravo loco ponitur post illa intermixtis cet. et ad sententiam et comparationem cum hostium persecutione ineptum est; scribendum igitur: Ceterum fugientibus maior pestis, intermixtis — camelis, erat sua ipsorum turba, quum cet. [Sic iam Heusinger.] Deinde quum codicum (431) auctoritate sola hæc confirmetur scriptura: quum — ruerent, incursu beluarum obtererentur, rectissime Gelenius in ed. Frob. II et addidit (ruerent et incursu), quod post t excidit.[1])

Cap. 45, 7 (in Zeuxidis legati regii oratione): Non tam, quid ipsi dicamus, habemus, quam ut a vobis quæramus, Romani, quo piaculo expiare errorem regis — possimus. Verbum habemus, quod in vulgaribus codicibus (etiam B) omittitur, additum est ex M (adnotante Carbachio hæc sola: quid ipsi dicamus habemus); quid superesset in oratione scabri et pravi, Drakenborchius sensit (habemus, ut quæramus); recta omnia erunt, si scripserimus: quam a vobis quærimus; idque fortasse ipsum in M fuit; nam quæramus vereor ne, omisso habemus, ex dicamus ortum sit et propterea additum ut.

---

[1]) Cap. 44, 4 recte codices: legati ab Thyatira et Magnesia (scr. a M.) ab Sipylo — venerunt, non quod dicatur per se Magnesia ab S., sed quod, ubi de hominibus aliquo profectis agitur, præpositio ad eam notionem accommodatur, ut, qui ad Sipylum sunt, ab Sipylo venisse dicantur, quemadmodum e contraria parte Latine venire ad aliquem Romam, in Italiam dicitur; itaque incolæ, quum alibi versantes cogitantur, Magnetes a Sipylo appellantur (οἱ ἀπὸ Σ. Μάγνητες). Eodem modo XLII, 56, 6 duæ ab Heraclea ex Ponto triremes appellantur. [C. 50, 2: — placuit; qui Asiam sortitus esset, exercitus ei, quem L. Scipio haberet, est decretus. Prenomen ei prorsus incommodo loco ponitur. Bamb. placuit et qui Asiam, quamquam postea et inductum est. Recte Ussingius: — placuit. Ei, qui Asiam —, exercitus, quem cet. 1865.]

Cap. 47, 7 (de comitiis consularibus in annum 189 a. Chr.): Fulvius consul unus creatur, quum ceteri centurias non explessent; isque postero die Cn. Manlium Lepido deiecto (nam Messalla tacuit) collegam dixit. Non video, quodnam illud sit Messallæ silentium; nam professus se candidatum iam multo ante erat nec de petitione destitisse dicitur; neque Manlium eloquentia vicisse puto. Miror igitur, nemini placuisse, quod codices (B et Drak.) præbent, iacuit. Lepidum, cuiuspet tioi aliquid virium habuerit et quocum certamen fuerit, Livius deiectum esse dicit, Messallam non deiectum, sed iacuisse ipsum nec ulla magno opere suffragia habuisse.

(482) Cap. 51, 5 (de Q. Fabio, flamine Quirinali, prætore, in provinciam proficisci a pontifice maximo vetito et repugnante): Religio ad postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici; et multa iussu populi ei remissa. Postrema hæc (et multa cet.) ex M recentiores restituerunt; in prioribus contra omnium codicum auctoritatem retinetur scriptura etiam sententiæ graviter nocens. Nam hoc: religio vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici sic dicitur, tamquam ipse flamen religione victus, omisso certamine, pontifici paruerit; at coactum eum populi voluntate et cetera docent et quod mox subiicitur, eum ira ereptæ provinciæ prætura se abdicare conatum esse. In codicibus notis scribitur: vicit ut dicto audiens esset (B essent) flamen pontifici iussus, in quo perspicue inest id, quod Gelenius aut ex eadem Moguntini scriptura eruit aut ipsum ex illo sumpsit: et dicto audiens esse flamen pontifici iussus; sed simul addita una littera scribendum: — iussus est; multa iussu populi cet. Et alienum est. Nihil prorsus offensionis habet participio (iussus) substantivum coniugatum in altero sententiæ membro subiectum. Infra (§ 9) in his verbis: desierant enim victum in Ætolia metuere vix dubitari potest, quin exciderit regem (victum in Ætolia regem metuere) aut Antiochum; nam

omisso nomine significari non potuit, qui in toto hoc capite commemoratus significatusve non esset. Sed iniuria totus locus (in quo quod erat mendum difficile, Rubenius sagacissima coniectura sustulit, pro: averterunt famam restituto: a vetere fama) Weissenbornio dubius visus est, quod in M, geminata prima littera verbi metuere et in propter præcedens m omisso, scriptum erat: victam Ætoliam metuere.

Cap. 56, 2 ea, quæ senatus Romanus post bellum Antiochi Eumeni dari iussit, sic enumerantur: Lycaoniam omnem et Phrygiam utramque et Mysiam, regias silvas et Lydiæ Ioniæque extra ea oppida, quæ libera fuissent, quo die cum rege Antiocho pugnatum est, et nominatim Magnesiam ad Sipylum cet. (483) In his duæ sunt mendi suspiciones pergraves, altera iam ab aliis, altera a nullodum mota. Nam genetivus ille Lydiæ Ioniæque, qui pendere debet ex notione inclusa in his: extra ea oppida (Lydiæ Ioniæque reliqua extra ea opp.), iam Dukerum et Creverium advertit; mihi quidem hoc loquendi genus ita videtur incredibile, ut transpositionem factam putem scribendumque: Lydiæ Ioniæque oppida extra ea, quæ cet. [Sic Rupertius.] Certius tamen alterum mendum esse credo in illis: Mysiam, regias silvas, in quibus primum suspectum est, quod Mysia, nullo addito fine, tota Eumeni datur; nam ex altero Livii loco de aucto Eumenis regno in libro XXXVIII, 39, 15 et ex Polybii, quem ibi Livius secutus est, libro XXII, 27, 10, quamquam non eodem modo scribunt (ille: Mysiam, quam Prusias rex ademerat, hic: *Μυσούς, οὓς πρότερον αὐτὸς παρεσκευάσατο*, de Eumene), tamen intellegi videtur, tantum partem aliquam Mysiæ Eumeni datam; sed hoc leve; ne illud quidem magni per se momenti et tamen suspiciosum est, quod inter cetera copulata hoc ἀσυνδέτως interponitur (et Mysiam, regias silvas et Lydiæ cet.). Sed quænam sunt illæ regiæ silvæ, quæ sine ulla loci et regionis significatione inter provinciarum terrarumque nomina interiiciuntur, tamquam hæc ipsa aliqua terra sit? Quod illarum

Cap. 47, 7 (de comitiis consularibus in annum 189 a. Chr.): Fulvius consul unus creatur, quum ceteri centurias non explessent; isque postero die Cn. Manlium Lepido deiecto (nam Messalla tacuit) collegam dixit. Non video, quodnam illud sit Messallæ silentium; nam professus se candidatum iam multo ante erat nec de petitione destitisse dicitur; neque Manlium eloquentia vicisse puto. Miror igitur, nemini placuisse, quod codices (B et Drak.) præbent, iacuit. Lepidum, cuiuspet tioi aliquid virium habuerit et quocum certamen fuerit, Livius deiectum esse dicit, Messallam non deiectum, sed iacuisse ipsum nec ulla magno opere suffragia habuisse.

(482) Cap. 51, 5 (de Q. Fabio, flamine Quirinali, prætore, in provinciam proficisci a pontifice maximo vetito et repugnante): Religio ad postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici; et multa iussu populi ei remissa. Postrema hæc (et multa cet.) ex M recentiores restituerunt; in prioribus contra omnium codicum auctoritatem retinetur scriptura etiam sententiæ graviter nocens. Nam hoc: religio vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici sic dicitur, tamquam ipse flamen religione victus, omisso certamine, pontifici paruerit; at coactum eum populi voluntate et cetera docent et quod mox subiicitur, eum ira ereptæ provinciæ prætura se abdicare conatum esse. In codicibus notis scribitur: vicit ut dicto audiens esset (B essent) flamen pontifici iussus, in quo perspicue inest id, quod Gelenius aut ex eadem Moguntini scriptura eruit aut ipsum ex illo sumpsit: et dicto audiens esse flamen pontifici iussus; sed simul addita una littera scribendum: — iussus est; multa iussu populi cet. Et alienum est. Nihil prorsus offensionis habet participio (iussus) substantivum coniugatum in altero sententiæ membro subiectum. Infra (§ 9) in his verbis: desierant enim victum in Ætolia metuere vix dubitari potest, quin exciderit regem (victum in Ætolia regem metuere) aut Antiochum; nam

omisso nomine significari non potuit, qui in toto hoc capite commemoratus significatusve non esset. Sed iniuria totus locus (in quo quod erat mendum difficile, Rubenius sagacissima coniectura sustulit, pro: averterunt famam restituto: a vetere fama) Weissenbornio dubius visus est, quod in M, geminata prima littera verbi metuere et in propter præcedens m omisso, scriptum erat: victam Ætoliam metuere.

Cap. 56, 2 ea, quæ senatus Romanus post bellum Antiochi Eumeni dari iussit, sic enumerantur: Lycaoniam omnem et Phrygiam utramque et Mysiam, regias silvas et Lydiæ Ioniæque extra ea oppida, quæ libera fuissent, quo die cum rege Antiocho pugnatum est, et nominatim Magnesiam ad Sipylum cet. (438) In his duæ sunt mendi suspiciones pergraves, altera iam ab aliis, altera a nullodum mota. Nam genetivus ille Lydiæ Ioniæque, qui pendere debet ex notione inclusa in his: extra ea oppida (Lydiæ Ioniæque reliqua extra ea opp.), iam Dukerum et Creverium advertit; mihi quidem hoc loquendi genus ita videtur incredibile, ut transpositionem factam putem scribendumque: Lydiæ Ioniæque oppida extra ea, quæ cet. [Sic Rupertius.] Certius tamen alterum mendum esse credo in illis: Mysiam, regias silvas, in quibus primum suspectum est, quod Mysia, nullo addito fine, tota Eumeni datur; nam ex altero Livii loco de aucto Eumenis regno in libro XXXVIII, 39, 15 et ex Polybii, quem ibi Livius secutus est, libro XXII, 27, 10, quamquam non eodem modo scribunt (ille: Mysiam, quam Prusias rex ademerat, hic: *Μυσούς, οὓς πρότερον αὐτὸς παρεσκευάσατο*, de Eumene), tamen intellegi videtur, tantum partem aliquam Mysiæ Eumeni datam; sed hoc leve; ne illud quidem magni per se momenti et tamen suspiciosum est, quod inter cetera copulata hoc ἀσυνδέτως interponitur (et Mysiam, regias silvas et Lydiæ cet.). Sed quænam sunt illæ regiæ silvæ, quæ sine ulla loci et regionis significatione inter provinciarum terrarumque nomina interiiciuntur, tamquam hæc ipsa aliqua terra sit? Quod illarum

aut altero Livii loco aut apud Polybium vestigium est? Quænam in Asia cis Taurum huiusmodi silvæ commemorantur, quæ separatim inter provincias tamquam notabilis regni accessio dari potuerint? Perspicuum esse arbitror, errori silvarum nomen deberi; sed quid subsit, difficile est invenire. Valde tamen inclinat animus, ut pro siluas scriptum a Livio putem (et) Milyas (Miluas), incolarum nomine pro regione posito. Nam Milyada et ipse Livius in libro XXXVIII cum reliquis, quas hic enumerat, regionibus eodem loco (ante Lydiam) nominat et Polybius. Regias quid occultet, nescio, sed latere aliquid videtur, quod pertineat ad Mysiæ partem significandam (Mysiam regiam et Milyas?). Paulo post
(484) (§ 3 et 4) non video, quum sic dicatur: Cariam, quæ Hydrela appellatur, qui possit dubitari, quin, quamquam Hydrela oppidum fuisse constat, ex quo ager Hydrelatanus appellatur (vel potius Hydrelitanus, ὁ τῶν Ὑδρηλειτῶν), tamen Caria Hydrela (ἡ ὑδρηλή) regio intellegi debeat, nomen, opinor sortita ab eo, quod fluviis irrigua esset. Hoc si ita est, quæ deinde nominantur: et castella vicosque trans Mæandrum amnem et oppida, nisi quæ libera ante bellum fuissent, Cariæ fuisse videntur. Atqui Caria trans Mæandrum Rhodiis data est (§ 6; cfr. Polyb. XXII, 27, 8: Ῥοδίοις ἐχρημάτισαν, διδόντες Λυκίαν καὶ Καρίας τὰ μέχρι Μαιάνδρου); eo magis moveor codicum, excepto M, scriptura, qui castella ad Mæandrum habent; et per se probabile est, Eumenis fines a septentrione ad meridiem versus promotos terminatos esse Mæandro, non castella et oppida trans fluvium (quousque?) ei subiecta. Nec huic sententiæ obstat data Eumeni nominatim Telmissus urbs; ea enim in Lycia ad mare erat, longe a Mæandro regionibusque, quas is dividebat, remota, expetita, opinor, ab Eumene, ut portum in meridiana Asiæ parte haberet. In M trans Mæandrum ex inferiore loco in hunc translatum puto.[1])

---

[1]) Cap. 57, 10, multa congiaria, quæ M'. Acilius Glabrio habu-

Cap. 58, 8 (ubi comparatur proelium ad Thermopylas cum bello in Asia a L. Scipione gesto): quota enim parte virium suarum ibi (ad Thermopylas) dimicavit Antiochus? In Asia (probabiliter Weissenbornius: Magnesiæ) totius Asiæ steterunt vires, ab ultimis Orientis omnium gentium contractis auxiliis. Sic primus Gelenius edidit, quum ante circumferretur: ab ultimi Orientis partibus, testatus "partibus in veteri scriptura non addi"; cetera ipsisne his litteris in M fuerint, non dicit. Ac partibus quidem, quod nec B nec Drakenborchiani habent, fru- (435) stra Gronovius defendere conatus est. Neque tamen prorsus certum est, Livium, ut ultima Hispaniæ, Euboeæ, sic ultima Orientis pro ultimo Oriente dixisse, quoniam Orientis nomen nondum hac ætate aperte certæ terrarum partis significationem habet, quæ dividi sic possit. Pro ultimis in dimidia fere Drakenborchianorum codicum parte (Voss., Lov. 1, 4, Mead. utroque) ultimi scribitur, in B autem: ab ultimi Orientis in omnium cet. In ceteris codd. in aut sublatum esse videtur aut ab iis, qui contulerunt, non adnotatum. In mentem mihi venit, in eo superesse vestigium veræ scripturæ huiusmodi, quæ una littera (s) geminata, una addita efficitur: ab ultimi Orientis sinu omn. gentium contractis auxiliis. Sic eam partem Livius significaret Asiæ, ubi ultimus terrarum finis ad Oceanum sinuaretur. Nihil tamen adfirmo.[1])

---

isse dicitur, quæ sint, non intellego; sed nihil, quod melius sit, excogitare possum. [Mendum in substantivo, non in verbo esse apparet; nam neque multa congiaria quisquam hac ætate dedit et quod de magna parte hominum additur, singillatim multos donis obligatos, non plebem conciliatam significat. Fuitne multa e copia regia habuerat? Certe dona e præda regia manubiisque significatur. 1876.]

[1]) § 4 in his: pecunia nequaquam tanta pro specie regii triumphi subditicium esse tanta, quod in illam orationis formam includi nullo modo potest, vidit Gronovius. Additum est, ut admonerentur legentes, nequaquam pro specie esse: ne quaquam tanta, quanta conveniret speciei.

Cap. 59, 4 (in descriptione triumphi L. Scipionis): nummos aureos Philippeos centum quadraginta millia. Nihil, quod ullius momenti esset, Perizonius (ad Sanctii Min. IV, 8 p. 711), quem Drakenborchius auctorem citat, attulit ad hanc orationis formam (nummos centum millia) contra Gronovium defendendam. [Paulo alia est ratio, quum in censuum numeris præmittitur constanti formula: censa sunt civium capita —.] Sed quod hic nummorum aureorum Philippeorum reponi voluit, non solum violenter agit, sed non magis quam ceteri ad aliud mendi indicium attendit. Nimius est enim Philippeorum numerus, si comparatur aut cum T. Quinctii Flaminini triumpho (XXXIV, 52), in quo Philippei 14514 lati sunt, aut cum Cn. Manlii Vulsonis (XXXIX, 7), in quo fuerunt Philippei 16320; quamquam enim etiam tetrachmorum Atticorum et cistophorum in
(436) illis triumphis minor fuit numerus, tamen nequaquam illa ratione summæ differunt. Millia abest in B duobusque Drakenborchii codicibus. Itaque centum quadraginta singuli sunt Philippei, millium numerus excidit, scripseratque Livius ad hanc formam: nummos aureos Philippeos * **millia** centum quadraginta. Sic enim et Philippeos et Philippeorum poni potest. [XXXVIII, 38, 13, ubi scribitur: Argenti probi talenta Attica XII millia dato, Livius aut errore talentum Atticorum scripsisse videtur aut Attici talentum.] Extremo capite (§ 6: Et stipendium militare et frumentum duplex post triumphum datum; proelio in Asia facto duplex dederat) altero utro loco duplex mendosum esse videtur scribendumque triplex; ipsa enim orationis forma ostendit, non idem bis datum esse; dixisset enim Livius: idem proelio i. A. f. dederat similiterve.

Lib. XXXVIII.

Cap. 1, 4 et 5 (de Amynandri consiliis recuperandi Athamaniæ regni): remissique nuntii ab eo (Amynandro) ad principes Argitheam (id enim caput Athamaniæ erat), si popularium animos satis perspectos haberet, impetrato ab Ætolis auxilio, in Athamaniam se venturum cum delectis Ætolorum, quod consilium esset gentis, et Nicandro prætore. Quos ubi ad omnia paratos esse vidit, certiores subinde facit, quo die cum exercitu Athamaniam ingressurus esset. Mire non solum cum exercitu se venturum Amynander promittit, sed cum toto Ætolorum consilio, quod alibi nusquam peregre profectum legi, et cum summo magistratu, et hoc promittit nondum Ætolis (delectis) consultis. Nam postea demum eos ad omnia paratos videt, quod ipsum inepte subiicitur, non indicato, Amynandrum cum iis egisse, etsi ipsa orationis forma (Quos ubi — vidit) aperte significare videtur, aliquid huiusmodi præcessisse. Infra (§ 9) Amynander cum mille Ætolis (auxilio impetrato) in Athamaniam venisse narratur; delectorum (apocletorum) consilii prætorisve nulla mentio fit. Illud: quod consilium esset gen- (437) tis quam inepte in ea includeretur, quæ Amynander nuntiari Athamanibus iussisset (quasi Athamanes docendi fuerint, quinam essent Ætolorum apocleti), etiam Weissenbornius sensit. Nihil manifestius quam aliquid excidisse. Livius enim ad hanc formam scripserat: — in Athamaniam se venturum. **Agit deinde** cum delectis Ætolorum, quod consilium **est** gentis, et Nicandro prætore; quos ubi cet. Similis lacuna omnium codicum in cap. 9, 9 pridem animadversa est, in c. 28, 6 paulo post demonstrabitur, in superiore autem libro c. 10, 11 a Creverio, in XXXV, 34, 1 a Weissenbornio deprehensa est, quam ipse quoque ante multos annos notaram. Alia exempla occurrent XXXVIII,

53, 9, XXXIX, 35, 7 et 49, 1 præter ea, quæ supra notavi, XXXI, 9, 7, XXXIV, 6, 10. [Lacuna eo manifestior fit, quod voces cum et Ætolorum solus M servavit. Mira excogitat Weissenbornius.]

Cap. 2, 10 (de Macedonibus Athamania expulsis): tantumque tumultus Macedonibus est iniectum, ut fugæ magis effusæ quam itineris ordinati modo, multis armis virisque relictis, flumen traiecerint. Hic finis sequendi fuit. Fluminis huius nulla in superioribus significatio est; si nomen ipse Livius omisisset, saltem ignoti et obscuri nominis significationem addidisset (quoddam). Excidit igitur librarii errore nomen fluvioli alicuius ex monte Cercetio in Peneum delabentis. [Sed tamen XXIII, 24, 10 eodem modo fluminis antea non significati mentio sine nomine obiicitur.]

Cap. 6, 4 (de Ætolis Ambracia, quam Romani obsidebant, erumpentibus): Uno in loco ferro ignique gesta res [est] (est in B Drakenborchiique codd. omittitur); a duobus irrito incepto, quum tentassent magis quam inissent certamen, Ætoli abscesserunt; atrox pugna in unum inclinaverat locum. Ibi cet. Perspicuum est, tautologiæ reprehensione non carere illa: uno in loco —; atrox pugna in unum incl. locum, nec apte sic dici, uno in loco ferro ignique rem gestam, quasi ceteris locis aliis telis gesta sit. Vehementer igitur animum commovet, quod a B absunt (nullo spatio relicto) verba uno in loco (de M nihil notatur). Multo enim rectius primum
(438) indicatur pugnæ genus (quod ante Livius uberius descripsit): Ferro ignique gesta res, deinde loca et eventus dividuntur: a duobus irrito incepto — abscesserunt; atrox pugna in unum cet. Unum molestum est, quod in illo: a duobus non facile ex superioribus auditur locis, quoniam post hoc vocabulum initio capitis positum (Tribus locis cet.) multa interiecta sunt, nec recte sumi ex eo potest, quod sequitur (in unum locum); [nec ab locis duobus abs-

cedebatur, sed locis d.]. Videtur excidisse operibus aut similis vox. Certe vulgata scriptura non recte habet.[1])

Cap. 9, 3 oratio sic interpungenda est: Hæc mora (quod capti ab Acarnanibus Ætolorum legati erant) iniecta est paci, quum iam Atheniensium Rhodiorumque legati, qui ad deprecandum pro iis venerant, apud consulem essent. Amynander quoque — venerat in castra Romana cet. Vitiosum est enim: Quum iam — essent, Am. quoque venerat (pro venit). Paulo ante (§ 2) non debuit recta codicis M scriptura (iurgio excepti, quam diu rem traherent), in qua idem est interrogationis verbo indignandi et querendi subiectæ usus, quo dicitur irasci alicui, cur faciat, et correptus sum, cur ambularem, similiave, a Weissenbornio corrumpi et (439) cum vulgarium codicum (etiam B) interpretamento: quod rem traherent sic conflari, ut fieret: quod tam diu rem traherent quæ est ipsa veræ scripturæ enarratio.

Cap. 15, 9 (in descriptione itineris Cn. Manlii Vulsonis per Asiam): Inde in agrum Sagalassenum — ventum est. Colunt Pisidæ, longe optimi bello regionis eius. Quum ea res animos facit, tum agri fecunditas et multitudo hominum et situs — urbis. Consul — misit cet. Necessario scribendum fecit, ut a no-

[1]) Cap. 7, 9 (ubi agitur de cuniculo sub muro Ambraciæ a Romanis acto) unice verum est fulturis, quod Gelenius ex M pro furculis restituit. Furcis, non modo furculis, res non magni ponderis, foruli similiave suspendi possunt; ad murum, cuniculo infra ducto, sustinendum suspendendumque opus est maioris operis fulturis ex trabibus et tabularum firmis compagibus et columnis ligneis (στύλοις); eas ἐρείσματα, nomine Latino illi prorsus convenienti, Polybius appellat V, 4 et V, 100 in similibus descriptionibus oppugnatarum urbium, ipsam autem rem διαστυλοῦν τεῖχος (ὑπορυχθὲν καὶ κρεμασθέν). Στήριγγας alii pro στύλοις appellant; vid. Wesselingius ad Diod. Sic. XVIII, 70. Neque in huiusmodi appellatione machinamenti quidquam minimi momenti habet dubitatio a Drakenborchio mota, quod fulturæ vocabulo (legitime facto et apud Horatium posito) Livius alibi usus non reperitur.

tatione rei perpetuæ (colunt) separetur narratio, quid tum acciderit, et cum reliqua narratione (ventum est — misit) coniungatur. Correctionem præcepit librarius cod. Lov. 6.

Cap. 16, 3 (de Gallis, qui postea in Asiam transierunt): Byzantium quum pervenissent, aliquamdiu oram Propontidis vectigalem habendo regionis eius urbes obtinuerunt. Urbes non obtinentur oram, quæ urbibus paret et adhæret, vectigalem habendo. Barbari et bellicosi homines, sed ab urbibus et oppugnandis et habitandis alieni, apertam regionem percursabant vastandoque agros et minando Græcos, qui urbes munitas tenebant, vectigal sibi pendere cogebant. Res per se perspicua confirmatur iis, quæ Polybius IV, 46, 3 de Byzantinis Gallis stipendia solventibus scribit: *κατὰ μὲν οὖν τὰς ἀρχὰς ἐν ταῖς ἐφόδοις αὐτῶν (τῶν Γαλατῶν) — δῶρα διετέλουν οἱ Βυζάντιοι διδόντες ἀνὰ τρισχιλίους καὶ πεντακισχιλίους, ποτὲ δὲ καὶ μυρίους χρυσοῦς, ἐφ᾽ ᾧ μὴ καταφθείρειν τὴν χώραν αὐτῶν· τέλος δ᾽ ἠναγκάσθησαν ὀγδοήκοντα τάλαντα συγχωρῆσαι φόρον τελεῖν κατ᾽ ἐνιαυτόν.* Apparet igitur, apud Livium veram scripturam servatam esse in B (de M tacetur): aliquamdiu oram Propontidis, vectigalis habendo regionis eius urbes, obtinuerunt. Ablativus gerundii formam et modum rei significat. (Vid. Gramm. Lat. § 416
(440) not. 1 exemplaque a Weissenbornio ad XXVIII, 16, 10 collecta; add. XXVII, 39, 4.)

Cap. 17, 5 (in Cn. Manlii oratione, ubi terrores Gallicos elevat): Sed hæc, quibus insolita atque insueta sunt, Græci et Phryges et Cares timeant; Romanis, Gallici tumultus adsuetis, etiam vanitates notæ sunt. Quod insolens, insuetus, insolitus alicuius rei dicitur, inde ne id quidem sequitur, suetum alicuius rei recte dici (est enim in hac re etiam aliqua vis notionis privandi); adsuetus quidem propter præpositionis (ad) vim longissime ab illis adiectivis distat nec genetivum sibi adiungi

ullo modo sinit.[1]) Nec recte Romani Gallico tumultui adsueti dicerentur tamquam uni ac perpetuo; rectum erat Gallicis tumultibus. Hæc orationis vitia tollit B (de M tacetur), una exclusa littera: Romanis Gallici tumultus adsueti, etiam vanitates notæ sunt. Non minus enim res alicui adsueta quam aliquis rei adsuetus dicitur, estque apud ipsum Livium (V, 54, 3) adsueta oculis regio et (XXV, 17, 5) motibus armorum et corporum suæ cuique genti adsuetis.[2])

Cap. 18, 3: Ducere inde exercitum consul ad Plitendum; deinde ad Alyattos castra posita. Infinitivus historicus, nihil hic loci habet, longeque aliter is 12, 6 ponitur. Itaque aut post Plitendum excidit ob similitudinem litterarum intendit aut potius id ipsum verbum cum nomine ignoto coaluit, quum scriptum fuisset ad Pliten (Plitum?) intendit. (1865.)[3])

Cap. 21, 10 sqq. (in descriptione proelii a Cn. Manlio cum (441)
Gallis initi): Sed non tam patentibus plagis (Galli) mo-

---

[1]) Quod olim per lexica propagabatur tamquam Lucilii: publicarum rerum adsuefiam, iam omittitur. Recte scripta verba exstant apud Nonium p. 38 et 351 Merc.

[2]) § 4 Weissenbornius errans pro ineuntium proelium scripsit inchoantium proelium tamquam ex M; Carbachius, quum ederetur inchoantium, alterum e cod. enotavit.. Modius, qui codicem ipse non viderat, „veterem cusum“ (hoc est, editionem) habere inchoantium scribit. [§ 13 vix dubium est quin Livius in sua quidque sede scripserit, non hoc uno loco quidquid pro quidque; nisi forte cum Wesenbergio sic verba scribenda et interpungenda sunt: Generosius est, in sua quidquid sede gignitur. 1865 et 1876.]

[3]) Ibidem § 3 Weissenbornius mirificum illud Compulsi reguli (quod e Drakenborchianis codicibus unus tuetur) in Frob. II comparuisse putat, sumptum scilicet ex M. Sed legitur apud Aldum, qui de M nihil sciebat nisi Carbachii indicio; Carbachius tacet. Quod Weiss. probabile putat, reguli nomen a Livio positum esse, id vero aliquoties positum est; ipsum enim Eposognatum significari et Livii narratio manifesto demonstrat et Polybii (XXII, 20, 2).

ventur; interdum, insecta cute, ubi latior quam altior plaga est, etiam gloriosius se pugnare putant; iidem, quum aculeus sagittæ aut glandis abditæ introrsus tenui vulnere in speciem urit —, tum in rabiem et pudorem tam parvæ perimentis pestis versi prosternunt corpora humi, sic ut passim procumberent. Alii, ruentes in hostem, undique configebantur et, quum cominus venerant, gladiis a velitibus trucidabantur. Prorsus perverse confunditur consuetudinis perpetuæ descriptio (moventur — putant — prosternunt) et rei tum factæ narratio (sic ut — procumberent); nec tolli vitium, si cum Walchio scribatur: sicut — procumberent, sensit Weissenbornius, qui tamen hoc secutus est; inanis enim comparatio est (prosternunt corpora, sicut procumberent); et desideratur prima pars narrationis, cui respondeat illud: Alii — configebantur. Perspicuum est, consuetudinis Gallorum descriptionem subsistere in his verbis: prosternunt corpora humi. Subiungit deinde Livius, idem in illo, quod nunc narratur, proelio factum esse, nec tamen ab omnibus: Sic quum (cum) passim procumberent, alii ruentes in hostem undique configebantur.

Cap. 22, 5: Simul (Cn. Manlius consul) strata per tumulos corpora Gallorum ostentat et, quum levis armatura proelium tale ediderit, quid ab legionibus, quid ab iustis armis, quid ab animis fortissimorum militum exspectari? Sic dicitur ostentat et, ut necessario aliud verbum sequi debeat; id nec omitti ulla ratione potest nec tamen poni id, quod exspectatur, quærit, quoniam ei infinita oratio subiici nequit. Tollendum necessario et, ut oratio obliqua et interrogatio infinitivi modi per se ponatur accommodata ad eam significationem, quæ est in ostentat, constantissima Latini sermonis consuetudine:
(442) Simul — ostentat; quum levis armatura proelium tale ediderit, quid ab legionibus — exspectari?

Exempla adscribere non decet; si quis requirit, sumat ex iis, quæ præcepti confirmandi causa posui Op. Ac. II. p. 213. [Obstant, quæ leguntur XXI, 35, 8 et XXXIV, 62, 11; alia enim minus ad rem pertinent aut incerta sunt aut prava. Simile ex aliqua parte est inquit post et aut que omissum VI, 7, 3, XXX, 12, 12, XL, 40, 4, Verg. Æneid. II, 42 et X, 897, Hor. Sat. I, 9, 4. 1865.]

Cap. 23, 2 (de Gallis e castris fugientibus et cæco timore per saxa ruentibus): itaque plerique præcipites per vastam altitudinem prolapsi aut debilitati exanimantur. Ridiculam vero distinctionem, ut alii per vastam altitudinem prolapsi integris membris (— hoc enim ex contrario sequitur —) exanimentur, alii sine prolapsione nescio quo modo debilitati. Apparet, eosdem homines per præcipitia prolapsos fractis et elisis membris exanimatos esse. Scribendum igitur est, aut sublato: per vastam altitudinem prolapsi debilitati exanimantur. Alterum participium præcedentem causam, alterum modum rei significat (prolabuntur et debilitati exan.); cfr. XXXI, 45, 14 (obruti fluctibus, dispersi, — effugerunt). Eodem capite infra (§ 10), ubi editur: armis hostium in uno concrematis cumulo, magis placeret uno concrematis cumulo, omissa præpositione, quæ post m facillime oriri poterat (vid. ad V, 47, 6), ut ablativus modum significaret (ita, ut unus esset cumulus), quemadmodum I, 37, 5 Livius scripsit: spoliis hostium — ingenti cumulo accensis.

Cap. 26, 4 (in descriptione aciei Gallorum): Ariarathis Cappadoces et Morzii auxiliares in lævo (cornu) quattuor ferme millium numerum explebant Prave inter regum nomina copulata interponitur adiectivum ad auxiliares pertinens; neque pro substantivo Cappadoces esse potest, quoniam prave sic auxiliarium appellatione Cappadoces excluduntur. [Longe aliter dicuntur ab Attalo Cretenses; ne Attali Cretenses quidem, h. e., quos is conduxisset, eodem modo dicerentur.] Livius scrip-

serat: Ariarathis Cappadocis et Morzii auxiliares, ut XL, 20, 1: Eumenis et Ariarathis Cappadocis et Pharnacis Pontici. [Idem suspicatus erat Rupertius.] Proxime ante (§ 3) non locaverunt, sed locaverant a Livio scriptum puto (inter tenebant et explebant). Describitur, quemadmodum iam instructam Manlius aciem Gallorum invenerit.

(443) Cap. 28, 6 (de Cephallenia a M. Fulvio consule capta): Obsides inde imperatos pro viribus inopis populi vicenos Nesiotæ, Cranii, Palenses et Samæi dederunt. Sic inde ab editione Frobeniana II ad nostram ætatem scribitur, incertissima auctoritate, quoniam Gelenius nihil adnotavit, quod fecisset, opinor, si ex M Nesiotas illos sumpsisset. Convincit autem eos ipsa res; nam quartum Cephalleniæ oppidum nemo Neson appellavit (νῆσον), sed aut Πρόνους (incolasque Προναίους, Προνναίους, Προννόους) aut Πρόνησον (Steph. Byz. s. v. Κράνιοι) aut Πρώνησον (Strab.). Itaque Weissenbornius, animadverso etiam copulationis vitio (in et; vid. ad III, 1, 5), verba sic scripsit distinxitque: Nesiotæ Cranii et Palenses et Samæi, copula ex codicibus sumpta. Sed neque tria nomina pro quattuor neque omnes insulæ incolæ (insulani) Græca Nesiotarum appellatione comprehensi ullam habent probabilitatem. In codicibus, de quibus constat, Nesiotarum nullum vestigium est, sed sic scribitur: vicenos autem Grannoni (B et quattuor Drakenb., Granoni tres Drak., Granonii, Gramoni singuli) et Palenses et Samæi (Tamei B, Pal. 1, Thamæi tres Drak.) dederunt. (Hoc verbum omittit B.) Sed præter hanc in nominibus difficultatem aliud est incommodum a nullodum animadversum; neque enim veterum maximeque Græcorum loquendi usu unus erat Cephalleniorum populus, sed quattuor. Itaque rectissime, etiam ad reliquam orationis formam, ut inopiæ et virium mentio ad subiectum et ad verbum dederunt accommodetur, in B (et fortasse in pluribus, si tantilla res adnotata esset) scribitur **inopes** populi.

Hoc animadverso intellegitur, pro viribus eo pertinere, ut non idem ab omnibus quattuor populis numerus datus sit, eodemque spectare vicenos **autem**. Itaque ad hanc formam Livius scripserat: Obsides inde imperatos pro viribus inopes populi, **quadraginta Pronnæi**, vicenos autem Cranii et Palenses et Samæi dederunt. Aberravit librarii oculus a priore numero ad alterum. Numerum prio- (444) rem incertum esse apparet (XL, XXX, X); nec minus incertum est, in codicum scriptura Grannoni lateantne Cranii an Pronnæi, ut primo loco Cranii nominati fuerint. (Dederunt, ut multa in B, librarii neglegentia omissum videtur. Alioquin poterat scribi: XL Pronnæi dederunt, vicenos autem cet.)

Cap. 38, 8. Quæ in foedere cum Antiocho de navium numero, quem habere regi liceret, scripta erant, ea et apud Polybium (XXII, 26) et apud Livium corrupta et confusa esse, etiamsi nulla utriusque scriptoris comparatio fiat, facile ex ipsa re et verbis appareat; adhibita autem illa comparatione manifestius fit; quo quum accedat in generibus navium appellationibusque ambiguitas, equidem, neque quid Polybius neque quid Livius scripserit, pro certo inveniri posse puto; attingam tamen aliqua ex parte hunc locum, quæque mihi probabilia videantur, breviter dicam. Primum apud Polybium manifesto corrupta sunt illa: *μηδὲ τριακοντάκωπον ἐχέτω ἐλαυνόμενον*, in quibus prorsus abundat participium, quumque maiorum navium (*τῶν καταφράκτων*) exiguus ille quidem, sed tamen aliquis numerus regi concedatur, minorum possessione prorsus ei indicitur. Neque ferri potest *μηδὲ* ante *πολέμου ἕνεκεν*, quod sic dicitur, quasi eius belli causa, quod ipse Antiochus aliis illaturus sit, plus concedi æquum sit; nam huiusmodi bellis interdictum regi fuisse, paulo autem maiorem, si ab aliis ipse oppugnaretur, libertatem et maiorem navium numerum concessum esse, et natura rei declarat et Appiani, hæc in brevius contrahentis, testimonium (Syr. 39) et ipsius Livii. Apud Livium autem (ut, omissa ceterorum codicum

35*

discrepantia, solum M sequar, in quo tamen ipso, molesto in prosa oratione verborum ordine, scribitur nulla quarum pro quarum nulla) ab actuariis navibus sic separantur moneres, ut actuariæ X Antiocho concedantur, monerem habere omnino ne liceat. Ipsum tamen moneris nomen, vix dubitari potest, quin Livius posuerit, quum ob Moguntini (cui
(445) Lov. 4 adiungitur) auctoritatem[1]), tum quod minorem, quod vulgares codices habent, ferri nequit et ex illo ortum videtur; quod si ita est, sine dubio apud Polybium quoque Græcum illud nomen positum olim fuit. Quamquam inter actuarias naves (tectis et plurium ordinum navibus minores levioresque, τριακοντόρους similesque) et moneres quid interfuerit, difficile est excogitatu nec scio. Sed quod apud Livium actuariæ naves eum locum tenent, quem apud Polybium (et Appianum) tectæ (κατάφρακτοι), nequaquam recte fieri puto. Itaque et apud Polybium et apud Livium excidisse nonnulla puto, scriptumque a Livio ad hanc formam fuisse: neu plures quam decem naves **tectas neve plures quam * naves** actuarias, quarum nulla plus quam triginta remis agatur, habeto neve monerem ex belli causa, quod ipse illaturus est. In his extremis residere mendum non solum ex eo suspicor, quod nimis nude illud monerem poni videtur, sed quod certum est, Latine non dici naves habere ex belli causa, sed tantum belli causa. Neque quidquam iuvat B et vulgarium codicum scriptura: ea belli causa. Itaque aut ex tollendum est aut scribendum: monerem eius belli causa, quod cet. [§ 9 pro eo, quod editur, pecuniam stipendium, in quo et distinctio pecuniæ et stipendii displicet et copulæ omissio, scribendum est: pecuniam **in** stipen-

---

[1]) Graviter errat Kreyssigius codici M minorem tribuens. Id quum ed. Moguntina ex superioribus retinuisset, Carbachio tacente, Gelenius „Antiqua lectio, inquit, habet monerem", id est, codex.

dium, coll. XXXII, 2, 1 et XXXIII, 46, 9; apud Polybium unum est φόρους. 1865.] Paulo post (§ 14) verum esse nequit, quod editur: et pro frumento, quod æstimatione fiat, talenta CXXVII; hæc enim relativæ orationis forma (quod — fiat) certam habet rei circumscribendæ significationem (dum modo id æstimatione fiat), ab hoc loco alienam, quum præsertim, æstimatione iam ante facta, certa pecuniæ summa ponatur. B et Lov. 3 pro fiat habent sit, ceteri Drakenborchiani (Voss., Lov. 1, 2, 5, Mead. 1, 4, Gærtn.) fit, quod restituendum videtur, ut significetur: (446) id, quod æstimatione efficitur (τὸ τῇ τιμήσει γιγνόμενον).[1])

Cap. 41, 3 et per se perverse impedimenta impedimentorum pars) cecidisse dicuntur et prave impedimenta et calones eodem ordine cum militibus coniunguntur. Vereor, ne post pars exciderit amissa esset aut simile aliquid. (1865.) [Wesenbergius obiicit Frontini Strat. II, 1, 11: C. Cæsar, quum — interfectis omnibus impedimentis ad pugnam descendisset cet.; sed Cæsar ipse in ea re narranda B. C. I, 81 habet: iumenta interfici iubent; itaque aut etiam apud Frontinum scribendum iumentis aut ipse vitiose locutus esse putandus; nam ea, quæ Oudendorpius a Gronovio scripta profert, parum recte ac distincte disputata sunt, velut apud Cæsarem B. G. VII, 45 mulis imponuntur muliones ad speciem equitum armati, impedimentis impositi ridicule dicerentur.]

Cap. 45, 6 (in oratione L. Furii et L. Æmilii contra Cn. Manlium triumphum petentem, ubi ostendunt, cetera bella, quæ nuper gesta sint, rite coepta et indicta esse): de omnibus his consultum senatum populum iussisse, sæpe legatos ante missos, res repetitas, postremo,

---

[1]) § 5 recte Perizonium suspicatum esse excidisse præter, non solum Polybius ostendit, sed tralaticius in talibus rebus cavendi mos. Nec minus recte quo quæque (in suum quæque locum) pro quæ quoque scribi iussit. [Cap. 39, 17 Ussingius vidit ante re excidisse res: integra ad senatum res reiicitur. 1865.]

qui bellum indicerent, missos. Senatu iam de bello consulto, populo rogato, non sæpe mittebantur legati; offendit præterea hæc tam brevi intervallo repetitio eiusdem non solum verbi, sed formæ verbi (missos) in enumeratione diligenter variata. Eo magis commovet animum codicis B scriptura (silentibus de M, qui viderunt): populum fuisse sæpe legatos ante res repetitas, omisso priore missos. Scripserat Livius: populum **iussisse, per** legatos ante res repetitas, postremo, qui bellum indicerent, missos. Ex iussisseper factum fuissesepe (sæpe); postea (in recentioribus codicibus) additum missos. (Ultimum hoc nos codex Bambergensis adiuvat; nam in proximo capite desinit.)[1])

Cap. 49, 13 (in oratione Cn. Manlii contra L. Furium et L. Æmilium): quin pro eo, quod pluribus verbis vos, quam volui, fatigavi, veniam a vobis petitam impetratamque velim, P. C. Non plura, quam voluit, Manlius dixit (deficiente enim voluntate lingua quievisset), sed plura, quam, si licuisset neque accusatio respondere coegisset, vellet. Atque hoc ipsum quam vellem habet unus optimus codex M, sed neglexerunt editores, vel quod condicionalem hunc et potentialem usum horum verborum (ἠβουλόμην ἄν), quem perverse optativum appellant (ne-
(447) que enim optamus, ut velimus), non meminerant pertinere etiam ad sententias secundarias, vel quod iniuria voluissem requirebant, obliti eius, quod legerant VI, 9, 6 (quamquam — mallet; cfr. XXIX, 14, 7, XLII, 17, 4). Nam vellem, mallem, ut alia imperfecta in sententiis condicionalibus, transferuntur etiam ad ea, quæ præterito tempore optaturi fuimus, si fieri potuisset, nec poetica libertate usus est Ovidius, quum dixit (Metam. XI, 546): Patriæ quoque vellet ad oras Respicere cet. [Cfr. ibid. I, 438, II, 182, III, 188, 247, X, 461; Ciceronis locos duos W. adscripsit.

[1]) [Cap. 48, 15 durissime post gloriari auditur ac tantum. Itaque Ussingio adsentior, excidisse si (gloriari, si pro fel.). 1865.]

Sed tamen etiam maluissem dicitur Liv. VII, 5, 7, Suet. Vesp. 8, voluisset Cic. pro Mil. 29.] Paulo ante, § 9, ubi editur: In hoc casu, quo infeliciter incidit, ut talem civem amitteremus, hærent, non admodum placet illud casu, quo — incidit; et mendi suspicionem faciunt codices Drakenborchiani; nam quo deest in Lov. 1, 4, 6, Voss., in Lov. 3 legitur: in hoc iniquo casu quo, in Lov. 2, Mead. utroque, Harl. in hoc quo casu, in Lov. 5, ut in edd. ante Aldum: in hoc quoque casu. (De M nihil traditur.) Scripseratne Livius: In hoc, quod infeliciter incidit, — hærent?[1])

Cap. 53, 2 et 3 (in oratione Ti. Gracchi ad populum contra Petillios): Ideo (P. Scipio) — Syphacem cepit, Hannibalem devicit, Carthaginem vectigalem nobis fecit, Antiochum (recepit enim fratrem consortem huius gloriæ L. Scipio) ultra iuga Tauri emovit, ut duobus Petilliis succumberet, vos de P. Africano palmam peteretis? Populum Gracchus adloquitur, aversa oratione non a Petilliis, sed a ceteris tribunis, quos adloqui coeperat; sequitur enim: nullisne vestris honoribus. Qui igitur populus dici potuit palmam de P. Africano petere, hoc est, illo victo gloriam sibi quærere? Neo tamen ipsis Petilliis post succumberet (quod victoriam iam partam significat) recte diceretur peteretis, sed ferretis; vel potius: illi — ferrent; nam cum contemptu commemorat, non adloquitur. Ipsa comparatio tot tantorumque adversariorum, quos P. Scipio vicit, cum duobus homunculis, qui eum nunc oppugnant, ostendit sententiam terminari debere in illis: ut duobus Petilliis succumberet? deinde interrogationem, novo sumpto initio repetitoque P. Scipionis (448) nomine (vos de P. Scip., non: vos de illo), ad populum

[1]) [Cap. 50, 1 in his verbis: Dimittitur senatus in ea opinione cet., quum significetur, quæ fuerit hominum opinio de senatu, præpositionem in vix fero additam. 1865.]

averti. Itaque sic Livius scripsit: Vos de P. Scipione palmam peti feretis? Huic demum interrogationi rectissime illa subiicitur: Nullisne meritis suis — in arcem tutam — clari viri pervenient? Si cui displiceat oratio ad populum aversa, ei scribendum sit, ut omnis ad tribunos appellatos convertatur: nullis nostris honoribus. Pro recepit scribendum opinor recipit (vid. ad XXX, 30, 11 p. 354) hac sententia: Patitur libenter L. Scipio fratrem sibi gloriæ consortem adiungi. Eodem capite infra (§ 9) restituta et suppleta ex M oratio defectu tamen, sed exiguo, laborat. Sic enim scribitur de P. Scipione: Vir memorabilis; bellicis tamen quam pacis artibus memorabilior prima pars vitæ quam postrema fuit, quia in iuventa bella assidue gesta, cum senecta res quoque defloruere nec præbita est materia ingenio.[1]) Qui, non dico, diligentius sententiam consideraverit, sed omnino ad eam attenderit, animadvertat necesse est, comparationem plane perversam et e duabus cum interitu sententiæ confusam esse; prima enim vitæ pars quam postrema memorabilior dicitur; qua re? Respondetur nova comparatione: belli quam pacis artibus. Atqui aut una re duo (ut loquimur in arte) subiecta aut in uno subiecto duæ res comparari debent. Itaque etiam reliqua sensu carent. Quod enim prima pars vitæ belli (quam pacis) artibus memorabilior fuit, quid obstat, quo minus pacis artibus postrema pars excelluerit? Nempe id obstitit, quod non aliqua vitæ pars, sed omne Scipionis ingenium belli artibus magis quam pacis præstitit, illis autem posterior vitæ pars materiam non
(449) præbuit. Ne illud quidem obscurum, quum post tale elogii initium: vir memorabilis subiiciatur: tamen memorabilior, hunc comparativum ad idem subiectum (vir) pertinere

---

[1]) Ceteri codd. et vett. edd. pro his omnibus: prima pars vitæ — materia ingenio hæc habent: cui par habita est materia ingenio.

debere. Livius artes Scipionis cum artibus, vitæ unam partem cum altera separatim comparaverat hoc modo: Vir memorabilis, bellicis tamen quam pacis artibus memorabilior, **et clarior** prima pars vitæ quam postrema fuit, quia cet. Quam facile ob similem terminationem (ior) exciderit et clarior (sive alius comparativus, velut illustrior), apparet. [Comparativum excidisse iam Weissenbornius suspicatus erat.]

Cap. 56, 9: legatum in Etruria fuisse Africanum tradunt, quo post famam — adlatam — cucurrisse eum Romam cet. Hoc quo post famam — adlatam dure admodum dicitur pro eo, quod est: quo postquam fama — adlata sit vel: postque famam eo adlatam. Fuitne tradunt **adduntque** post —? (1865.)

Cap. 58, 10 (in oratione P. Nasicæ, ne L. Scipio in vincla duceretur, ubi victoriæ Asiaticæ magnitudinem extollit): Hannibalem eundem fuisse inter multos alios regios duces, qui imperator Punici belli fuerit. Nihil ad rem augendam confert multitudo aliorum ducum, si mali aut mediocres fuerunt. In M non regios scribitur, sed regulos (in Voss. Rhodios, in Lov. 5 reges). Latet vox laudem significans; fortasse scribendum: inter multos alios **egregios** duces.

Cap. 59, 1 et 2 (in eadem oratione): At hercule in Scipione ipsas leges pacis, ut nimium accommodatas Antiocho, suspectas esse; integrum enim ei regnum relictum; — auri et argenti quum vim magnam habuisset, nihil in publicum relatum, omne in privatum versum. An non præter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, quantum non decem aliis triumphis, si omne in unum conferatur, sit latum? Prorsus contra Livii et ceterorum huius ætatis scriptorum consuetudinem an non pro nonne ponitur in adfirmando per interrogationem.

Tum contra regulam (vid. Opusc. Ac. II p. 211 sqq.) in oratione obliqua coniunctivo modo effertur interrogatio ex indicativo tertiæ personæ conversa. Ab ea regula uno et altero loco deflecti, ubi pronomine aut particula ex pronomine orta et rem quæsitam demonstrante (quis, cur) inter-
(450) rogetur, ostendi ibi (p. 216), eiusque rei Livianum exemplum (V, 2, 8) supra notavi (p. 112; cfr. XXXIX, 4, 2); in iis particulis, quæ nihil nisi ipsam orationis formam significant (ne, num, an), nullum est contrarium exemplum; in an, quæ alterius interrogationis membri index est, omnino excluditur illa verbi, a quo interrogatio nectatur, cogitatio, quæ efficit, ut coniunctivus interdum contra regulam ponatur. Ac prius quidem vitium codices tollunt, qui (Drakenborchiani quidem, nam de M tacetur) consensu habent an præter, omisso non. Restituenda est igitur ea orationis forma, qua Livius in hoc ipso libro c. 45, 8 (in recta oratione) et, ut videbimus, XLIV, 39, 1 usus est, ut primum is, qui dicat, sibi contrariam sententiam obiiciat per at (at hercule), deinde, quasi interrogationem disiunctivam instituerit, per an (potius) interrogando id, quod ipse sentiat, adfirmet; sic enim c. 45 scribitur: At eo ipso contentus fuisti; recto itinere exercitum duxisti ad eos, quos tibi hostes desumpseras; an per omnes anfractus viarum — Phrygiæ recessus omnes — peragrasti? Sed simul tollendum [cum Creverio] sit, eo quidem magis, quod sit latum non potest non coniungi cum quantum, quo fit, ut primaria sententia (an tantum auri) prorsus verbo careat. Scribendum est igitur: an præter omnium oculos tantum auri, quantum non decem aliis triumphis, —, latum? [Eodem modo ponitur an post scilicet IV, 5, 3 et apud Sallustium in orat. Lepidi § 21.]

Lib. XXXIX.[1])

Cap. 4, 2: isque (M. Fulvius Nobilior, qui ex Ætolia redierat) ad ædem Apollinis in senatu quum de rebus in Ætolia Cephalleniaque ab se gestis disseruisset, petiit a patribus, ut æquum censerent, ob (451) rem publicam bene ac feliciter gestam et dis immortalibus honorem haberi iubere et sibi triumphum decernere. Petitur alibi a senatu, ut iubeat aliquid et decernat, non ut æquum censeat decernere (etsi decernitur sæpe his verbis, æquum senatui videri, hoc aut illud fieri, neque tamen in tali re, de honore dis habendo). Cod. M non iubere aut decernere scriptum habet, sed iuberent decernerent, quod Weissenbornius secutus est. Sed perversa nec Latina hæc est oratio: peto a senatu, ut æquum censeat, honorem haberi dis iubeat, sive ut audias (æquum censeo, ut ipse iubeam) sive et (ut æquum nescio quid censeat et honorem dis haberi iubeat). Addenda est in optimi codicis scriptura duarum litterarum particula: petiit a patribus, ut, **si** æquum censerent, — et — iuberent et — decernerent. Ea est sollemnis in tali re petendi modestia. Altera coniunctio alteram loco movit, quod non ita raro in tali concursu accidit. Eodem capite § 11 (in oratione Fulvii contra M. Æmilii consulis, qui tunc aberat, superiore tempore reprehensionem suarum rerum) valde vereor, ne aliquid subsit occulti mendi in his verbis: Iam de deorum immortalium templis spoliatis — qualem calumniam ad pontifices attulerit? Nam ut omittam, quæ excusari potest (vid. paulo ante ad XXXVIII, 59), interrogationem coniunctivo modo positam, quæ infinitivo efferri de-

---

1) In hoc et proximo libro, deficiente B, unus locupletis testis fidem habet M, cuius tamen testimonium nimis sæpe subtrahitur aut obscurum est.

Tum contra regulam (vid. Opusc. Ac. II p. 211 sqq.) in oratione obliqua coniunctivo modo effertur interrogatio ex indicativo tertiæ personæ conversa. Ab ea regula uno et altero loco deflecti, ubi pronomine aut particula ex pronomine orta et rem quæsitam demonstrante (quis, cur) inter-
(450) rogetur, ostendi ibi (p. 216), eiusque rei Livianum exemplum (V, 2, 8) supra notavi (p. 112; cfr. XXXIX, 4, 2); in iis particulis, quæ nihil nisi ipsam orationis formam significant (ne, num, an), nullum est contrarium exemplum; in an, quæ alterius interrogationis membri index est, omnino excluditur illa verbi, a quo interrogatio nectatur, cogitatio, quæ efficit, ut coniunctivus interdum contra regulam ponatur. Ac prius quidem vitium codices tollunt, qui (Drakenborchiani quidem, nam de M tacetur) consensu habent an præter, omisso non. Restituenda est igitur ea orationis forma, qua Livius in hoc ipso libro c. 45, 8 (in recta oratione) et, ut videbimus, XLIV, 39, 1 usus est, ut primum is, qui dicat, sibi contrariam sententiam obiiciat per at (at hercule), deinde, quasi interrogationem disiunctivam instituerit, per an (potius) interrogando id, quod ipse sentiat, adfirmet; sic enim c. 45 scribitur: At eo ipso contentus fuisti; recto itinere exercitum duxisti ad eos, quos tibi hostes desumpseras; an per omnes anfractus viarum — Phrygiæ recessus omnes — peragrasti? Sed simul tollendum [cum Creverio] sit, eo quidem magis, quod sit latum non potest non coniungi cum quantum, quo fit, ut primaria sententia (an tantum auri) prorsus verbo careat. Scribendum est igitur: an præter omnium oculos tantum auri, quantum non decem aliis triumphis, —, latum? [Eodem modo ponitur an post scilicet IV, 5, 3 et apud Sallustium in orat. Lepidi § 21.]

Lib. XXXIX.[1])

Cap. 4, 2: isque (M. Fulvius Nobilior, qui ex Ætolia redierat) ad ædem Apollinis in senatu quum de rebus in Ætolia Cephalleniaque ab se gestis disseruisset, petiit a patribus, ut æquum censerent, ob (451) rem publicam bene ac feliciter gestam et dis immortalibus honorem haberi iubere et sibi triumphum decernere. Petitur alibi a senatu, ut iubeat aliquid et decernat, non ut æquum censeat decernere (etsi decernitur sæpe his verbis, æquum senatui videri, hoc aut illud fieri, neque tamen in tali re, de honore dis habendo). Cod. M non iubere aut decernere scriptum habet, sed iuberent decernerent, quod Weissenbornius secutus est. Sed perversa nec Latina hæc est oratio: peto a senatu, ut æquum censeat, honorem haberi dis iubeat, sive ut audias (æquum censeo, ut ipse iubeam) sive et (ut æquum nescio quid censeat et honorem dis haberi iubeat). Addenda est in optimi codicis scriptura duarum litterarum particula: petiit a patribus, ut, **si** æquum censerent, — et — iuberent et — decernerent. Ea est sollemnis in tali re petendi modestia. Altera coniunctio alteram loco movit, quod non ita raro in tali concursu accidit. Eodem capite § 11 (in oratione Fulvii contra M. Æmilii consulis, qui tunc aberat, superiore tempore reprehensionem suarum rerum) valde vereor, ne aliquid subsit occulti mendi in his verbis: Iam de deorum immortalium templis spoliatis — qualem calumniam ad pontifices attulerit? Nam ut omittam, quæ excusari potest (vid. paulo ante ad XXXVIII, 59), interrogationem coniunctivo modo positam, quæ infinitivo efferri de-

[1]) In hoc et proximo libro, deficiente B, unus locupletis testis fidem habet M, cuius tamen testimonium nimis sæpe subtrahitur aut obscurum est.

bebat (etsi in hoc ad novam rem cum admiratione transitu difficillime excusatur), Æmilius consul in senatu contra Fulvium dixerat auctorque fuerat senatus consulti faciendi, ut, quum Fulvius Romam redisset, de templis Ambraciæ ab eo spoliati ad pontifices referretur (XXXVIII, 44). Hoc qui possit quamvis invidiose his verbis significari, ut Æmilius dicatur ipse ad pontifices calumniam attulisse, non video; nam calumniam adfert ad aliquem ipse occultus calumniator. Sed remedium non reperio loco fortasse lacunam
(452) habenti. Id dubium non est, quin proxima verba codices Pall. et Drakenborchiani (de M tacetur) recte sic scripta habeant: in Ambracia una capta non valuerit belli ius (bei dem eroberten Ambracia), ubi editur in Ambraciam unam captam. Sæpe in hoc usu præpositionis in aberratur.[1])

Cap. 7, 2 (de triumpho Cn. Manlii ex Asia): Militibus quadragenos binos denarios divisit, duplex centurioni, et stipendium duplex in pedites dedit, triplex in equites. Quid esset in his vitii et quid sententia requireret, Dukerus et Drakenborchius viderunt. Nam neque in communi largitione triumphali, peditis et centurionis summa distincta, tertium equitis gradum omitti perpetuus mos sinebat contraque in stipendio extra ordinem aucto huiusmodi ordinum distinctionem locum non habere et Livii loci de duplici triplicive stipendio ostendunt a Dukero collecti (XXIII, 20, 2, XXXVII, 59, 6, XL, 43, 7: militibus de præda — triplex equiti, — et stipendium omnibus duplex; nam XXIX, 3, 5 et XXX, 16, 12 nihil ad hanc largitionem pertinent) et multo magis rei natura; nam stipendium ipsum

[1]) Quod c. 5, 9 ex M editur necessum esset (Gelenii fide; nam Carbachius inde enotavit necesse esset; in ceteris est necessarium esset) et XXXIV, 5, 2 ex eodem necessum est (ubi B et ceteri habent necesse est), valde vereor, ne casus nos ludat in duobus his locis Plautinam Lucretianamque pervagati vocabuli formam obiiciens.

gradibus et ordinibus distinctum erat; itaque multiplicando (velut duplicando) servabatur eadem proportio; si stipendium iam per se maius etiam pluribus partibus auctum esset (ut miles verbi causa bis denarium acciperet, centurio quater binos, eques sexies ternos), intolerabilis iniquitas nata esset. Itaque Livium sic scripsisse apparet: Militibus quadragenos binos denarios divisit, duplex centurioni, triplex in equites (eadem varietate constructionis et nu- (453) meri, qua XXXIV, 52, 11: — in pedites divisi, duplex centurioni, triplex equiti, XLV, 34, 5: in equitem — peditibus — dividerentur), et stipendium duplex dedit. Quum illa triplex in equites suo loco mota essent, additum est, ut contrarium esset, in pedites, pro quo non recte Drakenborchius in milites scribi voluit, cum vitiosa abundantia; cetera recte emendavit.[1])

Cap. 9, 6: Huic (Hispalæ) consuetudo iuxta vicinitatem cum Æbutio fuit. Præpositionis iuxta significatio aliena videtur, suspicorque scriptum fuisse: iuncta vicinitate. (Sic iam Heerwagenius.) Ussingio in mentem venerat orta ex vicinitate, longius a codicibus. (1865.)

Cap. 17, 7 (de Bacchanaliorum antistitibus comprehen-

---

[1]) Cap. 8, 7 (falsi testes, falsa signa testimoniaque et indicia ex eadem officina exibant) iure offendit eadem res bis posita et incommode variata (testes — testimonia); sed quod testamentaque substituitur, multo melius testimonia et indicia quam testamenta et indicia coniunguntur. Me quidem offendit hæc hominum rerumque copulatio (falsi testes, signa cet.), vereorque, ne Livius nihil scripserit nisi hæc: sed falsa signa testimoniaque et indicia ex eadem officina exibant. Erroris tamen originem non invenio. § 6 recte Dukerus suspicatus esse videtur aliquid excidisse, quod sic fere supplendum existimo: quum vinum animos incendisset et nox et mixti feminis mares — discrimen omne pudoris exstinxissent. (Amor ab hac promiscua libidine alienus est, nedum amores.) [§ 8 clandestinas cædes a Livio appellatas puto, non intestinas, quum præsertim addatur, interdum ne corpora quidem exstitisse ad sepulturam. 1865.]

sis): fassique de se nullam moram iudicio fecerunt. Rectius codices (etiam M) indicio, hoc est, quo minus ceteros quoque indicarent. De iudicio nondum agebatur nec ei moram facere potest, qui in vinculis est.[1])

(454) Cap. 25, 3 et 4 (ubi agitur de tribus legatis Romanis

---

[1]) Plura sunt in hac vicinitate, in quibus mendi indicia satis certa sint, emendatio incerta, quæ perfici fortasse posset, si ipsos codicis M apices rimari liceret. Cap. 13, 4 non potest verum esse, quod inde a Gelenio ex M (et, opinor, Spirensi) editur: incusata perfidia Æbutii, qui optimi in eo ipso meriti talem gratiam retulisset. Nam ut concedam, Latine dici gratiam meriti referre, nemo bonum aut optimum meritum pro magno præclaroque dixit. Neque tamen simpliciter restituendum videtur e vulgaribus: optime in eo ipso meritæ; nam eo ipso, quo referatur, non habet. Proxime ad correctionem in ed. Ascensiana adhibitam scribendum videtur optime de ipso meritæ. Sed mendi origo obscura est. Cap. 14, 4 (Patres pavor ingens cepit, quum publico nomine —, tum privatim suorum quisque vicem) recte Gronovius et Creverius negant Livium in tali verborum complexu aberrare potuisse, ut quisque scriberet pro quemque. Sed quemque vix in quisque transire potuit. Fuitne: suorum cuiusque vicem (eorum vicem, qui sui cuiusque erant)? [Sic Doeringius.] Cap. 19, 4, ubi de præmiis ob Bacchanalia indicata decretis agitur, pro eo, quod e vulgaribus codicibus editur: neve (Æbutio) censor equum publicum adsignaret, in M est: neve censor Licinius equum publicum assignaret. Sub nomine prorsus absurdo, quod in vulgaribus codd. omissum est, quum non intellegeretur, latet tamen aliquid; et desiderari dativum multi senserunt; in litteris li inest ei, sed quid ceteris (cinius) fiat, difficile inventu est. [Sententiæ aptum esset: neve censor ei invito equum publicum adsignaret. Nam in hoc quoque membro excipiendum erat, volenti Æbutio equum adsignari posse, ne non tam vacatio data quam exclusus ipse videretur. Sed litteræ longe absunt. 1876.] [Ibd. § 6 iure Ussingius quique pro quive scribi voluit. Nam et qui tunc essent et qui postea futuri essent, senatus eam rem curare iussit. Cap. 20, 2 necessario pro habuerunt restituendum habuerant, ut c. 31, 18 tenuerant pro tenuerunt. Etiam c. 23, 9 prave tempora coniunguntur; sine dubio est post deditum tollendum est. Transitus a iussus erat ad deditum est ferri poterat, nisi sequeretur tulerat. 1865.]

ad Tempe Thessalica in conventu controversias Philippi et Thessalorum disceptantibus): In controversiam autem veniebant Philippopolis, Tricca, Phaloria et Eurymenæ et cetera circa eas oppida, utrum Thessalorum iuris, quum vi ademptæ possessæque ab Ætolis forent (nam Philippum Ætolis ademisse eas constabat), an Ætolica antiquitus ea oppida fuissent. Non quærebatur, certone aliquo tempore (tum, quum) Thessalorum iuris ea oppida fuissent, sed num antiquitus et perpetuo, nec ita quærebatur, ut pro concesso esset, vi adempta et possessa ab Ætolis esse; nam id fieri non potuisset, nisi Thessalorum iuris fuissent, nec, si id factum esset, potuissent ullo modo Ætolica antiquitus esse. Perspicua hæc fiunt ex iis, quæ subiiciuntur: ita enim Acilium regi concessisse (ea oppida), si Ætolorum (455)
fuissent et si voluntate, non vi atque armis coacti cum Ætolis essent. Ne grammatica quidem ratio in edita scriptura constat; oportebat enim dici: utrum Thessalorum iuris, quum vi adimerentur —, fuissent.[1]) Livius sic scripserat: utrum, Thessalorum iuris quum **essent**, vi ademptæ possessæque ab Ætolis forent — an Ætolica antiquitus ea oppida fuissent. Non intellecta verborum cohærentia, essent omissum est propter forent. Id agebatur, utrum reapse Thessalorum oppida essent et tantummodo vi ab Ætolis possessa an vere Ætolica.

Cap. 30, 5: regressique in castra sua (Hispani, qui prætores duos Romanos proelio vicerant) paucos dies quietis stativis manserunt. Quieta stativa habent, quos in iis hostes non lacessunt nec vexant; id hic significari sane (456)

[1]) Ex eo, quod est: Thessalorum iuris fuerunt, quum adempta sunt, recte fit (post præsens): quæro, num Thessalorum iuris fuerint, quum adempta sint; post præteriti temporis verbum, nisi admodum neglegenter scribas, perfectum post quum in imperfectum transit.

nihil opus erat, quum Livius Romanos nocte castris relictis celeriter abisse narraverit. In M erat: quietis his stativis manserunt. Aut quieti stativis scribendum (ut in Lov. 2 scribitur) aut quieti iis stativis, quod Drakenborchio (nisi quod his scripsit) in mentem venerat. Victores non persecuti sunt fugientes Romanos, sed quieti manserunt.

Cap. 34, 3 (Philippus iratus Onomasto mandaverat, ut Maronitas principes partis adversæ interficeret; is per Casandrum quendam cædem velut in bello capta urbe fecit): Id apud legatos Romanos querentes tam crudeliter adversus innoxios Maronitas, tam superbe adversus populum Romanum factum, ut —, abnuebat quidquam eorum ad se — pertinere. Mirus et inauditus hic est verborum ordo, in initium ante præpositionem (apud) adiunctam participio (querentes) reiecto pronomine id et ab iis, quibuscum cohæret (tam crudeliter — factum), separato. Admodum suspicor, id ex extremis litteris verbi fecit, quod præcedit, ortum esse, Livium tantum scripsisse: Apud legatos Romanos querentes, tam crudeliter — factum, ut — trucidarentur, abnuebat cet.[1])

Cap. 38, 11 (de supplemento militum in Hispanias decreto): quum eas legiones quattuor descripsissent, quod plus quam quina millia peditum, treceni equi-

---

[1]) Cap. 35, 6 sqq. (in oratione Lycortæ in concilio Achæorum habita): — in bello sociis Romanis Achæos usos; nunc eosdem Romanos æquiores Lacedæmoniis quam Achæis esse, ubi Areus etiam et Alcibiades, ambo exsules suo beneficio restituti, legationem Romam adversus gentem Achæorum ita de ipsis meritam suscepissent, adeoque infesta oratione usi essent, ut pulsi patria, non restituti in eam viderentur. Offendit durissima hæc coniunctio per particulam relativam: ubi Areus cet., nec Romanorum in Lacedæmonios favor recte demonstratur ex eo, quod exsules Lacedæmonii Romæ Achæos accusaverint. Vereor, ne aliquid exciderit, ut c. 49, 1. Iam Aldus locum asterisco notavit. (1865.) Cap. 36, 4 ex nec ulla, quod M habet, faciendum ne ulla; cett. codd. ne in ulla. (1865.)

tes in singulis legionibus esset, dimitterent. Vitium orationis Gronovius perspexit nec tamen plene exposuit; nam et eæ legiones prave dicuntur, nullis antea commemoratis legionibus, nec ex IV millibus peditum IV legiones effici possunt, nec legiones describebantur, sed scribebantur, nec id umquam (illa quidem ætate) in provinciis, sed Romæ fiebat; quæ in provinciis iam erant legiones, supplebantur. Agitur igitur, quod Gronovius vidit, de supplemento militum in legiones, quæ in Hispania erant, describendo, qua descriptione facta, si singulæ legiones supra V millia peditum excrescerent, dimitteretur, quod excurreret; neque dubitandum videtur, quin recte Gronovius scribi iusserit: quum eos in (457)
legiones quattuor descripsissent, quamquam in numero legionum, si eum ipse Livius posuit, erravit. Nam duas in Hispaniis fuisse legiones, singulas in utraque provincia, ipse dixit XXXVIII, 36, 3 significatque minime obscure hoc libro c. 30, 12. Sed præterea ex Livii Latinorumque usu (in numero excurrenti per vocabulum plus significando) scribendum puto: quo plus quam quinque millia — esset. Dixi de ea re adolescens in Emendationibus Ciceronianis (Acad. et de Legg.) p. 72, ubi lib. XL, 36, 10 e codicibus restituendum esse ostendi quo amplius (quod Weissenbornius probavit).[1]) Ad eum modum nunc editur in Cic. Verr. III, 16, 42 ex melioribus codicibus, excepto tamen palimpsesto Vaticano: quo plus sumitur quam debetur. Contra ducentos plures (hoc est, ducentis plus) recipere (XXII, 23, 7) non ausim improbare.

Cap. 40, 12 (de M. Catone): qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque, nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit iudicium. Valde suspicor,

1) Illo loco præterea cum Pighio addenda est præpositio (in duabus legionibus); nam legioni esse amplius quattuor millia peditum nemo dixit.

verbum dixerit tollendum esse; neque enim quidquam vivacis ingenii in eo apparet, quod accusatus est, sed quod ipse causam oravit, accurateque hæc duo inter se contraria referuntur, Catonem sexto et octogesimo anno ipsum pro se causam oravisse, nonagesimo Galbam accusasse. (1865.)[1])

Cap. 46, 5 Ussingio non sine causa displicuit verbum erat; significatur enim, quid religionem iniectam consecutum sit, non res ante facta. Saltem melius verbum Livius omisisset. (1865.) [Iam Rupertius est pro erat.]

Cap. 47, 9 (in responso senatus Demetrio Philippi filio dato): Multa et dissimulare et oblivisci et pati præterita senatum posse, et credere etiam, Demetrio credendum esse. Miræ hæ ambages sunt loquendi cum importuna eiusdem verbi repetitione; rectissime codices Lov. 4 et Mead. 2 (de M tacetur) habent tantum: et credere etiam Demetrio (multa, de multis). Polybium (XXIV, 2, 9) iam Drakenborchius comparavit: ἀπόκρισιν ἔδωκεν (ἡ σύγκλητος), διότι περὶ πάντων καὶ τῶν εἰρημένων ὑπ' αὐτοῦ καὶ τῶν ἀνεγνωσμένων Δημητρίῳ πιστεύει. (Initio huius capitis oratio sic interpungenda est, significato levi anacolutho: Respondendum — Demetrio erat. Quum haud facile esset — complecti (nec enim — iudicatis), nihil horum ne-
(458) que Demetrium docere dilucide nec se satis liquido discere ab eo senatus quum cerneret posse, simul cet. In nihil horum resumitur sententia.)

Cap. 48, 2 et 3: Multæ et parvulæ disceptationes iactabantur (ab legatis Lacedæmoniis in senatum introductis); sed quæ maxime rem continerent, erant, utrum restituerentur, quos Achæi damnaverant, necne, inique an iure occidissent, quos occiderant; vertebatur et, utrum manerent in Achaico

---

[1]) [Cap. 42, 11 non sine causa Siesbyeus pro Vis tu —?, quod quomodo dicatur, v. supra p. 229 not. h. ed., scribendum suspicatur Vin tu —? 1876.]

concilio Lacedæmonii an, ut ante fuerat, secretum eius unius in Peloponneso civitatis ius esset. In duas dividitur disceptationes, quod postea una videtur comprehendi et tamquam unum iudicari (restitui iudiciaque facta tolli placuit), quodque molestius est, ex earum disceptationum numero, quæ rem continuerint, excluditur et in appendicis locum coniicitur (vertebatur et), quæ multo maxima erat, utrum sui iuris Lacedæmon esset an Achæis contribueretur. Itaque necessario restituenda est, quæ olim in editionibus erat, interpunctio, sed simul addendum vocabulum, quod tum deesse nequit: — sed, quæ maxime rem continerent, hæ (II, id est, duæ?) erant: Utrum — occidissent, quos occiderant, vertebatur, et utrum manerent cet. Quod universe significatum erat, separatim declaratur verbo vertebatur. Sed de hoc ipso verbo non solum vehementer dubito, sed prorsus nego Latine dici: Vertitur, utrum hoc an illud factum sit (fiat), ut sit: in controversia et lite est. Longe enim diversum est, in aliqua re verti, utrum hoc an illud fiat (es beruhe auf etwas). Livius sine dubio scripsit: certabatur.[1]) [Cap. 49, 5 adverbium primum, cui in proximis nihil respondet, Ussingius tolli iussit, huc e superiore versu delatum. Cap. 53, 10 prorsus perversum est alii post legati, ortum ex ultimis huius vocabuli litteris. Eodem capite § 12, ubi editur: mediam in Thraciam exercitum in Odrysas et Denthelitos et Bessos duxit, scribendum videtur media Thracia, hoc est, per med. Thr. Polybius (XXIV, 6, 4): Διὰ μέσης τῆς Θρᾴκης ἐνέβαλεν ἐς Ὀδρύσας. Cap. 55, 3 editur: Et exceperunt et prosecuti cum donis legatos sunt. E Mog. adnotatur ita prosecuti, ex quo, etsi

[1]) Cap. 48, 6—49, 1 sic interpungendam esse orationem apparet: Cuius belli — cohærerent rebus; eventus — capitur. Ad præoccupandam cet. Tum post petebant lacuna notanda est; profectus a Gelenio additum esse, non recte W. scribit. (1865.)

de priore et nihil notatur, efficitur **ut** exceperunt, **ita** prosecuti cet. Sed videtur post ut excidisse benigne aut similis vox. 1865.]

Cap. 55, 4 et 5: M. Claudius consul, Gallis ex provincia exactis, Histricum bellum moliri coepit, litteris ad senatum missis, ut sibi in Histriam traducere legiones liceret. Id senatui placuit. Brevi huic significationi comprobati consulis consilii, ipsi satis insolitæ (— nam placuit de decretis, quibus ipse senatus aliquid
(459) fieri iubet, dicitur, de comprobando permittendoque, ut, quod magistratui alicui e re publica esse videatur, faciat, non dicitur —), sed comprobationi admodum mire hoc subiungitur: illud agitabant, uti colonia Aquileia deduceretur. Aperte enim (pronomine etiam cum pondere initio posito) significatur, senatum aliam rem Histrico bello prævertendam potiusque consuli agendam censuisse. Idque perspicue confirmatur proximo capite (c. 56, 3): **Ex Histria revocatus** M. Marcellus, exercitu dimisso, Romam comitiorum causa rediit; neque quidquam de Histrico bello, quod senatui hic placuisse dicitur, ante narratur, quam ipsi Histri coloniam Aquileiam deduci prohibent (XL, 26). Apparet, opinor, Livium scripsisse: Id senatui **haud** placuit; illud agitabant, uti cet.[1]) Ipsum illud agitabant ostendit, de bello negatum, aliam rem pacificam agitante senatu.

Lib. XL.

Cap. 8, 14 (in oratione Philippi ad filios): Iam (posui, hoc est, commemoravi) hos Eumenem Attalumque fratres, a quam exiguis rebus, prope ut puderet regii

---

[1]) Cap. 54, 12 expellendum esse quam, quod Sigonius a sententia aberrans addit, ceteri tenent, recte Creverius intellexit. Denuntiationi, ut Gallici populi multitudinem suam domi contineant, addita comminatio est: Alpes prope insuperabilis finis in medio est. Non utique iis melius erit (malum habebunt), qui eas primi pervias fecerint.

nominis, mihi, Antiocho, cuilibet regum huius ætatis, nulla re magis quam fraterna unanimitate, regnum æquasse. Nec ad totam orationis formam nec ad subiectam particulam ut ullis machinis accommodari potest exclamationis illa et admirationis figura, quæ una adhiberi aliquo modo videtur posse ad quam ante exiguis rebus expediendum. Itaque, etsi mirus error est, tamen (460)
non dubito scribere: ab tam exiguis rebus.

Cap. 9, 8 (in Persei oratione, qua fratrem accusat): Frater, non comissantium in vicem iam diu vivimus inter nos. Sententia quæ esse debeat, apparet. Negat enim Perseus, ita iam diu se et Demetrium vivere, ut credi possit, sine ullo insidiarum consilio iuvenili lascivia Demetrium et eius comites ad se comissatum isse. Sed neque hæc sententia neque alia loco apta qui possit ex verbis effici, aut quid sit omnino Latino loquendi usu comissantium in vicem vivere, intellego, quamquam nemo verbo id declarandum putavit; adeo omnibus hæc facilia visa sunt aut non attenderunt aut adeo, quid esset obscuri, aperte fateri noluerunt. Mihi commissantium in vicem vivere videtur esse comissantium loco vivere, eorum vivendi partibus et vice fungi. Sed fingamus comissantium in vicem eodem modo dici, quo apud Ciceronem Sardanapali vicem in lectulo mori, apud Sallustium pecorum vicem obtruncari, apud alios alia (— apud Livium nihil huiusmodi est —), hoc est, tamquam comissantes (quasi pro eo, quod est: sollicitus vicem alicuius, possit etiam dici: sollicitus in vicem alic.), quid hoc est, fratres iam diu non vivere tamquam comissantes? Solentne igitur aut debent boni et concordes fratres comissantium modo vivere, hoc est, opinor, in perpetua lascivia et petulantia? Longe aliud est, iuvenes comissantium modo vivere, aliud, ita inter se amice simpliciterque et sine suspicione vivere, ut etiam comissatum interdum eant alter ad alterum, vicibusque hoc faciant, hoc est, in vicem. Hoc

enim una notione comprehendendum est, comissari in vicem; quo constituto, apparet, excidisse id nomen, a quo genetivus penderet. Scripserat autem, ni fallor, Livius: Frater, non comissantium in vicem **animis** iam diu vivimus inter nos (non eo animorum habitu, quo qui comissatum in vicem eunt); nisi quis putat animis ante vivi-
(461) mus facilius excidere potuisse (— com. in vic. iam diu animis vivimus). [Bauerus more excidisse suspicatus est.][1])

Cap. 12, 9—11 (in Demetrii oratione contra Persei accusationem): Oportuit autem, Perseu, si proditor ego patris regnique eram, —, non exspectatam fabulam esse noctis huius, sed proditionis meæ ante me accusatum; si illa, separata ab hac, vana accusatio erat —, hodie quoque eam aut prætermitti aut in aliud tempus differri, ut perspiceretur, utrum ego tibi an tu mihi, novo quidem et singulari genere odii, insidias fecisses. Nihilo magis, altera accusatione omissa, futurum erat, ut hoc perspiceretur. Codices (etiam M) non perspiceretur habent, sed persequeretur, ex quo facillime litteras separando et una syllaba (re) geminanda rectum efficitur: ut per se quæreretur, hoc est, separatim et sine admixtione suspicionum nihil ad hoc pertinentium. Paulo ante meæ vitiose redundare, Gronovius intellexit; proditionis enim aliquis accusatur, non suæ proditionis. Codices vulgares habent tantum: proditionis me accusatum; ex M adnotatur: meæ

[1]) Cap. 11, 8 (pater senex et filio solus orbatus) non sine causa Dukerus in verborum ordine hæsit; neque enim hæc aliud significant nisi eum, qui solus orbatus sit filio, nullo adiuncto orbitatis socio. Vereor, ne Livius tantum scripserit: pater senex et solus, cetera supra scripta ad solitudinem declarandam errore in contextum venerint. [§ 11, quod in codicibus scribitur: Credis, nihil a gladiis nocte periculum fuisse?, sic supplendum videtur: Cr., nihil a gladiis nocte periculi **mihi futurum** fuisse? Neque enim Perseus ad cenam venerat periculumve subierat. 1865.]

ante me; scribendum est: me ante accusatum: ex eo natum meæ ante, tum additum me. (Si illa, separata hac, vana accusatio erat, quod Weissenbornius e scriptura Moguntini separata ac effecit, non rectam sententiam habere videtur; significari enim debet: sine huius adiunctione.) § 17 (in eadem oratione): Nisi T. Quinctium credis, cuius virtute et consiliis me nunc arguis regi, —, (462)
mihi fraternæ cædis fuisse auctorem. Neque regi alicuius virtute quisquam dici omnino potest, (— prudentia alicuius regi recte dicitur —) neque laudi et virtuti Quinctio Perseus vertebat, quod Demetrium ad proditionem illiceret; apertissime repugnant virtute et arguis. Intellexit hoc Creverius; sed quod auctoritate substitui vult, nimis id longe recedit. Scribendum videtur: cuius **nutu** et consiliis. [Hoc iam Doeringius suspicatus erat. Præterea in et ipse vitiose et abundat. Num fuit: et ipse talis sit et tali pietate vivat cum fratre?] Ex nutuet facile oriri potuit virtute. Sequitur apud Livium (§ 18), ubi Demetrius in Persei accusatione repugnantiam et contrariorum inter se argumentorum et criminum usum reprehendit, hic locus: Idem non Romanorum gratiam solum, sed Macedonum iudicia ac pæne omnium deorum hominumque consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit; idem, tamquam aliis omnibus rebus inferior essem, ad sceleris ultimam spem confugisse me insimulat. Nulla est repugnantia, nisi idem homo (Demetrius) contraria credidisse egisseve arguitur; neque refellitur Persei accusatio sceleris a Demetrio tentati, nisi ostenditur, Persei iudicio in ipso Demetrio eam fuisse rerum suarum fiduciam, ut non probabile sit, ad sceleris spem ei confugiendum visum esse. Neque sane Perseus in superiore oratione collegit, quibus ipse iam ante crediderit, se inferiorem in certamine futurum Demetrio. sed enumeravit, quæ vera falsave spe atque opinione Demetrio animos fece-

rint. Scribendum igitur necessario est: per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum **crediderim**. Non intellecta sententia, propter pronomen se (quod ex orationis obliquæ lege pouitur) verbi persona mutata est. [Vel perfectum tempus verbi satis demonstrat de Demetrio hoc dici, qui spem conceperit, non de Perseo, qui nunc credat.]

Cap. 13, 1 et 2 (in eadem Demetrii oratione): Pluribus modis se petitum criminatus est, et omnes insidiarum vias in unum diem contulit. Volui interdiu eum post lustrationem, quum concurrimus, et quidem, si diis placet, lustrationum die occidere; volui, quum ad coenam invitavi, veneno scilicet
(463) tollere; volui, quum comissatum gladiis accincti me secuti sunt, ferro interficere. Descriptis tribus unius diei temporibus, ineptissime in primo membro (post lustrationem, quum concurrimus) additur tamquam notabile: et quidem, si diis placet, lustrationum die, quasi hoc huius membri proprium sit ac non æque ad alterum et tertium pertineat et quasi post lustrationem cædes fieri potuerit, nisi eo die, quo lustratio omnino esset. Perspicuum est præterea, quam vitiose perturbetur ipsa æqualitas membrorum studiose quæsita in notando triplici cædis conatu (post lustrationem, quum concurrimus, occidere — quum ad cenam invitavi, veneno scilicet tollere — quum commissatum gl. acc. me secuti sunt, ferro interficere, nisi quod in primo membro occidendi modus significatur ipso tempore ac momento: quum concurrimus). Sed quæ hinc alienissima sunt verba: et quidem, s. d. pl., lustrationum die, ea, una addita lineola (diem), aptissima erunt paulo ante, ut in unum diem et in diem mire delectum tres conatus collati dicantur: omnes insidiarum vias in unum contulit diem, et quidem, si diis placet, lustrationum diem. Volui interdiu eum post lustrationem, quum con-

currimus, occidere; volui, quum ad cenam cet. Coniungendum est igitur hoc verborum aliquot suo loco motorum et post alieno insertorum exemplum plane certum cum eis, quæ in hac decade notavi XXXII, 21, 14 et XXXVI, 34, 9 et 10 p. 423, et comparandum cum iis, quæ alibi in ceteris decadibus notata sunt. Eodem capite § 7 et 8, ubi sic scribitur: utrum, ut placarem te, danda opera fuit, ut aliam quærerem occasionem, quoniam semel venenum paraveram, an ab illo consilio velut transiliendum ad aliud fuit, ut ferro te, et quidem eo die, per speciem comissationis occiderem?, necessario scribendum videtur: et quidem **eodem** die; ea enim improbabilis videtur festinatio eodem utique die rem, ad aliud genus cædis translatam, peragendi, non quod eo potissimum die tentabatur. Deinde autem Livius (§ 9) scrip- (464)
serat: Quo deinde modo, si te metu mortis credebam cenam vitasse meam, non ab eodem metu comissationem quoque vitaturum existimabam? Editur evitasse et evitaturum, ortum hoc ex geminatione litteræ e, illud ex hoc. Metu enim vitamus res, quas periculosas fore putamus, fugimusque neque iis nos committimus; ea cautione, si fortuna iuvat, ipsum malum evitamus et effugimus.

Cap. 14, 8 (in eadem oratione): Hoc enim videri vis, non illud, quod fatentur et palam est. Et sui se tuendi causa sumpsisse dicunt. Sic recentiores interpungunt; nam quum antea hæc continuarentur: et palam est, et — dicunt, Gronovius et alii et atque dicunt tolli voluerant. Sed in illa quoque interpunctione et prorsus perversum est. Scribi debet: **Ei** sui se tuendi causa sumpsisse dicunt; recte an perperam fecerint, ipsi sui facti rationem reddent. Vocularum et et ei commutatarum exempla et alibi supra notavi et ad XXVI, 22, 7 (add. XXIV, 3, 15).[1])

---

[1]) [Eodem capite § 4, ubi scribitur: non temperassem vino in

Cap. 15, 1 et 2 (in eadem Demetrii oratione): Quin tu, omissa ista nocturna fabula, ad id, quod doles, quod invidiam urit, reverteris? „Cur usquam regni tui mentio fit, Demetri? Cur dignior patris fortunæ successor quibusdam videris quam ego? Cur spem meam — dubiam et sollicitam facis?“ Primum necessario e codd. novem Drakenborchii (de M tacetur) scribendum invidia, ablativo casu; neque enim uritur invidia, sed incenditur et inflammatur; ipsa urit. Deinde non sine causa Gronovius hæsisse videtur in illo regni tui; quod ut intellegatur de futuro et sperato Demetrii regno, præterquam quod durum est, nimis aperte et cum offensione nominatur, quod deinde verborum ambagibus significatur (pa-
(465) tris fortunæ successor — spem meam); neque admodum aptum usquam adverbium videtur; itaque fieri potest, ut Livius scripserit tantum: Cur usquam (in ulla re) tui mentio fit, Demetri? Nullam enim omnino Demetrii rationem haberi mentionemve fieri Persea velle significatur. Certior tamen est correctio adhibenda paulo post (§ 10), ubi sic editur: Si mihi pater suscenseret, te, maiorem fratrem, pro minore deprecari oportebat, te adolescentiæ, te errori veniam impetrare. In eo, ubi præsidium esse oportebat, ibi exitium est. Manifesto vitiosum est in eo — ibi; itaque Creverius in eo tolli volebat, Bauerus pro eo scribi nunc. Livius scripserat: te errori veniam impetrare meo. Ubi præsidium cet. Eadem correctione (meo pro in eo) olim sanavi

unum diem, non milites meos abstinuissem, tollendum est milites male additum ad pronomen meos absolute positum declarandum. Significantur amici Demetrii et sodales. Milites suos nisi imperator aut præfectus commemorare non potest. § 9 scribendum videtur: — miscueris. At explica cet. (vulgo: Aut expl.) Neque enim hoc additur ad causæ mixtionem refellendam (aut, si miscere vis, explica), sed ad novum rei totius fictæ argumentum transitur. 1865.]

Ciceronis locos pro Rosc. Am. 27, 73 et pro Cluent. 24, 65, quorum in altero postea codicum accessit auctoritas.[1])

Cap. 16, 6 (ubi Livius Ligurum duo millia narrat a M. Marcello, qui Galliam obtinebat, petivisse, ut reciperentur, Marcellum senatum de ea re consuluisse): Senatus rescribere M. Ogulnium prætorem Marcello iussit, verius fuisse, consules, quorum provincia esset (Liguria), quam se, quid e re p. esset, decernere; tum quoque non placere, si per deditionem Ligures recipiet, receptis arma adimi, atque eos ad consulem mitti senatum æquum censere. Sic Gelenius in antiquis libris, id est M, fuisse testatur et sic editur inde a (466)

---

[1]) Eodem cap. § 4 frustra Weissenbornius defendere hæc conatur: ut indignus te patre, indignus omnibus videar; neque enim cum omnibus hominibus talis erat Demetrio coniunctio, ut iis se dignum præstare deberet; neque omnibus indignus continuo erat, qui rege patre non dignus erat. Aut cum Gronovio scribendum est: indignus te patre, indignus maioribus videar aut: indignus te patre omnibus videar. [Sic Bauerus.] Tum autem (§ 5) miror, quum iam Drakenborchio verum in mentem venisset (sed incerto et fluctuanti), nondum restitutum esse e codicibus: id enim vitiis meis, non cedendi (sic Lov. 3, Mead., Gærtn. pro cedendo, de M tacetur), cui ius fasque est, modestia consequar (edd. contra codices: non modestia consequar). Vitiis recte una contraria ponitur cedendi modestia, minus recte cedendo et modestia. Propter vitiis scriptum est cedendo non animadversa verborum cohærentia. Extremo capite (§ 16) obtemperatum oportuit Drakenborchio, qui pro eo, quod nunc editur: —, qui iam nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet?, e codicum incertis vestigiis eruit: sanguinem meum sibi indulgeri æ. c. (quod ipsum in margine Lov. 2 adnotatum est). Indulgere alicui sanguine aliave re nemo dixit; alterum Livio commune erit cum insecutæ ætatis scriptoribus, Quintiliano, Tacito (Ann. II, 38), Suetonio, ne poëtas, Statium (Theb. IV, 691) et Silium, nominem, ut multa apud illum primum posita semel aut iterum reperiuntur, quæ apud hos sæpius. Ex sanguinem meum ortum sanguine meum, tum meo. (Poterat sane etiam ex sanguine meo, modo rectum esset, oriri sanguinem meo, tum meum.)

Gronovio, qui tamen pro recipiet scribi volebat reciperet; Bekkerus et Weissenbornius recipiat posuerunt. Sed tota sententia perversa est. De summa enim re, recipiendine sint Ligures necne, nihil senatus respondet, sed, si recipiantur, vetat in receptis fieri, quod Marcellus se facturum non significarat, vetat autem contra constantem Romanorum in dediticiis recipiendis morem, qui apparet, ut hoc utar, lib. XXXIX, 2, 1 et 4. Mire etiam cum hac cautione copulatur (atque) extremum, mittendos esse Ligures ad consules, quos vitare voluerant, quasi hoc ex eodem genere sit. Res et sententia et oratio rectæ erunt, retractis e fuga duabus litteris, aliis recte diiunctis: tum quoque (quum Ligures ad Marcellum confugerint et res per Marcellum ad senatum reiecta sit) non placere **nisi** per deditionem Ligures **recipi, et** receptis arma adimi atque eos ad consules mitti, senatum æquum censere. Nisi facta aperte et sine ambagibus deditione recipi Ligures senatus vetat; deinde adiungit (et), quid Romanæ consuetudini convenienter in receptis faciendum sit. Et particulæ
(467) nisi adeo manifesta sunt vestigia in Lov. 4 et Mead. 1 (non placerentsi, Lov. 3 non placeretsi), ut Gelenium non satis plene de M retulisse putem, incipientem a si, priora (placerent pro placere?) omittentem. Eodem capite infra (§ 7: Q. Fulvius Flaccus in citeriorem [Hispaniam] pervenit exercitumque a Terentio accepit) scribendum est: ab A. Terentio. Vidit vitium etiam Weissenbornius, sed sine causa graviorem suspicionem concepit.[1])

---

[1]) [§ 11 editur ex M: auri octoginta pondo, et duæ coronæ aureæ pondo sexaginta septem; codices quinque Drak. habent et duo. Scribendum puto: auri octoginta pondo et duo, coronæ aureæ sexaginta septem, et pondo in extremo membro errore ex superioribus repetitum. Nam in scriptura Mog. coronæ et nimis paucæ et nimis ponderosæ videntur. Pondus coronarum, non numerus, indicatur XXXIX, 5, 14 et 7, 1; numerus

Cap. 19, 3: Pestilentia in agris forisque et conciliabulis et in urbe tanta erat, ut Libitina tunc vix sufficeret. Particulam tunc vitiose abundare recte Weissenbornius intellexit et funerum potius significationem requiri. Eius ipsius vocis initium superesse puto in TUNC pro FUNE, postremis litteris nescio quo casu interceptis. Nam Livius scripsisse videtur: ut Libitina funeribus vix sufficeret; quemadmodum XLI, 21, 6 est: Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat.[1])

Cap. 30, 7: Ibi stetere Hispani hostes exspectantes; Romanus suos intra vallum continuit per quatriduum continuum; et illi eodem loco aciem instructam tenuerunt. Ab Romanis nihil motum. (468)
Ut hæc scribuntur et interpunguntur, intolerabiliter bis idem de Hispanis, bis de Romanis dicitur temporisque notatio (per quatriduum cont.) pravo loco adhæret. Recta narratio erit, si primum universe res significabitur, deinde per se adiicietur, quam diu eodem statu res manserit, oratione sic descripta: Ibi stetere Hispani hostes exspectantes; Romanus suos intra vallum continuit. Per quatriduum continuum et illi eodem loco aciem instructam tenuerunt et ab Romanis nihil motum. Excidit et post t, ut alibi non raro factum ostendi ad X, 21, 6.

Cap. 31, 9 scribitur: prope sine certamine capiun-

---

coronarum, non pondus XXXIV, 52, 8, XXXVII, 58, 4 et 59, 3, XXXIX, 29, 6 et 42, 3, huius libri c. 34,8 et 43, 6. 1865.]

[1]) Cap. 21, 3 scribendum esse, ut ante Gronovium scribebatur: viam exercitui nullam esse, paucis et expeditis per difficillimum aditum (non barbare perdifficillimum aditum), significavi ante multos annos in libello de Asconio p. 146, ubi quod Velleii exemplum non aptum dixi, corruptum dicere debui. In cap. 22, 4 emendationem a me olim (ad Cic. Fin. p. 531) propositam (quod rarum in altis locis est) Weissenbornius secutus est.

tur castra; castris, quæ pars maxime a pugnantibus conspici poterat, iniecit Acilius ignem, substantivo castris, in quo nullum est pondus, nihil contrarie relatum, vitiose repetito et in initium sententiæ retracto. Nulla est dubitatio, quin Livius scripserit: p. s. c. capiuntur castra; **captis** — iniecit Acilius ignem, notissima figura (vid. v. c. II, 25, 5 et VI, 32, 8), quam XXXVIII, 13, 4 Bekkerus e Bamb. Livio reddidit (castellum vi cepit; captum Alabandensibus reddit). [Cap. 33, 9 in edd. vett. scribebatur: Flaccus — per Celtiberiam populabundus ducit legiones, multa castella oppugnando, nec maxima pars cet. Ad hoc ex M adnotatur donec maxima pars. Frob. II: oppugnavit, donec, quod deinde retentum est usque ad Weissenbornium, qui edidit oppugnando, donec, gerundii ablativo non aptissimo, præsertim populabundus — oppugnando. Apparet ex Frob. II, in M non fuisse oppugnando, donec sed oppugnandonec. Hinc fit (cfr. de XXV, 8, 8 p. 290, Kleine philolog. Schriften p. 373): oppugnans, donec. Similiter XXXIX, 32, 10 recte Rupertius volitans pro volitando scripsit. Sed recte Gronovius intellexit requiri potius expugnandi verbum. 1865.]

Cap. 34, 2: Aquileia colonia Latina eodem anno in agro Gallorum est deducta. Miror, neminem animadvertisse et rationem (— Roma enim colonia in eum locum, ubi sedem habitura est, deducitur, in eoque loco conditur, non deducitur —) et constantissimum Livii omniumque usum postulare, ut scribatur: in agrum Gallorum. (Cap. 29, 1 in agrum Etruscum, c. 43, 1: agrum —, quo — deduceretur, X, 3, 2: agrum —, in quem et 13, 1: in agrum Æquiculorum, XXXIV, 45, 1 et 53, 1, XXXVII, 47, 2, XXXIX, 44, 10 et 55, 9.) (Cfr. quæ de XXIV, 20, 1 dixi p. 257.) [In agrum iam Doeringius. In periochis semper ablativus ponitur.] Eodem capite infra (§ 6), ubi editur: Is erat (de M'. Acilio Glabrione dicit), qui ipse eam ædem vove-

rat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset, in hoc postremo verbo coniunctivi modi ratio expediri non potest; ne plusquamperfectum quidem (469) satis rectum est, scribendumque necessario esse puto: depugnatumst, quod, quum st pro est positum ignoraretur, non ita difficulter in depugnasset transire potuit. (In Vindob. lib. XLV, 7, 4 ex missi sunt ortum est misissent. Ex coepta sunt factum coepissent apud Ciceronem Tusc. I, 13, 29 olim correxi.)[1])

Cap. 35, 13 (in Ti. Sempronii oratione, qua dissuadet, ne exercitus ex Hispania citeriore deportetur): Dictu quam re facilius sit provinciam ingenio ferocem, rebellatricem confecisse? Sic apud Drakenborchium, Kreyssigium, alios scribitur, quæ interrogatio (ut omittam coniunctivum modum) aperte sententiam habet dicentis consilio contrariam; negatur enim interrogando, dictu quam re facilius esse, hoc est, adfirmatur, reapse facile esse provinciam eiusmodi conficere. Itaque alii rectius interrogandi notam tollunt. Sed ne in hac quidem aperta asseveratione locum habet coniunctivus dubitandique significatio, scribendumque est: Dictu quam re facilius **est** cet. Confecisse per-

---

[1]) Proxime ante (§ 5) necessario cum Gronovio scribendum est: quæ prima omnium in Italia statuta aurata est; quod enim editur: statua aurata est, nihil aliud significat nisi: welche Statue die erste war, die vergoldet ward. Quod Weissenbornius hæc verba ab interpolatore inserta putat, dixi iam ante (ad XXXIV, 7, 2 p. 398 not.), improbabiliter in Livii libris fingi huiusmodi rerum ad historiam memorabilium aliunde adnotationem; hoc quidem de statua prima aurata Valerium Maximum, ut multa alia, a Livio sumpsisse manifestum est. Extremo capite (§ 14) non intellego, quid apud Handium Turs. II, 148 reperiatur, quo ullus color conciliari possit huic dicendi generi: pacem cum aliquo præsto ab aliquo, ut sit: efficio, ut aliquis pacem cum aliquo servet; pacem cum aliquo servare Latine dici, Gronovius non ignorabat.

fecto tempore scriptum est, quod significatur, facile esse dicere se provinciam confecisse.

Cap. 38, 9 (de triumpho P. Cornelii et M. Bæbii de Liguribus): Hi omnium primi nullo bello gesto trium-
(470) pharunt. Tantum hostes ducti ante currum, quia nec quod ferretur neque quod duceretur captum neque quod militibus daretur, quidquam in triumphis eorum fuerat. Unde, quæso, hostes ante currum, si neque bellum gestum erat nec quidquam, quod duceretur captum? Ipsum hoc: quod duceretur captum sic dicitur, ut tantum aliquid non capti ductum esse significetur. Tantum autem sic ponitur, tamquam hostes exigua eorum, quæ ante currum ducerentur, pars esse consueverint, alia autem maiora tum afuerint. Atqui ante currum nihil omnino ducebatur præter hostes captos et, quæ deesse non poterant, victimas. Tenetur, opinor, manifesto mendum ex permutatione similium vocabulorum natum, deinde occultatum, nisi in ipso codice M legendo (in quo uno posterior huius libri pars inde a cap. 37 med. servata est) a primo editore aberratum est.[1]) Scripserat enim Livius: tantum **hostiæ ductæ** ante currum. Similis triumphi species in libr. XXXI, 49, 3 describitur: Neque captivi ulli ante currum ducti, neque spolia prælata, neque milites secuti, nisi quod ibi hostiæ non nominantur. Plenam pompam et hostiarum et hostium notatam videmus XXXIV, 52, 9 in T. Quinctii triumpho: et hostiæ ductæ, et ante currum multi nobiles captivi obsidesque. Hostibus pro hostiis bis in codice Vindobonensi scribitur, XLII, 28, 7 et XLIII, 13, 7.

(471) Cap. 40, 11 et 12. Graviter vitiata sunt, quæ dicuntur de Celtiberis a Q. Flacco victis: Decem et septem millia hostium cæsa eo die traduntur, vivi capti plus quattuor millia ducentis septuaginta septem cum

[1]) Hoc enim in reliqua huius libri parte tenendum est, ab erroribus librarii non posse nisi raro secerni primi editoris legendi errores.

signis militaribus, equis prope mille centum. Nullis castris eo die victor exercitus mansit. Victoria non sine iactura militum fuit; quadringenti — perierunt. Nullis castris manere Drakenborchius videtur sic accipere, ut sit, castris non positis nec munitis pernoctare; nam Romanos neque in sua castra redire potuisse neque in hostium manere, quia hi tantum "variis locis" saltum Manlianum insederint. Hoc quidem (in quo varia illa loca Livii narrationi ipse addit) quale sit, non intellego; sed quid erat, cur non Romani, hostibus victis, nova ipsi castra facerent? Sine castris quidem aperto campo exercitus Romanus victor vix umquam noctem egit, neque eius rei mentio hoc loco inter hostium cæsorum captorumque et Romanorum interfectorum numerum interponi recte poterat. Ipsum autem illud nullis in altera demum editione Frobeniana natum est; Moguntini ediderant in illis, quod pronomen omnino, quo referatur, non habet. Apparet Livium, hostium cæsorum captorumque numero posito cum equis et signis militaribus addidisse, Romanos illo die hostium castris mansisse, hoc est, ea cepisse et sic sua castra muniendi labore levatos esse; prorsus enim eundem locum in narrationis ordine hæc verba obtinent, quem, ut hoc exemplo utar, hæc in libro XXXIX, 21, 9: ad XII millia hominum cæsa, plus duo capta et castris Romanus potitur. Itaque latet aliquid, quo hostium castra significentur. Mihi quidem probabile videtur, Livium scripsisse: — equis prope mille. **Celtibericis** castris eo die victor exercitus mansit. Adiectivo hoc (Celtibericus) Livius usus est XXII, 22, 4, XLII, 3, 1. Sed alius subest præterea error. Certissimum enim est, Livium non hoc ordine verba collo- (472) casse: ducentis septuaginta septem cum signis militaribus, præpositione numero eique trimembri subiecta, substantivo, in quo ex contrarie relatis pondus est (vivi capti — signis militaribus — equis), in extremum locum reiecto, quum præsertim ex hac collocatione, si notæ

ponerentur, summa oreretur ambiguitas in numeris coniungendis (IVCCLXXVII; cfr. quæ ad XXXIV, 52, 5 dixi). Itaque mendum manifestum est, correctio eo incertior, quod, quid in M fuerit, dubium fit propter hanc editionis Moguntinæ scripturam: tria millia mille ducenti septuaginta septem. Vereor, ne transponendo peccatum sit (quod genus erroris non ita raro in ed. Mog. versatum esse videtur, ut c. 50, 3: manentes proelio spolia intra vallum et c. 51, 8: publicaque sacra ut paterent essentque populo, coll., quæ de cap. 41, 11 dicam), Liviusque scripserit: vivi capti plus IV millia ducenti cum signis militaribus LXXVII. Cap. 32, 6 cum MMMMCC hominibus capiuntur signa LXXXVIII; c. 33, 7 cum hominum plus V millibus signa LXII; cfr. etiam XXXII, 6, 7.[1])

Cap. 41, 7 sqq.: Priusquam hi consules (A. Postumius Albinus et Q. Fulvius Flaccus, a. 180 a. Chr.) venirent ad exercitum, qui Pisas indictus erat, præerant A. Postumius et frater Q. Fulvii M. Fulvius Nobi-
(473) lior. Secundæ legionis Fulvius tribunus militum erat. Is mensibus suis dimisit legionem, iure iurando adactis centurionibus, æs in ærarium ad quæstores esse delaturos. Hoc ubi Placentiam (nam eo forte erat profectus) Aulo nuntiatum est,

[1]) Eiusdem capitis § 3 recipienda erat Fabri emendatio: ut, quacunque parte pertulere impetus suos, sustineri nequeant. Præterquam quod perculere carere accusativo nequit, ridiculum est dicere, Celtiberos sustineri non posse, quacunque parte iam hostem perculerint. Errorem ortum esse apparet ex s simplici pro duplici bis scripto. Deinde § 4, quod Weissenbornius dubitare se dicit, an scribendum sit: Ecquid auxilii in vobis est? an actum iam de hoc exercitu erit? (vulgo: — est? actum), idem ante plus viginti annos ipse conieceram; sed futurum (erit) aptius videtur coniecturæ Gronovii (Ni quid — est, actum — erit). [Ibidem scribendum esse: —, quin ederet, quid fieri vellet, ubi editur velit, perspicuum est. 1865.]

cet. Sic hæc narratio incipit, quasi A. Postumius et M. Fulvius communi et pari imperio exercitui præfuerint, donec consules venirent; deinde autem M. Fulvius non pro hoc imperio agit, sed ut unus ex secundæ legionis tribunis, exspectato tempore et occasione, quum suis mensibus hanc unam legionem regeret (— nam per vices tribuni binos menses legioni præerant —), legionem dimisisse dicitur idque eius factum A. Postumius pro imperio reprehendit; Fulvius in Hispaniam ultra Carthaginem Novam relegatus est, tamquam qui plus sibi iuris arrogasset, quam haberet. Perspicuum est igitur, unum A. Postumium exercitui præfuisse, Fulvium nullam ultra tribunatum militum potestatem habuisse [idemque perspicue confirmat Valer. Max. II, 7, 5]. Iam in editione Moguntina in initio loci abest ipsum illud et (ante frater), quo Postumii et M. Fulvii nomina tamquam parium copulantur; deinde autem (quod a Drakenborchio neglectum adnotavit Kreyssigius ad Livii libr. XXXIII p. CXXI) scribitur: is erat mensibus (non: erat; is mensibus) Hinc nascitur hæc correctio: — **præerat** A. Postumius. Frater Q. Fulvii M. Fulvius Nobilior (secundæ legionis tribunus militum is erat) mensibus suis dimisit legionem cet. Omisi nomen Fulvius errore aut interpolando post legionis repetitum. Si in codice fuit, quod Frobenius edidit: eratis, scribi debet: Frater Q. Fulvii M. Fulvius Nob. secundæ legionis tribunus militum erat; is mensibus suis cet., idque præstat; satis enim abrupte ipsius M. Fulvii facti narratio incipit, nondum indicato, quid ei in exercitu loci fuerit. De ipsa re et de Fulvio a Postumio seiungendo (præerat) nulla dubitatio est. Paulo post (§ 11) editur: causa ignominiæ — decretum, et eodem modo c. 44, 10 scribitur: ne maior (pecunia) causa ludorum consumeretur. Apparet, hunc ipsum concursum in hac parte operis (474)
ex uno codice, qui iam non exstat, edita, quum nullum in reliquo Livii opere exemplum sit insoliti illius ordinis (causa

rei), suspectissimum esse vel potius erroris manifestum ex scriptura, ut videtur, male intellecta orti. [Nam quod erat exemplum in XXVI, 32, 6, Weissenbornius, viam monstrante codice P, sustulit; XXXIX, 14, 8 novem Drak. codd. habent sacrorum causa.] Is error etiam tertium locum attigit. Nam quod c. 52, 1 editur: — M. Æmilius petiit ab senatu, ut sibi dedicationis templorum reginæ Iunonis et Dianæ, quæ bello Ligustino ante annis octo vovisset, pecunia ad ludos decerneretur, plane certum est, mendosum esse; neque enim in hac oratione: dedicationis templorum — pecunia ad ludos decernitur genetivus aut a pecuniæ aut a ludorum nomine pendere ullo modo potest neque per se (dedicationis templorum pecunia, dedicationis templorum ludi) neque per verborum ordinem. Sed non solum hoc certum est, sed illud non minus, Livium scripsisse ad hanc formam: ut sibi dedicationis causa templorum reginæ Iunonis et Dianæ — pecunia ad lud. dec.[1]) Eadem ergo obscuritas ambiguitasque effecit, ut hoc loco omitteretur vocabulum necessarium et ut duobus superioribus non recte poneretur. Simili prorsus suspicione animum pungit illud in hoc ipso, de quo proxime dixi, loco (c. 52): ante annis octo. Nam huius formæ (pro qua aut ante annos octo, interdum etiam octo ante annos, dicitur aut, si adverbio uti malumus, octo annis ante aut octo ante annis) apud Livium extra hanc extremam libri quadragesimi partem unum exemplum exstat (XXXII, 5, 10: post paucis diebus; nam post aliquanto aliam habet rationem)[2]), in hac brevi libri parte tria sunt, hoc, quod

---

[1]) [De causa inter duos genetivos interposito cfr. XXVIII, 21, 1, XXXI, 50, 4, XXXV, 51, 7, XLI, 28, 11, XLII, 37, 6. Quæ W. adnotavit, omnino non intellego. 1865.]

[2]) Olim adiungebatur XXXVIII, 52, 7, in quem locum Aldus eum errorem intulit, quum recte in M scriberetur.

posui, et c. 47, 4 et 57, 2 (post paucis diebus). Dixi sæpe, in talibus rebus etiam testimoniorum sedem et auctoritatem considerandam et probabilitatis lege ponderandam esse.

Cap. 42, 1: Eodem anno L. Duronius, qui præ- (475) tor anno superiore ex Illyrico cum decem navibus Brundisium redierat, inde, in portu relictis navibus, quum venisset Romam, — haud dubie in — Gentium latrocinii omnis maritimi causam avertit. Mire Duronius prætor superiore anno redisse dicitur, quasi reditus præturæ summa fuerit; nam superiore anno Apuliæ præpositus etiam latrocinia inspicere et prohibere iussus erat (c. 18, 4); inde sine dubio hoc anno (non superiore) rediit, exacto magistratu. Neque intellegitur, cur, si iam superiore anno Brundisium redierat, hoc demum Romam contenderit. Arguit mendum præter sententiam etiam codex, in quo Gelenius tradit non redierat, sed redisset scriptum fuisse, idque Weissenbornius recepit, coniunctivi rationem nullam reddidit; nam causalis significatio ineptissima est. Excidit aliquid, fortasse non plus unum verbum: Eodem anno L. Duronius, qui prætor anno superiore **fuerat,** ex Illyrico cum X navibus Brundisium **rediit**; inde, in portu relictis navibus, quum venisset Romam cet. Redisset scriptum videtur male intellecto cum, quod ante X legitur. [Fort. rediit, et inde cet. 1865.]

Cap. 42, 7, ubi editur: Q. Fulvius — triumvir cooptatus tum prætextatus erat, scribendum videtur: — triumvir cooptatus; is tum præt. erat. § 11 M habet: P. Cloelium Siculum inaugurarunt, qui secundo loco inauguratus erat, manifesto vitiose W. e coniectura scripsit: nominatus erat. Tollendum additamentum est scribendumque: qui secundo loco erat, hoc est, secundum locum nominationis tenebat. § 12 codex: Pontifex — a collegio cooptatus Q. Fulvius Flaccus in pontificem maximum Æmilius Lepidus cet., non vitiose

tantum, sed cum lacuna, quoniam pontifex maximus non cooptatur. Itaque sic scribendum videtur: — Flaccus, **creatus** inde pontifex max. Inde iam W. (1865.)

Cap. 43, 6: Tulit in triumpho (Q. Fulvius Flaccus ex Hispania) coronas aureas centum viginti quattuor, præterea auri pondo triginta unum, et signati Oscensis nummum centum septuaginta tria millia ducentos. Nimis leviter Drakenborchius tractavit Glareani dubitationes ex iustissimis causis ortas, quas ceteri taciti præterierant. Nam Oscense argentum commemorari apud antiquos, non aurum, convenit (XXXIV, 10, 4 et 46, 2), nec umquam illa ætate nummos aureos, qui Romæ quoque rari tum cudebantur, ex Hispania adlatos narrari in triumphorum descriptionibus; itaque etiam hic argenti audiri Drakenborchius vult. Sed qui id audiri potest? aut quis umquam Oscense absolute dixit, præsertim præcedente auri nomine? Deinde desideratur omnino argenti non signati mentio, quod
(476) cum auro commemoratum fuisse oportet; atque ipsum illud signati refertur necessario ad præcedentem argenti non signati numerum. Res perspicua est et per se et ex M. Catonis triumphi Hispaniensis descriptione libr. XXXIV, 46, 2 (argenti infecti —, bigati —, Oscensis —, auri; signati argenti alterum genus, bigatum, cum Oscensi coniungitur etiam XXXIV, 10, 4). Itaque hic, de quo agimus, locus a Livio ad hanc formam scriptus erat: præterea auri pondo triginta unum, **argenti infecti**** et signati Oscensis cet. Lacunæ in hac extrema parte et ab aliis aliquot notatæ sunt (c. 46, 6 et 53, 3 et 56, 10) et mihi una et altera præterea notanda erit.

Cap. 45, 5: Ob ea (prodigia) decemviri iussi adire libros edidere, quibus diis et quot hostiis sacrificaretur, et ob fulminibus complura loca deformata ad ædem Iovis ut supplicatio diem unum esset. Supplicatio illa, ut ex permultis Livii locis intellegi potest, non ad loca fulmine tacta (præsertim aliorum deorum

ædes) magis quam ad reliqua prodigia pertinebat. Sed tota hæc sententiæ species interpolando effecta est apud Frobenium (a. 1531, non a Gelenio); in editione Moguntina scribitur: sacrificaretur et fulminibus complura loca deformaret ædem Iovis. Weissenbornius, sublato ob, ed retento deformata, sic edidit: sacrificaretur, et ulminibus complura loca deformata **, excidisse nonnulla suspicans. Quanto et simplicius et rectius erat verba temere a librario e § 3 (fulminibusque complura loca deformavit, ædem Iovis Tarracinæ, ædem cet.) repetita tollere scribereque: et ut supplicatio diem unum esset. Permultis locis sic prodigiorum causa supplicatio habita dicitur, nullius certi dei nomine posito, velut XLII, 20, 6 (et supplicatio unum diem feriæque habitæ). Initio capitis, ubi ineptum est adverbium tum, fortasse scribendum est: arbores (hiems sæva) — deussit cunctas; (477)
etiam aliquanto quam alias longior fuit. Id accessit ad sævitiam.[1])

Cap. 46, 6 aperta lacuna in hanc formam (non utique his verbis) explenda est: quæ dicerentur, nisi præstaret ea commemorare, quæ mitigare vos possint; nisi forte implacabiles furores (?) implicaverunt animos vestros. § 14, ubi offendit nonnihil repetitum questus — queri, videndum est ne sic scribi debeat: inde Æmilius quum alia, tum bis — se certo consulatu

---

[1]) Proximo capite (46, 15) in his verbis (de censoribus Æmilio et Fulvio in gratiam reductis): Omnibus instantibus, qui aderant, dexteras fidemque dedere, mittere vere ac finire odium, neque omissio pronominis (fidem do facere) placet neque mittere odium neque adverbium vere; nulla enim erat causa de simulata odii remissione cogitandi. Correctio incerta est, nisi quod remittere se scripsisse Livium perquam probabile est. (Remittere se iras, finire odium?) [Wesenbergius: remittere se ac finire odium.]

deiectum, Fulvius contra queri, se cet., omisso questus. (1865.)

Cap. 47, 1: Eodem anno (179 a. Chr.) in Hispania L. Postumius et Ti. Sempronius propprætores comparaverunt ita inter se, ut in Vaccæos per Lusitaniam iret Albinus, in Celtiberiam inde reverteretur; Gracchus, si maius ibi bellum esset, in ultima Celtiberiæ penetraret. Mundam urbem primum vi cepit, cet. Duo in his statim offendunt, alterum, quod Graccho, si maius ibi (in altera Albini parte?) bellum non esset, nihil omnino relictum significatur, quod ageret, alterum, quod incertum est, ad utrum pertineant, quæ deinceps narrantur: Mundam urbem cet., videntur tamen prorsus ad Albinum pertinere, cui ita primæ agendi partes dantur, ut Gracchus tantum, si maius in illius parte bellum sit, subveniat. Atqui de Graccho illa narrari, mox (§ 4 et deinceps) apparet. Accedit vestigium mendi manifestum in prima editione, in qua sic scribitur: in Celtiberiam inde reverteretur, si Gracchus maius sibi bellum esset.
(478) Totus locus mancus est. Livius quum dixisset, quæ Albini, quæ Gracchi partes essent, deinde ad res a Graccho gestas transisset (ad Albinum brevissime et cum repugnantia narrationis rediturus c. 50, 6), servata sunt tantum, quæ ad Albinum pertinent et eorum, quæ ad Gracchum pertinebant, initium corruptum. Itaque inter penetraret et Mundam lacunæ nota poni debet.

Cap. 49, 7 in loco desperato, quod non libenter nec sæpe facio, suspicionem ponam nec codicum vestigiis satis firmis nixam (quoniam unius codicis ductus ne recte interpretatum quidem esse primum editorem constat) nec certo sententiarum contextu monstratam. Nam Thurri reguli, Graccho et Romanis se dedentis et iungentis, verba sic non prorsus improbabiliter corrigi posse videntur: Sequar, inquit, vos adversus veteres socios meos, quoniam illos ac me populum Romanum (P. Ri opes?) di vo-

lunt suspicere. Paulo ante (§ 6) scribendum videtur, proxime ad Gronovii emendationem: quæsivit ab eo, **libero** ne sibi liceret ac suis vivere. Quod Weissenbornius posuit, sub eone, verum esse nequit; neque enim id Thurrus agebat, ut sub Graccho potissimum viveret, qui proximo anno ex Hispania discessurus erat.

Cap. 50, 3: multos utrimque (Romanorum Hispanorumque) cecidisse (quidam auctores sunt) nec aliud magnopere berbice crederes fuisse Romanos, nisi qui postero die accesserint manentes proelio spolia intra vallum per totum diem legisset. Sic editio Moguntina. Scribendum videtur: nec aliud magno opere, (479) **cur vicisse** crederes, fecisse Romanos, nisi quod postero die lacessierint proelio manentes intra vallum; spolia per totum diem legisse. Magnam partem correctionis Gronovius præcepit, nisi quod postrema hæc (spolia — legissé), quæ cum fecisse copulantur, violenter cum lacessierint coniungere conatus est; in monstro illo berbice et propius ad vestigia codicis (qualia quidem in editione expressa sunt) accessisse videor et rectiorem sententiam effecisse quam Gronovius (ne victos crederes). Non modo non victi esse, sed vicisse Romani videri volebant.

Cap. 51, 2: Opera (censores M. Æmilius et M. Fulvius) ex pecunia attributa divisaque inter se hæc confecerunt. Conficiendi verbum singularem habere significationem et ab hoc loco alienam videtur, ubi requiritur communis huius rei appellatio: opera — hæc fecerunt (XLIV, 16, 9: ad opera publica facienda); ex geminata littera c ortum con credo (hæccferunt). Paulo post (§ 4), ubi Livius a M. Fulvio locata narrat portum et pilas pontis in Tiberim, quibus pilis fornices — P. Scipio Africanus et L. Mummius censores locaverunt imponendos, non dubito, quin scripserit: pilas pontis in Tiberi, quibus cet. aut: pilas pontis in Tiberi,

in quibus cet. Nam pontem in Tiberim facere, locare neque usu defenditur neque ratione. [§ 6 Ussingio iure suspectæ sunt voces et forum tamquam e superiore versu errore repetitæ; nam et forum sic nude positum et forum extra portam offensionem habet. § 8, ubi in ed. Mog. scribitur: Complura sacella publicaque sua occupata a privatis, a Livio scriptum esse videtur: Compl. sacella publicaque loca; sacella sacra esse, loca publica populo patere censores iusserunt. 1865.]

Cap. 53, 3: Celeriter et ex provincia litteræ Romam venerunt. Recte Weissenbornius alteram partem sententiæ, cuius indicium facit particula et, excidisse putat, qua suppleta apta erit celeritatis mentio, sive in hanc sententiam Livius scripsit: Celeriter et ea gesta erant et ex provincia litteræ R. v., sive potius in hanc: Celeriter et Roma consul ad hostes et ex provincia litteræ R. v. Sed non minus manifesta lacuna paulo ante (§ 2) omnes fefellit. Sic enim scribitur: neque tantum acie vicit (Q. Fulvius consul Ligures), sed castra quo-
(480) que eodem die cepit. Tria millia ducenti hostium omnisque ea regio Ligurum in deditionem venit. Consul deditos in campestres agros deduxit præsidiaque montibus imposuit. Nimis exiguus est numesus deditorum pro tota regione, quæ bellum Romanis fecerat, vix eum æquans, quem captorum in proeliis hostium Livius in his bellis edere solet; nec, ubi totæ regiones se Romanis dedunt, numerus incolarum iniri edique solet; omnino enim incolarum numeri urbium regionumque perraro computantur apud veteres. Scripserat Livius in hanc formam: Tria millia ducenti hostium cæsi sunt, * capti, omnisque ea regio Ligurum cet.

Cap. 55, 8 (de Philippo rege): et infelicitatem suam in liberis graviorem, quod alter perisset, censebat. Ridiculum est, tamquam singulare poni, graviorem etiam esse infelicitatem, quod alter ex liberis perierit, quasi non

soleat infelix esse parenti liberorum interitus. Itaque corrigunt satis fortiter: quod alter superesset; id enim novum et singulare erat, quod tædium infelix pater ex eo ipso capiebat, quod alterum tamen filium superstitem haberet, alterius amissi mortis auctorem. Sed ne sic quidem comparativus aptus est nec, omissa filii amissi mentione, satis exprimitur infelicitas in liberis. Omnia recta erunt mendique causa aperta, si sic suppleverimus: et infelicitatem suam in liberis graviorem, quod alter superesset, quam quod alter perisset, censebat. Iam apparet acumen in utriusque casus comparatione; aberravit oculus in verbis quod alter bis positis. [Paulo supra (§ 3) in hac orationis et temporum continuatione: intellexisse videor, magno te æstimaturum, si scire — possis —, uter — esset, perspicuum est scribi debere posses. 1865.] Illud leve est, adnotandum tamen, ter in hoc capite scribam nomine inter Græcos inaudito appellari Xychum; puto Eutychum [aut Hesychum] vero nomine appellatum esse (ut ex forte Eutychus factum sit forte Xychus [, idque quum semel scriptum esset, bis deinde a librario repetitum, quemadmodum XXVIII, 7 in P quum § 9 pro Thronium positum esset Toronen, bis postea (§ 11 et 13) idem nomen substitutum est]).[1])

Cap. 57, 2: Peropportuna mors Philippi fuit ad dilationem et ad vires bello contrahendas. Nihil commemoratur, quod ad bello vires contrahendas pertineat, nec, utri parti ea commoditas evenerit, significatur. Cum dilatione belli recte coniunguntur vires ei subtractæ, et hoc efficit Philippi mors, eoque pertinent, quæ sequuntur de Bastarnis a Macedonum partibus seiunctis. Itaque Livius

---

[1]) Cap. 56, 10 recte fecit, quisquis primus pro admoneri scripsit admoveri. Non id agitur, potueritne admoneri Antigonus, sed potueritne, quamquam Philippus nondum perfectis consiliis morte oppressus est, arcessi et rebus regnoque admoveri.

scripserat *bello subtrahendas*. (W. in ed. 1875 rem non intellexit.) Paulo post (§ 3) in ed. Mog. *Bastarna ea res* ortum videtur ex vera nominativi forma *Bastarnes*; sub eo, quod sequitur, *sæpe Iunius*, pro quo editur *sæpe invitus*, latet fortasse *prope invitus*. Nam sæpe invitum missum esse Antigonum, prorsus incredibile est. (1865.)

(481) Cap. 58, 1. Huius capitis initium et in editione Moguntina valde mendosum perturbatumque est et postea interpolando factum est vitiosius. Superiore capite Livius narravit, Bastarnas, excitos suis sedibus a Philippo, Istrum traiecisse; tum Antigonum et Cottonem, qui eos arcessivissent, prægressos esse iisque nuntios occurrisse, mortuum esse Philippum; ita omnem ordinem consilii de usu Bastarnarum turbatum esse. Expositis deinde Philippi consiliis (*Hæc Philippi consilia fuerant*, c. 57 extr.), sic narratio continuatur, quemadmodum quidem Moguntini edidederunt: *Digressi sunt pacato agro deinde Cottonis et Antigoni et haud multo post famam mortis Philippi neque Thraces commercio faciles erant, Bastarnæ euito contentio esse poterant aut in agmine contineri, ne decederent via*. Hinc in editione Frobeniana priore factum, quod postea servatum est: *Ingressi sunt pacato agmine, fide Cottonis et Antigoni; sed haud multo post famam mortis Philippi neque Thraces commercio faciles erant neque Bastarnæ empto contenti esse poterant aut* cet.[1]) Recte additum *neque* ante *Bastarnæ*, recte etiam *empto contenti* positum; cetera prava. Ingrediuntur fide alicuius, qui fide ab eo data freti sunt; Bastarnas Cotto Antigonusque ipsi adducebant neque iis caverant fidemve obligaverant (nisi
(482) Philippi nomine de stipendio); Thracibus fides data erat a

[1]) Tenendum est, in altera demum Frobenii editione (1535) Gelenii, qui codicem Moguntinum inspexit, aliquas fuisse partes; in priore (1531) quidquid mutatum est, totum coniecturæ debetur.

Philippo, sine iniuria transituros esse Bastarnas (c. 57, 4). Itaque prava fidei mentio est; nec minus pravum, quod alii quoque senserunt, illud: haud multo post famam. Scripserat Livius: **Digressu** deinde Cottonis et Antigoni (c. 57, 3) haud multo post **fama** mortis Philippi neque Thraces cet. Duas causas Livius indicat turbatæ rei; ex digressu factum digressi sunt; ex fama factum famam, quod post pro præpositione acceptum est. Unde illa pacato agro huc immigrarint, nescio; insiticia esse, certum est, nisi quædam interciderunt ante digressu huiusmodi: **Primum ingressi sunt pacato agmine.** Digressu deinde Cottonis cet. Sed ne proxima quidem mendo carere videntur; neque enim recte Bastarnæ empto contenti esse non potuisse dicuntur (quæ enim vis obstabat?), longeque aliam significationem hic non poterant habet, aliam in proximo membro (in agmine contineri). Requiritur sententia huiusmodi: neque Bastarnæ, ut empto contenti essent, cogi poterant aut in agmine contineri (vel: neque Bast. empto contenti erant aut in agm. cont. poterant); sed ea effici nisi violenter nequit.[1]) Sequuntur de exitu motus Bastarnarum hæc (§ 7 et 8): Inde orta dissensio, aliis redeundum, aliis penetrandum in Dardaniam censentibus. Triginta ferme millia hominum (Clondico duce profecti erant) pervenerunt; cetera multitudo retro, qua venerant, Apolloniam meridianam regionem repetiit. Vix sic nude pervenerunt dici potest, ut sit: ad locum destinatum pervenerunt [nam apud Horat. Ep. I, 17, 38 facile auditur Corinthum]; nec alteri illi, qui redierunt, minus pervenerunt. Ne parenthesi qui-

---

[1]) Proxime ad verum accedere videtur hæc scriptura: neque Thraces commercio faciles erant neque Bastarnæ empto contenti; nec poterant in agmine contineri, ne cet. Particula aut ex extremis litteris verbi poterant orta videtur. (1865.)

dem inclusa quo pertineant, intellegitur; plusquamperfectum enim superiorem domo profectionem significare videtur, cuius hoc loco commemorandæ nulla minima causa est; nec domo omitti poterat; nunc eos post deliberationem Clondico duce in Dardaniam profectos esse, non poterat isto modo dici. Scripserat Livius: Triginta millia hominum, Clondico
(483) duce, **quo** profecti erant, pervenerunt, hoc est, in Dardaniam, quam ab initio petierant itinerisque finem proposuerant. Deinde pro Appolloniam meridianam in edit. Frob. I sine ulla probabilitate substitutum est: Transdanubianam regionem, posteaque servatum, nisi quod Weissenbornius Apolloniam mediterraneam regionem scripsit, quid sub Apolloniam lateret, ignorare se fassus oblitusque, Dardaniam non minus mediterraneam fuisse, nec omnino ullos Bastarnarum ad mare progressos fuisse. Scribendum erat, excluso inepto supplemento; **aquiloniam** regionem repetiit. Ab aquilone enim in Macedoniam et Thraciam descenderant.

Cap. 59, 8 (in prodigiorum commemoratione) etsi is, qui Iulius Obsequens dicitur, et lana, quod in editione Moguntina est, in suo codice habuit et eandem orationis interpunctionem secutus est, dubitari tamen nequit, quin scribi debeat: lanxque cum integumentis, quæ Iovi apposita fuit, decidit de mensa. Oleas quoque prægustasse mures, in prodigium versum est (vulgo: decidit. De mensa oleas quoque cet.). Lanx pro lana, quæ neque integumenta habet nec in mensa apponitur, Cuperi inventum est; rectam orationis distinctionem, si non res ipsa, saltem particula quoque monstrare debebat. Coniungatur hoc mendum Obsequentis ætatem assequens cum illo, quod in fine libri XXXVI (45, 9) fastis Cassiodori æquale aut antiquius deprehensum est.

EMENDATIONUM LIVIANARUM

PARS QUARTA

LIVII LIBRORUM QUINQUE A QUADRAGESIMO PRIMO AD QUADRAGESIMUM QUINTUM EMENDATIONES CONTINENS.

PROOEMIUM.

Postremorum quinque, qui exstant, Livii librorum omnes norunt nullum post renatas litteras comparuisse codicem præter eum, ex quo eos primus Simon Grynæus a. 1531 Basileæ apud Frobenium edidit, qui codex, quum a. 1527 (ut constat ex epistola Grynæi ad Ph. Melanchthonem, ab M. Hauptio in ind. schol. Berolin. $185^{6}/_{7}$ edita) in coenobio Laurishamensi non longe a Rheno e regione Borbetomagi inventus esset, postea variis casibus in Noricum (Tyroliam) in arcem Ambrasensem, deinde Vindobonam delatus est ibique nunc in bibliotheca Cæsarea servatur, amisso tamen uno quaternione præter eos, qui iam Grynæi ætate interciderant. Nam quum integer codex, ut Grynæus diligenter exposuit in compellatione lectoris in edit. Frobeniana post indicem posita (unde repetierunt Drakenborchius vol. VII p. 225 et Kreyssigius in Annotatt. p. 9), triginta quattuor quaterniones octonorum foliorum habuisset, iam tum deerant quaternio I, IV præter unum folium (quo continetur fragmentum libri XLI a v. *deduxit* extremo c. 18 incipiens), V item præter unum folium (XLI. 20), XV, XVI, XVII, XVIII (inter XLIII c. 3 et 4), quaternionis XXV folia duo media (quæ lacuna (485)
incidit XLIV inter c. 32 et 33) et duo extrema (ibd. c. 30

et 34), quaternionis XXVI folia quattuor media (XLIV, 35), quat. XXVII duo media (XLIV, 40), quat. XXVIII extremum (XLIV, 46), quat. XXX duo extrema (XLV, 14, et 21), quat. XXXIV primum (XLV, 39); nunc deest etiam quaternio alter, e quo Grynæus ediderat libri XLI capita novem (quæ a primo numerantur) usque ad hæc verba capitis noni extremi (§ 10): [edic]tum cons. sc. adiectum est, a quibus nunc codex incipit. Itaque in illis novem capitibus scriptura una Grynæi fide nititur[1]). Atque Grynæus quum sic hos libros edidisset, ut Livii orationem describendo depravatam plurimis locis coniectura mutaret (in quo negotio præter minorum et facilium mendorum prope infinitorum correctionem etiam graviora et obscuriora plurima egregio acumine et sagacitate sustulit, in aliis aberravit vitiaque interpolando auxit) nec tamen, quod illius ætatis mos minus postulabat, quid in codice repertum, quid a se profectum esset, indicaret, oportuerat pridem, postquam diligentius hæc et minutius tractari coepta sunt, codicem cum editis collatum eiusque scripturam diligenter adnotatam esse, ut certum efficeretur præsidium et veteris emendationis iudicandæ et novæ tentandæ. Ei rei quum usque ad nostra prope tempora partim hominum incuria obstitisset, partim eorum pravitas aut invidia, qui huiusmodi thesauros litterarum utilitati deberi ignorabant iisque committendos, qui recte iis uti et vellent et possent, primus Io. Theoph. Kreyssigius, partim quum editionem Livii Ernestianam quartum (Lips. 1823—1827) repetendam curaret, partim quum minorem Livii editionem (a Tauchnitzio a. 1828 impressam) adornaret, usus est scipturis codicis a Kopitario facta collatione enotatis permultaque earum ope, adhibita etiam ad codicis vestigia sagaci coniec-
(486) tura egregie restituit; addidit quædam Imm. Bekkerus eadem

[1]) Extrema pars libri XLI iam ante interciderat, quam codex Vindobonensis scriptus est, in quo illo loco neque folia desunt et subscriptio solita ponitur.

collatione usus. Sed Kreyssigius in neutra editione ipsas codicis scripturas indicavit, Bekkerus raro et inæqualiter, quid in codice esset, adnotavit nec sine erroribus. Nam Kopitarius perneglegenter rem egerat et multo sæpius graviusque, quam par erat, aberraverat falsaque tradiderat. Deinde autem Kreyssigius, postquam nonnulla minoribus libellis sparserat, in Annotationibus ad T. Livii libros XLI—XLV Misenæ a. 1849 editis de omnibus locis, quos mutaverat, indicata codicis scriptura disseruit, multorumque etiam, quos intactos reliquerat, scripturam posuit, neque tamen, etiamsi error omnis ab iis, quæ posuit, abfuisset, ullo modo satisfecit iis, qui omnia rimari et exquirere vellent. Miror autem Kreyssigium, quum de haud paucis locis erroris suspicione orta Kopitarium, ut codicem iterum inspiceret, rogasset aliaque ibi scripta esse, atque prius Kopitarius tradiderat, ab ipso comperisset, non multo gravius de Kopitarianæ collationis fide dubitare coepisse.[1]) A Bekkero et Kreyssigio (487)
pendet Weissenbornius, qui interdum ex iis, quæ adnotarant,

---

[1]) Uno utar exemplorum genere. Etsi ultra communem neglegentiæ modum librarius voces omittendo peccavit, tamen non ita pauca, quæ Kopitarius aut in codice omitti diserte scripserat aut, ut omissa putarentur, ambigue scribendo effecerat, postea a Kreyssigio interrogatus in codice exstare indicavit. Sed sic quoque ex iis, quæ Kreyssigius p. 12 not. 5 a Grynæo, quum in codice deessent, suppleta dicit, hæc eximenda aut accuratius finienda sunt: Lib. XLII. 23, 7 non omittitur finem, sed contra paulo ante dedissent (inter quid et ipsum); c. 46, 3 non scribitur: missos Romam si, sed: missos Romanos si; c. 48, 7 non abest Italiæ, sed alio ordine scribitur: præter oram superuectus Italiæ; c. 65, 3 in codice adest capiuntur; neque lib. XLIII, 4, 6 omittitur lacerabant nec 5, 4 bellum (sed scribitur: ad aliud id bellum) nec XLIV, 1, 10 regnum nec 22, 6 auctor nec 27, 10 subsisterent nec 35, 23 aut mare aut transitum (Forchhammer adnotat in media voce mare versum terminari) nec 39, 8 quam ut (sed scribitur: quarum ut). XLV, 10, 10 non simpliciter omittitur oratio, sed, duabus vocibus (moderatior oratio) conflatis, scribitur moderatio; c. 11, 5 non omittitur

verum feliciter invenit. Ego quum in hac Liviani operis parte pleno et certo instrumento uti vellem, a. 1853 Ioannem Forchhammerum, iuvenem doctissimum et mihi ex discipulo amicissimum, [qui nunc scholam Herlovianam regit,] quum Italiam petens Vindobonæ aliquantisper consistere in animo haberet, rogavi, ut mea causa codicem Vindobonensem totum accurate conferret conferendumve curaret. Is ipse in libro XLI, XLIII, XLIV ab initio usque ad finem capitis 36 scripturæ ab editione Tauchnitziana a. 1848 discrepantiam ita enotavit, ut etiam mimima quæque summa cum cura ac diligentia persequeretur; reliqua (libr. XLII, XLIV a c. 35 ad finem, XLV) Forchhammero intercedente alius vir doctus ita cum contextu Drakenborchiano contulit, ut fides eius et diligentia non levibus indiciis mihi probetur (ex quibus unum est, quod, quæ Kopitarius bis inspexit et enotavit, ea omnia aut prope omnia mihi sic enotata sunt, quemadmodum scripta secundis curis Kopitarius repperit). Ex hac collatione quum casu intercidissent, quæ ad libri XLII capita 21 prima pertinebant, eam partem, benevole conciliante Hermanno Bonitzio, viro clarissimo, supplevit iuvenis philologiæ studiosus, Gu. Faustkam, usus in conferendo Weissenbornii editione. Hoc ego subsidio usus ita intenta cura hos libros pertractavi, quasi nunc primum ederentur, sepositis primum omnibus aliorum inventis et opinionibus, quæ non in Drakenborchii Kreyssigiique contextu essent; itaque et in longe plurima, quæ postea ab aliis occupata vidi, incidi et novarum emendationum messem feci, ut opinor, non contemnendam; eam hic explicabo; omnes codicis scrip-
(488) turas, ut alii examinare possint, propediem, ut spero, alibi edam, quoniam eam molis accessionem hic liber non recipit.

Codicis Vindobonensis quæ sit externa species, ex imagine illa unius paginæ, quam Endlicher in catalogo codicum

---

par, sed pro eo ponitur per; c. 23, 8 non omittitur aliquando, sed scribitur: et aliquando.

philolog. Latin. bibliothecæ Vindob. (a. 1836) æri incisam edidit, [aut ex ea, quam Mommsenius et Studemundius in Analectis Livianis tab. III et IV exprimendam curaverunt photolithographicam,] multo commodius intellegitur, quam verbis edisseritur.[1]) Quod sexto sæculo eum scriptum tradunt, eius rei indicium relinquo iis, qui in hoc genere ætatis codicum æstimandæ multiplici comparatione exercitatiores sunt; mihi, si sæculo recentiorem facerent, facilius persuaderent.[2]) Illud quidem constat, hunc quoque quantivis pretii codicem, cui uni tantam partem operis Liviani debeamus, tamen, si verum fatemur, a librario indocto satis incuriose scriptum esse magnoque mendorum non raro valde licenter aberrantium numero inquinatum, ut, præterquam quod unus est, laudis id fere relinquatur, quod ipsa vetustate et librari simplicitate continetur; nam neque sæpe describendo menda a prima erroris forma longius detorta sunt neque ulla ad ea occultanda accessit fallax et artificiosa interpolatio.[3]) Nam et in verbis scribendis, etiam notis et facilibus, frequenter et interdum mirifice erratur, sæpe propter obiectam et arreptam in continua scriptura ex litteris aliquot pravi et alieni verbi speciem, accedente alia etiam ad oculi errores animi hallucinatione, et terminationes vocum etiam eæ quæ nulla admodum similitudine opportunæ errori sunt, non ita raro obscurantur et licenter permutantur et verba singula plurave permultis locis omittuntur nec ita raro transponuntur et hæc varia errandi genera interdum cum magna (489) perturbatione conflantur. Itaque et frequens adhibenda correctio est et interdum paulo liberior nec singulas litteras,

[1]) Etiam Walchius in Emendationibus Livianis (Berol. a. 1815) triplex scripturæ codicis Vindobonensis specimen edidit.

[2]) sutberti episcopi de dorostat nomen ultimæ paginæ inscriptum si possessorem significat, infra sæculi septimi exitum deprimi codicis ætatem vetat. [Subscriptio illa aliter legenda esse videtur et ad alium hominem pertinere; vid. Mommsenius in Ann. Liv. p. 5.]

[3]) Quota mendorum pars iam in exemplo, quod librarius huius codicis secutus est, fuerit, iniri ratio nequit.

quas librarius semel falsa specie deceptus scripsit aut neglegenter perturbavit omisitve, nimis presse sequens. Atque universi habitus et eius depravationis, quæ in litteris permutandis aliisque scribendis posita est, plena quidem imago ad singula caute et libere æstimanda maioris partis continua consideratione efficienda est, [quod nunc facile fieri potest, edita et a me et ab Hertzio omni scripturæ discrepantia].[1]) Exempla aliquot graviorum et memorabilium varii generis errorum infra subiicio;[2]) alias mendorum formas

[1]) [Itaque omitto iam, quod hic ex lib. XLIV c. 1 posueram, continuum specimen.]

[2]) Vocabulorum, dum librarius in littera una alterave scribenda aut in litteris coniungendis aberrat, deinde obiectam aliquam speciem oscitans licenter sequitur, mire detortorum exempla hæc sunto: XLI, 23, 13 prouinciis pro provocantes, ibd. 28, 5 Crassus pars (Crassipes), XLII, 41. 12 bello quidem iusto sumpsere cuius (b. q. i. sum persecutus), ibd. 50, 8 militaria armatus, (malit, as armatus), XLV, 40, 2 coercebatur (coacervatum), ibid. 41, 8 præcarpei ludo optavit (precarer, illud optavi, ut); nam minora sunt adeo pro habeo (XLV, 39, 16), trans pro tres (ibd. 42, 11) scripta aut item pro iter (XLIV, 7, 6 et 11, 6) et similia. Lib. XLII, 57, 1 quum scribendum esset: unde bellum ordirentur, omissis errore litteris or, ex direntur effectum dirimerentur (in quo loco Weissenbornius deceptus est). Lib. XLIII, 14, 2 librarius inanem sententiæ speciem in quattuor verbis, reliqua oratione neglecta, sequens pro propter Macedonicum bellum cura scripsit propter Macedonici belli curam; c. 7, 2 mira perturbatione ad posterius vocabulum prævertens, sed prioris formam grammaticam tenens, ex his: interrogati non infitiarentur effecit: infitiati non interrogarentur. Casuum formis summa licentia permutatis (etsi eodem pertinet XLIII, 14, 2) XLI, 19, 3 pro haud magno conatu scriptum est haud magnus conatus et XLII, 29, 1 P. Licinius, C. Cassius pro P. Licinio, C. Cassio, ne gurgitibus facit pro gurgites facit XLIV, 8, 6 numerem. (XLIV, 9, 7 procurre pro procurrebant omittendi culpam habet; de singulari quodam errore passivæ formæ notam ur verbis activis adscribendi dicam ad XLV, 5, 12.) Longe plurima horum et similia tacite emendavit Grynæus nec ante nostra

subinde suis locis collectis exemplis notabo. In verbis singulis pluribusve omittendis quanta fuerit librarii neglegentia, non solum ubi eadem similiave vocabula parvo intervallo posita errorem obiecerunt, iam ex indice illo locorum a Grynæo verborum adiectione suppletorum intellegi potest, quem Kreyssigius Annot. p. 12 posuit, etsi is et plurimos illos locos, quos iam Bekkerus notaverat, omisit et permultos alios neque eas lacunas numeravit satis multas molestasque, quas aut Grynæus notavit tantum, supplere ausus non est (ut statim XLI c. 21, 9, c. 23, 3), aut ab eo non animadversas, saltem non notatas, posteriores notarunt[1]) (ut eiusdem libri (490)

---

tempora sciebatur, in codice aliter atque in editis esse. Cetera quoque communia errorum genera, velut terminationum ad proxima accommodationem, etiam in hoc codice reperiri, nihil opus est demonstrari. [„Singulare errandi genus positum est in anticipatione quadam, quum librarius oculo nimis properante litteras syllabasve aut verborum speciem ex iis, quæ sequuntur, intermiscet prioribus aut pro prioribus ponit, ut XLII, 54, 7, quum scribendum esset ne temptata quidem oppugnatione, scripsit ne pugnata quidem, obiecta verbi specie ex oppugnatione; eiusdem generis est XLII, 65, 10 circumfundabantur funda pro circumdabantur et XLIV. 33, 11 ex statiua statione pro ex matutina et 34, 1 contione adnuntiata pronuntiasset prd advocata. Alterum genus est simile et cognatum in præcipienda terminatione et forma vocabuli sequentis, ut XLII, 49, 8 scribitur cum his cogitationum omnium ordinum pro cogitationibus et 60, 6 in transitu fluminum hostium pro fluminis et 65, 9 hoc illo bellum novum pro bello. Non ita raro librarius obiectam animo ex litteris aliquot speciem verbi aut formæ licenter sequitur et explet (cfr. de codice Puteaneo p. 207), ut XLII, 21, 8 plebisscinitati iussitque (ex litteris ciuit), 41, 6 sumere accusaturus pro sum recusaturus (expleto, quod post sumere restabat, cusaturus), XLIII, 6, 10 committere possum pro comiter responsum; indidem orta hos noris pro honoris XLII, 24, 7 et accipiat his pro accipiatis c. 42, 7." Ex præf. 1864.]

[1]) Alius generis est, quod nonnullis locis maxime in libro XLI (ut c. 21, 22, 27, 28), per aliquot versus charta corrosa et corrupta

(491) c. 22, 7 Creverius, c. 24, 12 Sigonius). Ego ex duabus brevibus partibus libri quadragesimi secundi, c. 26 ad 29 et c. 53 ad 57 specimen continuum ponam. Nam cap. 25, 3 omittitur parari bellum, 13 aut abeuntibus (ob repetitum aut), c. 26, 9 prius dari quam no(vi),[1] c. 28, 1 senatus, ibd. 11 alterum decessisse (ob repetitum alterum), c. 53, 1 aliquid post tum vero (quæ lacuna hactenus notata non erat), ibd. 2 contione, 8 facturos et urbis nomen, c. 54, 4 aliquid accedente alio mendo in depulmoris (quod nondum notatum erat), ibd. 5 dederunt, c. 56, 9 agrum, ibd. 10 quædam ante prædam (quod hactenus animadversum non erat), c. 57, 6 hora.[2]) Quod iam in tribus ex his locis feci, ut primus defectum notarem, qui alios fefellisset, idem mihi in non paucis locis faciendum erit, ut statim in libro XLI c. 9, 11 bis, c. 17, 6, c. 18, 8, c. 24, 12 et 13. Transpositorum in codice verborum (quod genus erroris etiam in codice Puteaneo tertiæ decadis aliquoties accidisse ostendi ad XXII, 2, 6 p. 231) in uno libro XLIII (qui dimidius tantum superest) hæc exempla notavi: c. 3, 5 (Gulussa Massinissæ regulus filius), c. 4, 10 (corona sub), c. 5, 4 (hostiliter itinere), c. 10, 3 (nec ut), c. 11, 3 (quoque primo), c. 23, 3 (quem in campo Meleona); alia quædam notabo ad XLV, 3, 6 (et ad XLI, 12, 9, de que particula). Cap. 2 eiusdem libri (XLIII), 12 quum librarius unam vocem (consultum) pro duabus accepisset, mediæ interposuit eam,
492)) quæ præcedere debebat (consultamentum pro tamen

syllabæ partesque verborum legi non potuerunt. Aliquot locis spatium vacuum relinquitur, ubi nihil deest. [In his vacuis spatiis, quæ aut in mediis versibus aut in fine sunt, interdum maiuscula littera initio proximi versus posita, nullam esse minimam lacunæ suspicionem, intelleget, qui hæc in libro XLI et XLII comparaverit: XLI, 9, 12; 10, 4; 18, 6; XLII, 2, 5; 13, 1; 19, 6; 24, 4 et 10; 40, 11; ceteros libros omitto. 1864.]

[1]) § 6 et 8 non codex omittendo peccat, sed Gelenius addendo.

[2]) Ex his locis Bekkerus sex indicaverat, Kreyssigius duos addidit.

consultum), quemadmodum XLIV, 36, 13 pro hodie quiesse scripsit qui hodie esse. (Cfr., quæ dicam de XLI, 1, 8.) Cum hoc erroris genere coniunctæ sunt voces aut bis continuo scriptæ (ut eiusdem libri XLIII c. 11, 10 hæ: in trib. mil., contra illos in consulum) aut paulo post, oculo ad superiora redeunte, iterum interpositæ (ut c. 12, 9: cura præbebat in classem cura ille pro: curam præbebat. In classem mille, et c. 13, 5: quæ in colle est duo diversa prodigia quæ in colleėm). Interdum librarius voces iam scriptas iterum scripsit, ut errorem in iis commissum corrigeret, sed raro id ei ita successit, ut non aut partem erroris relinqueret aut novum adderet, velut in lib. XLII, 34, 15: adversus magistratum senatusque auctoritatem is quam feceritàis nunc quoque in potestate ac senatusque auctoritatem usque feceritis nunc quoque in potestate ac senatus consultum esse, aut in XLIV, 33, 6, ubi sic scripsit: alios nimis (pro minus) facere; clamores deinde dissonos ostalos minus facere clamores deinde dissonos sorori omnibus locis.[1]) Unum est erroris genus in codice Vindobonensi, etsi non prorsus eo caret, tamen satis rarum, additamenta dico in Livii orationem recepta. Manifestissimum quidem omnium huius generis exemplum est in libr. XLI, 18, 6 (Eodem paucis post diebus C. Valerius consul alter venit), ubi in codice post eodem additur tempore. Alia notata sunt aut notabuntur XLII, 17, 6, c. 27, 5 (qui), c. 28, 13, XLIV, 5, 12 et 39, 1, XLV, 26, 12 (vid. p. 70).

Recentioris manus correctiones in hoc codice nullæ sunt. (Ipse librarius litteras delendas puncto supra posito notavit.)

---

[1]) XLII, 58, 9 et 10 ex his: iaculatoresque quadringentorum, quum aberrasset in concursu harum litterarum equ, effecit: iaculatoresque equitum quæ equitum quadringentorum.

Adhibeamus igitur codici Vindobonensi, qualem iam Sim. (493) Grynæus plurimis locis adhibuit, emendationem prudentem et cautam, non timidam, sententiæ et orationis pondera examinantem et librarii consuetudinem considerantem, non singulas litteras nimis artificiose et contorte sectantem. Relinquentur sic quoque multa, quæ suspicionem habeant iustam, correctionem certam aut probabilem non recipiant.

[Quum anno 1863 ipse Vindobonæ codicem tractassem et collato toto libro XLI et libri XLII capitibus triginta primis inspectisque aliis quoque locis non paucis certius intellexissem, quam fidelem mihi operam alii navassent, a. 1864 cum Ussingio quinque hos libros, adhibita etiam Vahlenii collatione, quam interea Hertzius evulgaverat, totos ita recensui, quasi nunc primum e codice prodirent, constitutæque quanta fieri poterat diligentia Livii orationi integram codicis scripturam, a qua minimum discesseramus, subieci. In ea opera multis locis præter eos, quos antea tractaram aut quos interea alii, maxime Vahlenius, feliciter attigerant, adhibenda coniectura fuit correctioque aut in ipsa oratione ponenda aut in adnotatione. Sed earum coniecturarum pleræque ita sunt parvæ, interdum positæ tantum in verborum forma, quam Grynæus secutus erat, paulo propius ad codicis vestigia accommodanda, causæque ita apertæ, ut rationis explicationem non desiderent, ne eæ quidem, quæ propter vestigia incerta ad certam formam perpoliri non potuerunt. Quid est enim opus argumentari, cur XLII, 38, 2 ex *legati Acarnanis* potius fieri debuerit *Acarnanes* quam *Acarnanum* (Gryn.) et XLIII, 18, 9 ex *postquam — videntur* potius *vident* sublata syllaba *ur*, quæ a librario sæpe prave additur (vid. p. 595 not.), quam *viderunt* (Gryn.) et XLV, 9, 3 ex *regnabat* potius *regnarat* quam *regnavit*? Aut, ut suspicionis in adnotatione relictæ exemplum ponam, lib. XLI, 21, 2 cui semel admonito non apparet, et M. Atilio præter legionem socios habuisse et sociorum potius numerum certum indicatum esse a Livio quam legio-

nis, ex quo efficitur, Livium scripsisse videri: conscripserant, et socium Latini nominis V millibus? Aut qua defensione eget, quod XLV, 4, 3 (oppugnasset et) et 36, 1 (esset et) geminatis binis litteris prava asyndeta sustuli, ut fecerat Grynæus XLII, 21, 3? Aliarum coniecturarum rationes breviter in præfatione explicavi; eas huc, ut in superioribus libris, transtuli. Ex iis, quas olim feceram, perpaucæ tollendæ fuerunt, quod aut non necessariæ erant aut meliora postea ab aliis aut a me ipso inventa aut quod mendo perspicuo ad ipsam tamen veritatem perveniri non poterat; contra alias disputatum a quibusdam esse et alia tentata, non ignoro, sed de sententia non decedo. In Hartelii quidem suspicionibus quædam nimis ab usu Latino et Liviano discedunt.][1])

Lib. XLI.

Huius libri novem prima capita, ut dixi, ita Grynæi fide nituntur, ut, quid ille in codicis scriptura mutarit, nesciatur. Itaque in iis locis, in quibus suspicio oritur, neque, codicemne an Grynæum arguas, scias neque certis indiciis emendationem dirigas. Ita difficile est ipsum correctioni confidere, difficile aliis fidem facere; neque tamen omittenda sunt, quæ veris similia videntur, et saltem menda notanda.

Cap. 1, 6 (ubi describuntur stationes ab A. Manlio consule, Histriam ingresso, ab omnibus castrorum partibus circumdatæ): in Histriam versum (e Gron. coniect., ed. I in

---

[1]) [Quum hæc iam composita typothetam exspectarent, accepi ab ipso scriptore benevole missam M. Gitlbaueri disputationem „de codice Liviano vetustissimo Vindobonensi" (Vindob. 1876), in qua de codicis habitu fatisque diligentissime exponitur nonnullaque a me iisque, qui mihi operam præbuerunt, et a Vahlenio minus recte pleneve notata corriguntur et supplentur. Quæ de compendiis nescio quibus codicis, e quo Vindobonensis originem traxit, hoc est, de litteris quocunque loco sine ulla regula omissis, finxit, ea cum coniecturis inde ductis vehementer improbare cogor; nonnulla tamen extra hoc genus recta aut non inscita coniectura attigit.]

Histriamque suum) præsidium stativum repentina cohors Placentina opposita inter mare et castra et, ut idem aquatoribus ad fluvium esset præsidium, M. Æbutius trib. mil. secundæ legionis duos manipulos militum adiicere iussus est. Non idem hoc præsidium fuisse unius loci, sed duo diversa, et res ostendit additaque locorum mentio et apertissime Livius ipse dicit proximo capite (§ 3): duo simul præsidia, Placentinæ cohortis et manipulorum secundæ legionis, aggrediuntur (cfr. c. 7, 9 de eadem re); itaque verbum adiicere inusitate positum reprehendere omitto. Apparet enim, opinor, Livium sic fere scripsisse: et, ut **item** aquatoribus ad fluvium esset præsidium, M. Æbutius — duos manipulos militum **eo ducere** iussus est; de
(494) ducendi verbo nulla est dubitatio.[1]) Sequitur de Gallis, qui Romana castra sequebantur (§ 8): Catmelus pro regulo erat tribus haud amplius millibus armatorum. Mirum, cur pro rege dicatur fuisse, non rex; inauditum in hoc dicendi genere deminutivum vocabulum (esse pro regulo); mire etiam Catmelus certo numero pro rege fuisse dicitur. Livius scripserat: Catmelus **regulus præerat** tribus haud amplius m. a. Id corruptum est eodem modo, quo XLIV, 36, 13 scribitur: qui hodie esse pro: hodie quiesse (vid. p. 492). Librarius enim, quum primum, omisso regulus, primas litteras verbi præerat scripsisset, animadverso errore, regulus interposuit; ex hoc: præ regulus erat factum (fortasse a Grynæo): pro regulo erat. (XLIV, 41, 4 librarius ipse pro tantum sine scripsit sine tanto; transpositionem secuta mutatio est.) [Præerat iam Rupertio in mentem venit.]

Cap. 2, 8 (de fuga Romanorum e castris in Histria): Itaque primo, velut iussi id facere, pauci armati, maior pars inermes, ad mare decurrunt. Hæc sic

---

[1]) [Simili coniectura Weissenb. usus est.]

dicuntur, tamquam universi ad mare decurrerint; nam paucorum mentio tantummodo ad armatos et ad partitionem refertur. Atqui huic sententiæ et *primo* repugnat et quod sequitur: *dein plures, postremo prope omnes et ipse consul.* Itaque initium illud fugæ non a paucis armatis, sed omnino a paucis iisque maximam partem inermibus factum est, quorum deinde exemplum plures secuti sunt; neque sane nisi pauci simulare poterant se ad mare decurrere *iussos.* Perspicuum est, Livium scripsisse: *Itaque primo, velut iussi id facere, pauci, maior pars inermes, ad mare decurrunt, dein plures, postremo prope omnes.* Addidit *armati* sive librarius sive (quod pæne vereor) Grynæus, quum non attendisset, ad *pauci* referri id, quod sequitur, *plures*, maiorem partem intellegi ipsorum paucorum, atque, *paucos* et *maiorem partem* contraria ratus, desiderari putasset, quod *inermibus* contrarium esset. Paulo supra (§ 3) ridicule appellatur *turba inter castra* (495)
et mare mercantium, loci mentione inepte ad mercandi verbum adiuncta.[1]) Forum ipsum ad mare *in portu* fuisse Livius dixit c. 1, 5. Inter mare et castra turba erat ultro citroque *commeantium.* Id verbum Gronovio in prima notarum editione occurrerat debueratque teneri. Paulo post (§ 9) M. Licinium Stolonem non puto cum tribus signis *ab legione sua* (quæ c. 1, 7 via, quæ Aquileiam ferebat, educta narratur) relictum a Livio dictum esse, sed cum tribus signis **e** *legione sua.*

Cap. 3, 4 (de eadem fuga): *cetera deformis turba, velut lixarum calonumque, præda vere futura, si belli hostes meminissent.* Neque speciei et veritatis hic ulla est distinctio neque *vere* pro *haud dubie* dicitur. (Recte dicitur *præda verius quam præsidium* et similia.) Scribendum est: *præda* **fere** *futura.* Paucos Livius aut

---

[1]) [*Mercari* de emendo vendendoque dici, de quo dubitaveram, ostendunt Sall. Iug. 47 et Sen. de Brev. Vit. 2.]

pugnaturos aut evasuros fuisse significat.[1]) Paulo post (§ 6) suspicor Livium scripsisse: Tribuni milites tertiæ legionis pabulum lignaque proiicere iubent; centurionibus imperant cet. Vulgo scribitur: Tribuni militum tertiæ legionis, accusativo, qui præsertim contrarius sit centurionum nomini, dure omisso.

Cap. 4, 4: At Histrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerant (recte Modius fuerunt) fugæ. Non significantur homines ingenio et consuetudine minus vinosi et ebriosi, sed qui minus tum ebrii erant et minus se vino ingurgitaverant, hoc est: qui modice **vino usi** erant. Nam vinosum pro ebrio accipi neque forma vocabuli neque usus sinit. (1864.)

(496) Cap. 6, 4: Per eos dies Ti. Sempronius Gracchus et L. Postumius Albinus ex Hispania Romam quum revertissent, senatus iis a M. Titinio prætore datus (opinor: datus est)[2]) in æde Bellonæ ad disserendas res, quas gessissent, postulandosque honores meritos, ut dis immortalibus haberetur honos. Etiamsi addatur, quod Gronovius voluit, et (et ut dis), manifesto tamen vitiosa est hæc honorum, nescio cui, et honoris dis habendi coniunctio augeturque vitium addito meritos, quasi dis immerito habendus honos sit. Dicent, si qui defendere volent, meritos illos honores triumphum intellegi, quem sibi decerni imperatores postularint. Verum numquam in illa re honoris, nedum honorum,

---

[1]) Eadem correctio adhibenda apud Senecam ep. 120, 21, ubi editur: modo subsidit et contrahitur infra humilitatem vere iacentium.

[2]) [Auribus ad hæc animadvertenda exercitatis curtum visum iri arbitrabar datus in apodosi longæ multorum verborum protasi subiecta, eandemque correctionem adhibendam putabam XXXVI, 6, 4 et XLII, 15, 8. Consideranda tamen diligentius res examinatis locis, quos non paucos nec tamen omnes prorsus similes opponit Wesenbergius ad XXIX, 4, 8.]

postulatio, præsertim ab deorum honore separati, commemoratur; nec Livius sic scripturus erat, ut priore loco honores (meritos) hominibus postulatos, altero honorem dis habendum nominaret. Quæ sit Livii in honoris nomine de hoc genere rerum ponendo consuetudo, perspici poterit ex huius libri c. 17, 3, ex XXVI, 21, 3, XXVIII, 9, 7 (et dis immortalibus haberetur honos et ipsis triumphantibus urbem inire liceret), XXXIII, 22, 5 (non magis de triumpho eius quam de honore dis immortalibus habendo dubitari), XXXV, 8, 3 (questus est —, quod — non esset habitus dis immortalibus honos; postulavit deinde, ut supplicationem simul triumphumque decernerent), XXXVIII, 44, 10, ibd. 48, 16, XXXIX, 4, 2 et 6, ibd. 38, 5. Apparebit hos locos perlustranti, honoris habendi mentionem semper ad deos et ad supplicationem pertinere, ubi autem de triumpho agatur, eam poni, quod in triumpho etiam dis supplicaretur, altero loco ipsius triumphi petitionem adiungi. Itaque hoc loco (497)
necessario scribendum est: postulandumque, honos meritus ut dis immortalibus haberetur. Scriptura mendosa totane in codice fuerit an accesserit aliquid ex minus felici Grynæi conatu, nescio; quod ex his: postulandumque honos meritus factum dico: postulandosque honores meritos, eius quidem similia permulta librarius commisit. Sed desideratur ipsius triumphi petiti mentio, qui c. 7, 1 actus commemoratur. Eam utrum librarius omiserit an Livius h. l. ex honoris deorum et supplicationis mentione intellegi voluerit, non definio, sed in hanc partem inclino nec suspicione ultra progredior. (§ 9 vellem obtemperatum a recentioribus Dukero, qui recte iudicavit, publice scribendum esse.)[1])

[1]) Cap. 7, 2 non recte alteri consuli prænomen additur (Ti.), natum ex præcedenti vocabulo (argenti). Cap. 8, 7 post permittatur pro possent scribendum esse possint, satis est verbo significare. (1864.)

Cap. 9, 11 (ubi senatus consulto cautum narratur de iure iurando in manumissione exigendo) edebatur e codice (qui hic iam incipit): ut dictator, consul, interrex, censor, prætor, qui nunc esset, apud eorum quem cet., nunc scribitur, ut Sigonius scribi iussit: qui tunc esset. Sed sic quoque in obviam eundo fraudi per plures iam annos gliscenti ineptissime cavetur de unius illus anni magistratibus (et ita cavetur, ut enumerentur, qui illo anno non fuerunt, dictator et interrex), in futurum nihil prospicitur. Nam quod Drakenborchius qui tunc esset sic a Livio positum putat, ut in ipso senatus consulto intellegatur fuisse: qui nunc est quique posthac erit, id (etsi idem alios sensisse suspicor) tam est absurdum et ridiculum, ut nihil magis esse possit; nam tunc in narrando uni nunc in senatus consulto respondet. Livius id ipsum scripserat, quod Drakenborchius audiri voluit: qui tunc esset **quique posthac futurus esset**; alterum orationis membrum ob idem verbum bis positum excidit, erroris genere in his libris perfrequenti. De reliquo loco tantum dico ius iurandum, contra ac Creverius eumque secuti alii existimarunt, necessario exactum esse a manumissore, non ab eo, qui manumitteretur; nam et de manumissoris animo et consilio
(498) ipse iurare debebat, et fides haberi aliqua poterat civi iuranti, ei, qui, nisi iuraret, servus mansurus erat, nulla, et rem conficit grammatica ratio; in altera enim sententia non: qui eum manumitteret scribi debuit, sed: qui se manumitteret. Itaque, si cetera sana sunt, subiectum verbi daret continetur hac sententia: qui eum manumitteret, recteque eum refertur ad qui (interpositum a Creverio post apud eorum quem), ut hoc in impeditiore senatus consulti oratione et liberiore sententiarum coniunctione fere pro si-quis accipiatur. Sed id fieri nequit in his: qui id non iuraret, eum manu mittendum non censuerunt, ubi necessario eum ad qui refertur. Verum in codice ita scribitur: — manu non mitteren quid non iurare eum

cet., ex quo efficitur: — manu non mittere; in quo id non iuraret (manumissor), eum manumittendum non censuerunt. [Sic etiam Heerwagenius.] Extremo denique capite (§ 12), ubi in codice hæc sunt: Hæc in posterum causa iussique edicto C. Claudi cons. Claudio decreta est, Grynæus autem infeliciter iuris dictionem intulit (quæ semper privatarum rerum est et hinc aliena), dixi iam ante aliquot annos (1852), scribendum esse: Hæc in posterum cauta; cetera, ut in codice sunt, relinquenda sunt, quoniam, quæ exciderunt, supplere nequimus. (Fingi huiusmodi aliquid potest: iussique edicto C. Claudii consulis socii in suas civitates redire; de iis, qui non redissent, quæstio * decreta est.)[1])

Cap. 10, 7 (de A. Manlio, M. Iunio, superioris anni consulibus, a C. Claudio cons. provincia decedere iussis): Quod cum illitum consulis imperio dicto audientes futuros esse dicerent, cum is cet. Sed quod in hoc narrationis progressu ante quum, quod agat, non habet; itaque scribendum videtur: Quumque illi tum cet. [Sic iam Gronovius.][2]) Paulo post (§ 8) valde vereor, ut recte dicatur: qui pro quæstore Manlii erat, putoque Manlio fuisse; nam genetivum huic loquendi formæ (esse pro quæstore) adiunctum nec legi nec analogia ferre videtur. Infra (§ 12), (499) ubi editur: Hæc collegæ obsequenter facta, quoniam in codice est: Hæc a collegæ, scribendum videtur: a collega, quum præsertim collegæ nomen, nuper de Graccho positum, incommode transferatur ad ipsum Claudium.[3])

---

[1]) § 9 scribendum: M. Claudio, T. Quinctio censoribus postve ea pro postque ea), constanti etiam in inscriptionibus usu. (1864.)

[2]) [Correctione perfacili Seyffertus non contentus scribi voluit: Quod cum illi tum consulis imperio dicto audientes facturos se dicerent, oblitus, numquam sic per se dici dicto audiens, ut appositione adiungi possit, sed tantum cum verbo sum.]

[3]) § 2 esse excidit non post satis, sed inter exercitus et ex-

Cap. 11, 1 quum in codice scribatur: Paucis ante diebus Iunius Manliusque oppidum et mattius (Nesactium) — summa vi oppugnant (edd. oppugnarunt), faciendum videtur oppugnarant; nam præsens tempus aperte excludunt illa: Paucis ante diebus. Medio capite (§ 6) vereor, ut recte scribatur: cuius (oppidi) capti tumultum ut ex (cod. tumuli ex) pavido clamore fugientium accepit rex, traiecit ferro pectus; neque enim tumultus ex clamore (hoc est prope, ex tumultu) accipi recte dicitur. Præstare videtur: cuius capti nuntium ubi ex pav. cl. cet. [Immo: cuius capti interitum ut cet. Nam ne nuntius quidem ex clamore accipitur. 1864.]

Cap. 12, 9: Ligures — in montes refugerunt passim, populantique campestres agros consuli nulla usquam apparuerunt arma. Neque locus adverbii passim placet (præstaret enim: passim in montes refugerunt) neque recta aut rei apta sententia est; nam una via abierunt Ligures in montes, non passim per agros dilapsi sunt. Scribendum esse opinor transposito que: in montes refugerunt, passimque populanti campestres agros consuli cet. Eadem particula transposita est hoc libro c. 23, 6 (cod. gravissimam omniumque pro gravissimamque omnium), XLII, 51, 3 (cod. omnis armatosque pro omnesque armatos), XLII, 4 extr. (cod. de discordiis seditionibus suisque pro de disc. seditionibusque s.) et 58, 9 (cod. equitum sacræque ale pro equitumque sacræ alæ), XLIV, 16, 11 (cod. basilicam faciendamque pro basilicamque faciendam), XLV, 11, 8 et 39, 18.

Cap. 16, 2 (quum religioni fuisset, quod in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non esset populo Romano

---

civit. [§ 6 non recte fugam alicuius iactare dicitur, qui severe reprehendit; in codice scribitur A. Manlio; effici videtur: A. Manlio — obiectasset. 1864.]

Quiritium, resque ad pontifices relata esset), pontificibus, quia non recte factæ Latinæ essent, instauratis (500) Latinis, placuit Lanuvinos, quorum opera instauratæ (cod. instaurati) essent, hostias præbere. Neque instauratis iam Latinis hostiæ præbebantur, sed quum instaurarentur, neque instauratæ iam Lanuvinorum opera feriæ in pontificum decreto dici poterant, quo instaurari iubebantur, neque ipsum decreti caput, instauratio eriarum, sic in secundariam sententiam (instauratis Latinis) includi. Offendit etiam (præter placuit post ablativos partem decreti continentes interpositum) incommoda nominis repetitio (quia non recte factæ Latinæ essent, instauratis Latinis). Scripserat Livius litteris non ita multum diversis, oratione et sententia longe alia: Pontificibus, quia non recte factæ Latinæ essent, instaurari, Latinis placuit, Lanuvinos, quorum opera nstaurandæ essent, hostias præbere. Pontifices Romani ferias instaurandas esse decrerunt; Latini, quorum aliquod ad has ferias curandas concilium fuisse debet (earum, opinor, civitatum, quæ etiam postea carnem Latinis petebant, de qua re testimonia collecta exstant in Beckeri et Marquardtii Antiqq. Rom. IV p. 441), sumptum in eam rem præbendum ab ea civitate, cuius opera et culpa fieret, ut instaurarentur. Si quis Latinorum negabit ullas decernendi partes fuisse, scribendum ei, sublato Latinis, erit: instaurari placuit, Lanuvinos, quorum opera instaurandæ essent, h. p.[1]) Sequitur (§ 3): Accesserat

---

[1]) [Frustra defenditur repetitio vocis in his: quia non recte factæ Latinæ essent, instauratio Latinis placuit exemplis alius generis (neque enim in iis nomen rei, de qua agitur, in protasi positum initio apodosis repetitur), ceteraque, quæ declaravi, incommoda manent, saltem quod obscuratur ipsum caput decreti pontificum, instaurandas esse Latinas. Verborum ordo in nostra emendatione prorsus rectus est, post alterum dativum priori contrarium communi verbo interposito.]

ad religionem, quod Cn. Cornelius consul ex monte Albano rediens concidit. In codice sic scribitur: Accesserat ad legionem Cn. Cornelius cet. Potest Livius scripsisse: Accesserat **alia religio; nam** Cn. Cornelius cet. Sed res incerta. Extremo capite (§ 9: sua virtute ac felicitate neminem iam cis [cod. sic] Alpis hostem populi Romani [cod. pro] agrique aliquantum captum cet.) infinitivum abesse non posse (ob eam causam, quam exposui p. 248 not.), iam Drakenborchius (501) aliquo modo senserat; utrum post Alpis an post pop. Romani exciderit esse, definiri nequit.

Cap. 17, 6: Q. Petillius consul collegam, qui extemplo magistratum occiperet, creavit C. Valerium Lævinum. Is iam diu cupidus provinciæ, quum opportunæ cupiditati eius litteræ adlatæ essent, Ligures rebellasse, Nonis Sextilibus, paludatus, litteris auditis, tumultus eius causa legionem tertiam ad C. Claudium consulem in Galliam proficisci iussit et duumviros navales cum classe Pisas ire, cet. Consu paludatus in provinciam ibat, non alios proficisci iubebat, nec litteras e provinciis adlatas audiebat, sed legebat ipse et recitabat recitarive iubebat, nec, litteris adlatis primum paludamentum sumebat, deinde, auditis, fieri aliquid iubebat. Sed quid hæc pluribus persequor, quum manifestissimum sit, initium orationis de consule esse, statim, quum litteræ adlatæ essent, cupide in provinciam festinante, exitum de senatu, litteris apud se recitatis auditisque, quæ fieri alia ab aliis debeant, iubente, media autem, quibus absolvebatur prior sententia, nova incipiebat, intercidisse? Itaque sic scribendum est: — Nonis Sextilibus paludatus —. **Senatus,** litteris auditis, tumultus eius causa cet. Et excidisse aliquid, etiam Dukerus et Weissenbornius senserunt; transire narrationem ad senatum, non videntur animadvertisse. [Senatus suppleverat Heusinger.] Sed consul, qui in proviincam festinat, si editæ

scripturæ credimus (collegam — creavit C. Val. Lævinum. Is —), necessario Lævinus est. Atqui is, qui a. d. III Non. Sext. creatus est, non potuit, iam diu cupidus provinciæ, ipsis Nonis Sext. in eam abire; id de Petilio tantum recte dici potuit, quem inde ab initio anni prodigia, feriæ earumque instauratio, comitia collegæ subrogando Romæ retinuerant, in provinciam pluribus ante mensibus decretam ire cupientem. Atque Petilium (cui Ligures provincia evenerat, c. 15, 5) priorem in provinciam profectum esse, etiam e cap. 18, 6 intellegi potest. Sed tamen, quoniam Pisæ, Ligures, Gallia contiguæ erant, et exercitui diem (502) ad conveniendum Pisas edixerat (§ 8: eodem Pisas) et C. Claudium iam, senatu iubente, (§ 9) in Ligures ingressum ad se in Galliam vocat (c. 18, 5). Quoniam igitur § 6 in codice scriptum est: iiset iam diu cupidus provinciæ cet., restituendum est, altero **i** in **p** mutato: **Ipse** (Q. Petilius, qui Lævinum collegam creavit), iam diu cupidus prov., cet. [Senserat difficultatis partem Creverius.]

Cap. 18, 1: Hostes (Ligures) — duos montes, Letum et Ballistam (sic bis cod.) ceperunt muroque (cod. murosque) insuper amplexi. Hoc quidem pro amplexi sunt accipi non posse (ceperunt muroque amplexi), vel Drakenborchius sensit (vid. ad XXI, 25, 9 p. 214). Itaque aut muro insuper aut muro fossaque insuper scribendum est.[1])

---

[1]) Ea, quæ § 8 de vitio in sortitione facto traduntur, eo difficiliora sunt ad corrigendum, quod et res ignoratur et librarius non uno modo aberrasse videtur. Forma loci hæc fuisse videtur: id vitii (viti) factum postea augures responderunt, quod sorte in sitella in templum illata foris ipse mansisset, quum templum ingredi et ipsum oporteret. Ad foris aliunde additum puto extra templum. Vitio creatur consul, sed in creando consule vitium, hoc aut illud vitii fit. Ex Manli factum est Manlio in codice c. 10, 6 (fugam e castris Manlio). [Scriptum etiam fuisse potest: foris ipse oppertus esset. (Gitlbauer p. 102 oblitus est, exta in sitellam non inferri, sed con-

Cap. 19, 1. Initium capitis sic interpungendum est: Cis Apenninum Garuli et Lapicini et Hercates, trans Apenninum Briniates fuerant intra (sic recte Crev. pro inter) Audenam amnem. (Haec pertinent ad populos a Lepido subactos et in alias sedes deductos.) P. Mucius cum iis, qui Lunam Pisasque depopulati erant, gessit bellum. Perverse initio poneretur locus belli gesti mireque bellum intra flumen aut, si quis alterum nomen excidisse fingeret, inter flumen aliumqne locum gestum diceretur.

(503) Cap. 20, 8 (ubi de Antiocho Epiphane agitur) editur non Latine: Munificentiæ vero in deos vel Iovis Olympii templum Athenis — potest testis esse; neque enim templum (neutro genere) testis est (cuius vocabuli nullum in codice vestigium est totumque Grynæo debetur), sed documentum aut monumentum. Paulo post (§ 10) sic oratio interpungi debet: Spectaculorum quoque omnis generis magnificentia superiores reges vicit, reliquorum sui moris et copia Græcorum artificum; gladiatorum munus Romanæ consuetudinis primo magno cum terrore hominum — dedit. Appositione adiungitur reliquorum, hac sententia: reliqua spectacula sui moris et copia Græcorum artificum dedit. Tum scribendum: deinde sæpius dando et modo vulneribus tenus, modo sine missione, etiam familiare oculis gratumque id spectaculum fecit. Vulgo editur,

---

iici, demitti.) § 4 revocandum fuit adfigunt, pro quo nuper quoque Sigonium secuti adfligunt scripserunt. Non adflicta parietibus vasa Livius dicit (et solo tum potius Ligures ea adflixissent), sed stolide a barbaris hominibus adfixa tamquam ornamenta; itaque addit, ad eam rem inepta fuisse vasa usui magis quam ornamento facta. § 11, ubi editur: suos quidem a fuga revocavit, in codice est quidem etiam fuga. Fuitne suos quidem media in fuga revocavit? Neque enim facile a in etiam transiturum erat. 1864.]

ut in codice est: sine missione etiam, et familiare oculis cet., prave positis particulis.[1])

Cap. 22, 6, ubi editur (de Perseo cum exercitu Delphos subito profecto): sine damno iniuriaque agrorum, per quos iter fecit, in regnum rediit, in codice, ut in proximis superioribus et sequentibus versibus, membrana mutilata litteræ aliquot non exstant; sic autem scribitur: sine damno iniuriaq. * rum (desunt aliquot litteræ) per quorum iter fecit, in reg * (desunt aliquot litteræ) edit. Livius scripsisse videtur: sine damno iniuriaque populorum [potius eorum], per quorum fines iter fecit, in regnum rediit. Non solis agris periculum erat.[2])

Cap. 23, 6 (in oratione Callicratis in concilio Achæorum contra litteras Persei regis): Nam qui regibus Macedonum Macedonibusque ipsis finibus interdixissemus, manereque id decretum scilicet, ne nuntios (504) admitteremus regum, per quos aliquorum ex nobis animi sollicitarentur, ii contionantem quodammodo absentem audimus regem et, si dis placet, orationem eius probamus. In codice nullum est mendi indicium. Corrupta tamen esse illa: manereque id decretum multi post Sigonium aut omnes intellexerunt; sed quæ ad emendandum locum excogitarunt, a recto aberrant; nam ipsa manendi notio aliena est; quid enim opus est dici, qui decretum faciat, eum id manere velle? aut quid ad hanc contrariorum relationem addi recte potest: qui — interdixissemus. — ii — audimus? Verba illa necessario cum

[1]) Cap. 21, 2 excidit numerus sociorum legioni additorum: equitibus (sociorum * millibus peditum, * equitibus). [Potius ad socios pertinent ipsi numeri in codice positi scriptumque ita fuerat: conscripserunt, et socium Latini nominis V mil. cet. 1864.]

[2]) § 1 pro rescierant, quod a Grynæo omnes tenuerunt, restituendum e codice simplex scierant, h. e., cognoverant; cfr. II, 11, 6, XL, 25, 10, Cic. Rosc. Am. 97 et aliquoties apud eundem scitum est, apud Livium XXIII, 39, 1.

scilicet coniungenda sunt et ad decreti consilium declarandum pertinent. Scribendum igitur videtur: **caventes per** id decretum scilicet, ne cet. [Vahlenius in Annal. gymn. Austr. XVII p. 307: manereque id decretum **sciremus quo caveramus** scilicet, ne cet.] Eodem capite § 11 in eadem oratione hæc scribuntur in codice: Sed quia (Philippus) in Romanos odii regnum posuerat præmium, Demetrio (scr. cum edd. Demetrium) nullo alio crimine quam Romanæ amicitiæ initæ occidit, Persea, quem populo Romano (plene hoc, non, ut plerumque, nota scribitur) prius pænæ quam regni heredem futurum sciebat, regem fecit, retinuitque hanc scripturam, pænæ tantum cum editionibus in poenæ mutato, Weissenbornius, populo Romano enarrans "iudice populo Romano", quod ipsum primum quomodo dicatur, prorsus nescio (neque tamen nescio, posse dativum etiam apud Latinos, etsi raro, certo aliquo modo sic poni, ut ad illam significationem accedere videatur, sed in longe alia orationis forma); deinde si scirem, nihilo magis intellegerem, quid hoc esset, Philippum scisse, filium suum populo Romano iudice poenæ heredem fore. Quæ enim hic poena significatur, quam Philippus speraverit optaritque filio? Sed piget conatum ex frequenti scribendi vitio (pænæ pro pæne) ortum pluribus refellere. Kreyssigius, Mureto præeunte, hostem addidit, sic scribens: quem hostem populo Ro-
(505) mano prius pæne quam regni heredem futurum sciebat. Sed parum concinne hæc componuntur, hostis populo Romano et regni heres; neque Perseus, ut hostis Romanis esset, mortem Philippi exspectabat; fuerat iam mnltos annos. Recte Gronovius et Rubenius senserant, in priore etiam membro genetivum requiri relatum ad heredem; alius enim rei pæne prius quam regni hereditatem ad Persea perventuram Philippum scivisse. Id unum bellum esse poterat; odium, ut dixi, iam multos annos fuerat. Scripserat igitur, ni fallor, Livius: quem belli Romani prius pæne quam regni heredem futurum sciebat.

Cap. 24, 10 (in oratione Archontis contra Callicratem de finibus Achæorum Macedonibus interdictis): Cur exsecrabilis ista nobis solis velut dissertio iuris humani est? Frustra Kreyssigius, advocata Festi (Pauli) auctoritate, apud quem dissertiones exponuntur divisiones patrimoniorum inter consortes, efficere conatur, ut usitatum et Livianum habeatur dissertionis (dissortionis) vocabulum, quum præsertim id alienam ab huius loci sententia habiturum sit imaginem; neque enim hic de communis boni divisione, ut suam quisque partem accipiat, agitur. Nihilo tamen magis ferri potest, quod Grynæus substituerat, desertio; neque enim deseri ius humanum Archo querebatur (hoc est, remitti nec defendi), estque omnino lenius id vocabulum quam pro adiectivo exsecrabilis. Ni fallor, a Livio erat discerptio; nam rumpi et interscindi violenter ius videbatur illa finium interdictione. Nihil moveor, quod hoc actionis vocabulum ab usitatissimo verbo deflexum alibi non legitur. Paulo post (§ 12 et 13) sic in codice scriptum est (minutulos errores nihil nunc moror): Quamquam et illud dicere poteram, tanta priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuisse, ut Philippi unius iniurias (cod. iniuriam), si quæ forte fuerunt utique (506)
post mortem; cum classis Romana Cenchreis staret, consul cum exercitu Elatiæ esset, triduum nos in concilio fuisse, consultantes, utrum Romanos an Philippum sequeremur. Priorem sententiam in extrema parte mancam esse et excidisse verbum, quale est elevent aut obscurent, neminem fugit. Sed non minus perspicuum est, deinde novam incipere sententiam, quæ ab illo dicere poteram pendere nequeat; neque enim cum universa illa propositione (ut rhetores appellant) de meritis veterum Macedoniæ regum eorumque pondere coniungi ullo pacto ex æquo potest confirmatio et exemplum. Recto igitur hactenus iudicio Grynæus sic scripserat: Quum classis R. Cenchreis staret, — triduum in concilio fui-

mus, consultantes, cet., nisi quod violenter fuisse in fuimus mutatur. Eadem lacuna et superioris sententiæ finem et huius initium hausit; hæc enim orationis forma fuerat: ut Philippi iniurias, si quæ forte fuerunt, obscurent. Meministis, quum classis R. C. staret, — triduum nos in concilio fuisse, cet. Sequitur (§ 14) error re parvus, ad sententiæ detrimentum non parvus; sic enim scribitur: fuit certe tamen aliquid, quod tam longam deliberationem faceret (cod. fecerat), id quod erat vetusta (cod. vetustate) coniunctio cum Macedonibus, vetera et magna in nos regum (cod. rerum) merita. Pravissime cum infinita adfirmatione (aliquid) per id quod (ipsum vitiose positum, quoniam non ad prædicatum totamve sententiam refertur) coniungitur certæ rei demonstratio (aliquid, id quod). Rectam orationis formam efficiet una littera et simul interpunctio mutata: fuit c. t. aliquid, quod tam longam deliberationem faceret. Id quid erat? Vetusta coniunctio c. Mac. cet.[1])

(507) Cap. 26, 3 et 4 (de Romanis Celtiberos castra aggressos eruptione facta repellentibus): Urgentes deinde alii (cod. alia) alios secuti evaserunt (cod. secuteevaserunt) extra vallum, ut pandere aciem et exæquari cornibus (cod. exequari cirénibus) hostibus, quibus

---

[1]) § 6 Kreyssigius veram scripturam restituit (Ac scimus Persea regno accepto regem a p. R. appellatum; audimus, legatos Romanos venisse ad regem et eos benigne exceptos), correcto librarii errore, qui verba legatos Romanos venisse ad regem bis scripsit, primum alieno loco (post accepto), deinde suo. Qui alia tentarunt, neque erroris originem viderunt neque orationis inter duo verba (scimus et audimus) distributæ æqualitatem. Idem § 8 recte subegit pro subiecit scripsit, postremo § 18, permutata duarum vocum sede (vid. supra p. 491): etiamsi non finiuntur odia, intermittantur. Weissnbornius omnibus his locis non recte Kreyssigium ducem deseruit.

circumibantur, possent (in cod. additur: ut extra uallum ut pandere aciem et exequari cornibus hostibus circumibantur possent, omisso in repetitis quibus), ità repente irruperunt (sic Walchius et alii; cod. ruperunt), ut cet. Pravum esse secuti, multi dixerunt; sed neque sicubi aptum est, quod significaret Romanos vario eventu tum evasisse, tum non evasisse, neque scutis (neque enim unum genus urgendi nominandum erat et scutis magis hostes irruentes obnisi urgebant, cfr. lib. XXXIV, 46); sententia et oratio nihil requirit nisi: ut evaserunt; et fieri potest, ut secute (post alios) ortum sit prava litterarum geminatione, quemadmodum proximo libro c. 26, 2 ex suos eum depopulatum factum est: suo secundo populatum, interposito c. [Büttnerus ubi.] Sed non minus certum est, pravum esse exæquari cornibus hostibus, quibus circumibantur, ubi cornua priore loco (ablativo casu) Romanorum intellegenda sunt, altero hostium. Verissime Gronovius cornibus hostium scribi voluit, in quam coniecturam et ipse olim incidi. Facillime inter cornibus et quibus librarius tertium dativum effecit. Neque quidquam (508) præterea mutandum est aut Gronovius mutari voluit; nam: a quibus antea tentaverat, nondum invento hostium. Sequitur de victis Celtiberis (§ 5) in codice: ad XV millia capta signa adempti (sic) duo et XXX. Non cæsa aut capta scribendum erat, sed: ad XV millia **cæsa**,* capta. Excidit enim captivorum (millium) numerus.

Cap. 27, 3: Consules (a. 174 a. Chr.) — in provincias profecti sunt. Ex iis M. Æmilio senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret. Pravum hoc esse, Sigonius animadvertit; nam M. Æmilium superiore anno consulem fuisse, hoc anno Sp. Postumium, Q. Mucium. Itaque Drakenborchio in mentem venit: Exin M. Æmilio, quod secutus est Weissenbornius. Sed præterquam quod parum apta est ipsa hæc vox exin, recte Drakenborchius viderat, necessario si-

mul § 4 scribendum esse proconsulis pro consulis, quod W. non fecit. Et quæ ibi adiiciuntur (neque aliud, quod ageret, in provincia quum habuisset, Romam rediit), ad consulem in provinciam profectum aptiora sunt quam ad Æmilium unius rei causa missum. Itaque aut Livius, quod prorsus credibile est et aliis, quæ ei acciderunt, simile, rem fortasse non ex iis annalibus, quos in ceteris huius partis rebus sequebatur sumptam sed ex patriæ urbis memoria repetitam, errore hic inseruit, eo facilius duorum annorum consulibus confusis, quod, qui hoc anno fuerunt, nihil videntur gessisse memorabile et quod uterque annus Mucium consulem habuit, aut post Æmilio exciderunt quædam, quum huiusmodi fere fuisset orationis forma: Ex iis M. Æmilio Q. Mucius successit, P. Mucio Sp. Postumius. Q. Mucio senatus cet. Sed multo illud probabilius est.

(509)

Lib. XLII.

Cap. 2, 6 et 7: editumque ab decemviris est et (cod. ab decemviris et ex) quibus diis quibusque hostiis sacrificaretur, et ut supplicatio (cod. supplicatioque) prodigiis expiandis fieret: altera, quæ priore anno valetudinis populi causa vota esset, ea uti feriæque essent. Scribendum aut: et altera, quæ aut alteraque, quæ; alioquin exspectatur novi aliquid de hac altera supplicatione. Scribendumne sit: et ut supplicatio quoque (propter que in cod. additum), non definio. Deinde autem videtur Livius scripsisse: Itaque sacrificatum (cod. ita sacrificatumque) est, ut decemviri scriptum ediderant, non ediderunt. Idem mendum corrigendum erit c. 57, 2 et 59, 1, libr. XLIV, 23, 7, XLV, 25 extr. Alibi iam ab aliis sublatum est. (Etiam c. 6, 12 scribendum [cum Crev.] renuntiaverant; legati non tum, quum Apollonius Romam venit,

de eo renuntiarunt, sed antea renuntiarant, eaque fuit causa, cur tunc tam benigne exciperetur.)

Cap. 3, 2 (de Q. Fulvio Flacco censore ædem Fortunæ Equestris faciente): Magnum ornamentum se templo ratus adiecturum. Codex: Magnum ornantum et templo iratus adiecturum, ex quo fit: magnum ornatum ei templo ratus adiecturum; neque enim de uno ornamento agitur; ei iam Kreyssigius scripsit. Quod idem ex iratus effecit ita ratus, sine causa factum; nam sæpius in illo participio (ratus) librarius leviter aberravit.[1] Exquisitiore emendatione utendum est paulo post (§ 7), ubi in exponenda senatorum insectatione Q. Fulvii censoris hæc (510)
scribuntur: censorem, moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis et loca tuenda more maiorum traditum esset, eum — vagari. Recte hæsit Dukerus in infinita hac locorum commemoratione et locorum tuendorum, nec minus pravum est exigere loca tuenda; neque enim exigitur aliquid tuendum, sed num, qui ædificium tuendum accepit, officio satisfecerit. Omnia sanabit vulnera una retracta syllaba, quam librarius sive oculorum errore omisit sive potius (quemadmodum exposui supra p. 488) quod animum defixerat in specie primum ex litteris loca obiecta: sarta tecta exigere sacris publicis et **locare** tuenda. Tueri sarta tecta Cicero quoque dixit ad Fam. XIII, 11. Nam quum sarta tecta sensim prorsus pro ipsis ædificiis, quæ tuenda erant, ut sarta tectaque essent, accipi coepta essent, et locare sarta tecta non minus quam locare ædem sacram dicebatur et exigere.

Cap. 5, 1: Perseus, iam bellum vivo patre cogitatum volvens. Sic dicitur iam volvens, tamquam

---

[1]) Frustra etiam c. 2, 2 ex errore scribæ, qui negationem male infersit (non bellum parari) elicitur: nunc bellum parari; inepta est enim temporis illa significatio.

hactenus eam cogitationem seposuerit. Vix fieri potest, ut non scripserit Livius: bellum iam vivo patre cogitatum; in eo enim participio necessario particula est. Deinde § 6 de Græcis Persea Eumeni præferentibus et illi se applicantibus sic edebatur: seu quia eum obiectum esse Romanis volebant (prava sententia); in codice est: seu quia non obiecta esse Romanis volebant, ex quo Weissenbornius effecit: non subiecti esse; sed eo significatu (de iis, qui nondum in dicionem potentioris redacti parere tamen voluntati eius coguntur) obnoxius dicitur, non subiectus. Mihi in mentem venit, propius paulo ad litteras: non abiecti esse R. v., hoc est, non contempti et viles. Favendo Macedonum regi Græci efficere volebant, ut Romani cogerentur sui quoque aliquam rationem ducere, quoniam adiuvare adversarium possent.[1]) Sed hoc incertum; illud certum, paulo post (§ 8) scribendum esse: Quum Thessalos in armis esse nuntiatum esset
(511) (cod. et edd. est), App. Claudium legatum ad eas res aspiciendas — senatus misit. Indicatur causa legati mittendi, non, legationem incidisse in id tempus, quum nuntiatum illud de Thessalis sit (tum, quum — est). Erratum eodem modo aut contrario (esset pro est scribendo) et alibi in Livii codicibus non ita raro et in codice Vindobonensi, ut statim c. 18, 6 in eo scribitur (item post quum) dilatum est pro dilatum esset, quod recte editur. Sequitur (§ 10): Ætolorum causas Marcellus[2]) Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, quas intestino gesserant bello, cognovit. Recte intellectum est, causas non geri bello, et totum hoc quas i. g. b. inaniter adiici. Itaque Rupertium recentiores sequuntur, quos scribentem, ut ad animos referatur. Sed vi-

---

[1]) [Fort. quia omnia obiecta esse Romanis volebant. 1864.]
[2]) [Num M. Marcellus? Videtur significari, qui a. 183 consul fuerat. 1864.]

tiosissime tum abundat hostilibus, id iam præcipiens, quod deinde integra declaratur sententia; debuit dici: iisdem animis, quos (hoc est, hostilibus). Livius scripserat: per idem tempus, **non minus** hostilibus actas animis, **quam quos** intestino gesserant bello, cognovit. Librari ioculos decepit similitudo litterarum in tempus et minus; tum duæ voces a qu incipientes inter se, ut sæpe, nocuerunt. Nondum hoc caput absolvimus. Restant enim extrema verba (§ 12) sic in codice scripta: Corinthus ut ibi deponerentur obsides convenitur. (Edebatur olim: Corinthum, ut ibi dep. obs., convenitur. Nullus Corinthi conventus actus est.) Recte Kreyssigius convenit scribi iussit, cui recentiores obsequuntur (de mendi genere vid., quæ dicam ad XLV, 5, 12); sed quod ut ibi editur, non puto absolute dici posse: Corinthus convenit, adiecta sententia finali (ut), sed: Corinthus, ubi dep. obs., convenit, hoc est: Cor. obsides deponendi locus convenit.[1])

Cap. 7, 9: Decem millia hominum cæsa traduntur, amplius septingenti passim capti; signa militaria relata octoginta tria. Nusquam in similibus locis (plurimis autem sic cæsorum captorumque et signorum relatorum numeri ponuntur) additur, quomodo hostes capti sint; nec sane opus erat caveri, ne omnes uno loco capti (512)

[1]) Cap. 6, 1: Marcellus in Peloponnesum (cod. Peloponnensium) traiecit, quo Achæis edixerat conventum. Fortasse fuit in Peloponnesum Ægium traiecit; nam quo adverbium requirere videtur certi loci significationem. (1864.) [Nomen urbis excidisse iam Crev. suspicatus erat.] § 10: eis (censoribus) negotium datum est, ut ponerent ea (vasa aurea a legatis Antiochi Romam adlata) in quibus templis videretur, legatoque centum millium æris munus missum cet. Cod. videreturque legato; fortasse subest unicuique legato et infra e cod. restituendum: donec in Italia essent. Cur enim uni tantum legato munera mittuntur? (De pronomine unusquisque apud numerum posito cfr. Cic. de Inv. II, 152; or. agr. II, 152; or. agr. II, 85; Corn. Lys. 1, Liv. VIII, 8, 7.) (1876.)

crederentur. Adverbium passim prave repetitum est ex superioribus (§ 8): et in fuga passim cæsi sunt.

Cap. 8, 6: (ubi senatus indignatur, crudeliter sævitum a M. Popillio consule in Ligures deditos): tot millia capitum innoxiorum, fidem implorantes populi Romani, pessimo exemplo venisse et distractos passim iustis quondam hostibus populi Romani pacatis servire. Ad indignitatem rei augendam adeo nihil pertinet, quod pacatis Ligures serviunt, ut rem leniat id vocabulum consilioque orationis repugnet. Sed quod Weissenbornius, animadverso sententiæ vitio, substituit pacatos, etiam vitiosius est; quid enim opus est dici pacatos esse, qui venditi serviant? Uno modo in reliquam sententiam includi id vocabulum potest, et includi aptissime, si aut [cum Heusingero] vix pacatis aut nuper pacatis scribas; et nuper post pr. facile excidere potuit. Hæc cohærent, servire Ligures iis, qui quondam hostes Romanorum fuerint, nuper demum pacati sint. Sequitur (§ 7) in senatus decreto: (placere senatui) — bonaque ut iis (Liguribus), quidquid eius recuperari possit, reddantur, (consulem) curare; arma quoque tempore fieri nec ante consulem de provincia decedere, quam deditos in sedem suam Ligures restituisset. Licenter et infeliciter hæc Grynæus interpolaverat; sed ne Kryssigius quidem verum vidit, qui fortasse scribendum putavit: arma primo quoque tempore referri (quod pro reddi accipi vult contra usum loquendi), nec Weissenbornius, qui scripsit: arma quoque adempta referri. Livius ad hanc formam scripserat: arma **quoque reddi; eaque primo** quoque tempore fieri, nec ante cet. Quæ litteris insignioribus addidi, omissa sunt propter quoque bis positum. (Oppugnantes pro pugnantes frustra Weissenbornius defendit, ortum ex præcedenti o.)[1])

---

[1]) [Quum expleta apertissimæ originis lacuna, littera nulla mutata, rec-

Cap. 10, 5 (Q. Fulvius Flaccus censor) ædem Fortunæ Equestris — annos sex post, quam voverat, dedicavit. Miror tacitum hoc præteriri; nam ut dubitetur, an Latine etiam post sex annis dici possit, non solum post sex annos, de quo quæsitum est ad XL, 52 p. 474, id quidem constare debet, nunquam in hac intervalli mensura accusativum adiungi adverbio (utrique vocabulo postposito). Itaque [cum Lentzio] annis sex post scribendum. Deinde paulo infra (§ 10 et 11) oratio sic interpungenda est: Popillius et collegam et senatum pro patre deprecabatur, præ se ferens, si quid decernerent, intercessurum. (Hæc denuntiatio ad utrosque pertinet.) Collegam deterruit; patres eo magis, utrique pariter consuli infensi, in incepto perstabant. Sic enim (consuli) explendum, quod in codice cons. scribitur, non, ut editores fecerunt, consulum; neque enim apud Livium alibi uterque cum genetivo substantivi ponitur. (513)

Cap. 11, 2 ex eo, quod in codice est: existimant deberi pr̄. in senatum, Grynæus infeliciter effecit: existimaret deberi populo Romano, in senatum cet. Nam populi Romani nomen prave in ultimum locum reiicitur (debebat enim esse: exceptus a. p. R. cum tanto honore) et omnino non recte ponitur; senatus enim et patrum hæ partes erant. Scribendum est: existimabant deberi, a prætore in senatum cet. A prætore Eumenes in

---

tissimam sententiam et orationem effecissem etiam in particula quoque ad progressionem novamque rem significandam necessaria, Hertzius maluit Kreyssigii coniecturam sequi, in qua unum primo additur, tum fieri sine ulla probabilitate in referri mutatur, hæc autem omnia (arma primo quoque cet.) vitiose superioribus adiunguntur. 1864.] Cap. 9, 1 si plene enotata a Kopitario codicis sciptura esset, in quo est: eandem ad non parendum fuit senatui habuit, abstinuisset, opinor, Weissenbornius a mutando eo, quod Grynæus, sublato fuit, edidit

senatum est introductus, quod consules irati re publica abstinebant (c. 10, 15). (1864.)[1])

Cap. 11 extr. et c. 12, 1 (in Eumenis de Perseo in senatu Romano oratione) in codice sic scribitur: Adcessisse ad vires eam, quæ longo tempore — paretur (Kreyss. pareretur), auctoritatem non aput Græciæ adque Asiæ civitates — vereri maiestatem eius omnes; Grynæus: Adcessisse ad vires eam, — auctoritatem. Nam apud — vereri maiestatem eius omnes. Corrigendi viam et codex monstrat (non) et oratio; recte enim dicitur magna esse auctoritas regis apud civitates, pravissime omnes apud civitates (pro eo, quod est in civitatibus) vereri maiestatem regis. Scribendum igitur, expleta lacuna: — auctoritatem non apud Macedoniæ tantum, sed apud Græciæ atque Asiæ civitates. Vereri maiestatem eius omnes. (1864.)

Cap. 12, 3 (in eadem oratione) olim edebatur: Inter ipsos quoque reges ingentem auctoritate; Seleuci filiam duxisse eum cet., ubi aperte desiderabatur esse; nunc video edi: Inter ipsos q. r. ingentem auctoritate, Seleuci filiam duxisse eum cet., ubi vereor, ne
(514) vitiose redundet eum. Videndum, ne Livius scripserit: ingentem auctoritatem **esse**; Seleuci filiam duxisse eum cet. [Eodem capite § 6 tribus locis fœdus Bœotorum cum Perseo litteris incisum exstare dicitur: uno Thebis, altero ad sidenum, augustissimo et celeberrimo in templo, tertio Delphis. Sic enim scribitur in codice.

---

[1]) § 5 adverbium iamiam, quod futuri temporis et rei proximæ significationem habet (vid. ad XXVI, 33, 3), ab h. l. alienum est, nec dici omnino iamiam primum potest; nec magis convenit iam primum, quod transiri significat ad rem per partes exponendam; nec alere ac fovere omnibus consiliis recte tamquam primum (in partis loco) contrarium ponitur eis, quæ per præterea adiunguntur. Scripsitne Livius: tamquam (omnium) primum alere cet.? [Sic iam Gronovius.] Sed sufficiat mendum notasse.

Quod Sigonius scripsit ad Delum, debebat Deli dici; neque id augustissimum esse templum Livius magis adnotasset quam de Delphis, neque omnino probabile est præter Delphos vicinos extra Boeotiam positum fuisse foedus. Sed neque Ismenium subesse potest, quod Thebis erat, multoque minus incertum nescio quod Posideum sive Posidonium. Relinquitur, quod nomen e litteris denum facillime eruitur, Delium, nobilissimum non longe a finibus Atticæ ad Euripum Apollinis templum et oppidum. Templum Strabo et Pausanias sua quoque ætate stetisse ostendunt. (1864.)[1])

Cap. 14, 6: Miserant pleræque civitates, alia in speciem præferentes (cod. præferentis), legatos. Et legatio Rhodiorum erat ac Satyrus princeps, haud dubius, quin Eumenes civitatem quoque suam Persei criminibus iunxisset. Prava esse illa: Et legatio Rhodiorum erat (quæ significare debent: Rhodiorum quoque legatio aderat), plures senserunt; in cod. sic scribitur: Et legatio Rhodiorum erat hac falsaiturus princeps. Scribendum videtur: E legatis Rhodiorum erat Andranodorus (Athanodorus?) princeps cet., etsi usitatius erat futurum: Legationis Rhod. (Utrumque nomen in Doricæ stirpis hominibus reperitur, Andranodori supra libro XXIV sæpius.). Sed vereor, ne aliud mendum lateat; nam deinde in codice scribitur: quem Eumenes civitatis quoque sua Persei c. i., quod ne hic quidem librarius ex civitatem suam videtur effecturus fuisse. Suspicere, nomen aliquod excidisse (civitatis quoque suæ insectationem; nam crimina ex eo, quod sequitur, criminibus audiri nequit; poterat dici civitatis suæ crimina Persei iunx.); sed res incerta est. Proxima quidem (§ 8), non dubium est, quin vitium traxerint, quæ sic scribuntur: Quod (ut Rhodiæ legationis princeps

[1]) [§ 7 orationis lex (propter sint) scribi iubet possit, non posset. 1864.]

cum Eumene coram in senatu disceptaret) quum non contigisset (cod. cum contigisset, extrita negatione ante con), libertate intemperantius invectus in regem, (recte Gron. libertate intemperanti inv., quoniam libertate invehi dici nequit), quod Lyciorum gentem adversus Rhodios concitasset graviorque Asiæ esset, quam Antiochus fuisset, popularem quidem ac gratam populis Asiæ (nam eo quoque iam favor Persei venerat) orationem habuit, ceterum invisam senatui inutilemque sibi et civitati suæ. Non recte nec Latine popularis oratio appellatur, quæ a Rhodio ho-
(515) mine in senatu Romano habita est adversus regem externum, optimatum populique partium dissensum non attingens; nec bene popularis ac grata populis Asiæ (quod longe aliud est) coniunguntur. In codice scriptum exstat: popularem quidem quidem ingratam populis nam eo quoque cet. Livius nihil scripserat nisi hæc: popularibus quidem (seinen Landsleuten) gratam (nam eo quoque iam favor Persei venerat) orationem habuit. Ex ■ gratam ortum ingratam. Pro popularibus quum librarius male popularem scripsisset, corrigere volens populis scripsit, novo mendo, ut alibi non raro (vid. p. 492). Eo referri apparet ad Rhodum popularium nomine significatam.[1]) [§ 10 e codicis hac scriptura: donaque cui quam amplissima data perspicue efficitur, geminatis litteris quae (quæ): quæ cuiquam amplissima (umquam), data. 1864.]

Cap. 15, 5 (de loco, ubi Eumeni Delphos escendenti Euander et alii insidiati sunt): Escendentibus ad templum — maceria erat ab læva semitæ paulum ex-

---

1) [Dubitari nullo modo potest, quin nomen principis legationis positum fuerit, de quo postea agitur. Eum non fuisse falsa simulaturum, tam perversa est oratio et toto genere et verbi forma, ut mirer placere Hertzio potuisse. 1864.]

stans a fundamento, qua singuli transirent. Maceriam paulum exstitisse a fundamento, profecto non opus erat dici, sed qualis semita fuisset; nec apte inter semitæ et qua interponitur de maceria paulum exstans a fund., quasi maceria transierint. In codice scribitur: macerieratablevia semitam paulum extantem a fundamento qua. Scribi igitur debet: maceria erat ab læva ad semitam paulum exstantem. Persæpe in codice **a** pro ad scribitur. (Ab læva in semitam Latinum non est, ab læva semitam barbarum.)

Cap. 16, 9 (postquam dixit, Attalum signa dedisse cupiditatis regnandi): Quæ postea non fefellere Eumenem, et, quamquam dissimulare et tacite habere id patique statuerat, tamen in primo congressu non temperavit, quin cet. Otiose post dissimulare et tacite habere additur patique et vitiose etiam dicitur; nam quæ iam facta sunt, non patimur, sed inulta esse patimur. Tum prave post quæ ponitur id. Illud quoque quæri potest, dicaturne Latine tacite aliquid habere ac non (516) tacitum, ut tacitum aliquid tenere, relinquere, pati (VI, 7, 5) et de eo, quod quis ipse commisit, tacitum aliquid ferre (I, 50, 9, III, 45, 6). Codex tantum pati habet, que Grynæus addidit, mendum occultans. Scribendum est: dissimulare et **tacita haberi** pati statuerat.[1])

Cap. 17, 3 (de Rammio Brundisino) verba sic distinguenda esse: hospitio quoque et duces Romanos omnes et legatos, exterarum quoque gentium insignes, præcipue regios, accipiebat, et per se et ex § 5 (duces omnes legatique Romani) apparet et ex loco particulæ quoque. (Vulgo omnes, et legatos exterarum

---

[1]) In § 5 iniuria Weissenbornio probabilis visa est Heusingeri coniectura scribi volentis: ut **non** inconsulte. Coepta res erat, etsi inconsulte, tamen audacter; relicta est ita, ut neque prudentiam neque audaciam constantiamque laudares.

quoque gentium). Sed præterea, quoniam totum hoc non tamquam alterum adiungitur principis dignitati, sed tamquam consequens adnectitur, scribendum opinor: hospitioque pro hospitio quoque. Gravius est, quod § 6, ubi exponitur Persei Rammium corrumpere conantis oratio, in his: cuius (veneni) scire se comparationem plurimum difficultatis et periculi habere; pluribus consciis comparari, eventu præterea incerto esse cet., et causa sine nota (enim) adiecta offendit et comparandi verbum post comparationem ineleganter in causa explicanda positum et in multiplicis difficultatis et periculi demonstratione unius rei (plurium consciorum) mentio; nam quæ deinde adduntur (eventu præterea cet.), nihil ad comparationem pertinent potiusque comparationis difficultati ex æquo tamquam alterum eventus incertus adiungitur. Omnia apta erunt, si una voce sublata sic scripserimus: cuius scire se comparationem plurimum difficultatis et periculi habere pluribus consciis; eventu præterea incerto
(517) esse, ut cet. Itaque et comparationis pluribus consciis periculum Perseus se remoturum ostendit et eventum incertum: Se daturum, quod nec in dando nec datum ullo signo deprendi posset. Itaque manifestam teneri puto interpolationem ortam ex eo, quod non animadverteretur, pluribus consciis cum præcedentibus coniungendum esse. (Vid. p. 492.)

Cap. 19, 3: Quum in exspectatione senatus esset, —, qui regum (cod. regnum) suam, Persei qui secuturi amicitiam essent, cet. Nullo modo in huiusmodi interrogatione, ut ita dicam, distributiva inverti ordo in duobus membris potest. Itaque nisi altius latet mendum, transpositione facta scribendum est: qui regum suam, qui Persei cet. Sed cur de solis regibus exspectatio erat? Paulo post (§ 5) in codice scribitur: ut eum — publicæ etiam curæ ac velut tutele vellent esse et regem et legatio grata senatui fuit. Quod editur: vellent

esse. Ea regis legatio gr. s. f., a vestigiis codicis longe discedit, abundatque prorsus regis. Scribendum videtur: Egregie ea legatio grata s. f. [§ 6 ex eo, quod in codice est: habitare rei possent, effici videtur: habitare **recte** possent. Significatur bona et commoda atque conveniens habitatio (ut quum ludi recte facti dicuntur); quo pertinet ipsum verbum possent; alioquin Livius dixisset habitarent. In proxima sententia Weissenbornius, quod rem continet, intellexit, in corruptis codicis vestigiis (threcum legatis se discepnatisque et satis) latere nomina trium populorum, quorum legati venissent; ex ipsis nominibus primum videtur recte restituisse (Mædis sive Medis), in duobus, dum ab ipso Livio (XXXVIII, 40, 7) sumit, a codice nimis discessisse. Mihi in cepnatisque Odomantæ significari visi sunt, in satis Sapæi, quos post Herodotum Strabo, Plinius, Pausanias nominant. Odomantica terra et apud Polybium et apud Livium nominatur. 1864.][1])

Cap. 23, 5 (in oratione legatorum Carthaginiensium de Masinissæ iniuriis querentium): Missos esse (scr. cum Gronovio: missos se, ne alios missos narrare videantur), ui orarent senatum, ut trium harum rerum unam ab (518)
se impetrari sinerent, ut vel ex æquo apud socium populum, quid cuiusque esset, disceptarent, vel permitterent Carthaginiensibus, ut adversus iniu-

---

[1]) Cap. 20, 2 cod. Patres et haruspices referre et decemviros adire libros iusserunt, Gryn. ad har. referre; scribendum ad haruspices referri; cfr. c. 23, 3 et 25, 4 prohibere pro prohiberi ante e, c. 24, 5 respondere pro responderi ante l. (1864.) Cap. 21, 3 inauditam vocem rebellium parum tuentur exempla duplicis formæ aliorum substantivorum a Gronovio adlata, quum præsertim neque contagium neque obsidium Livius aut eius æquales in prosa oratione dixisse reperiantur, oblivium singulari numero ne poetæ quidem posuerint, ut merito dubitari possit, an Tac. Hist. IV, 9 oblivione scripserit, oblivio ortum sit ex præcedente silentio.

sta arma pio iustoque se tutarentur bello, vel ad extremum — semel statuerent, quid donatum ex alieno Masinissæ vellent. Orationis forma apertissime postulat, ut hæc quattuor verba sinerent, disceptarent, permitterent, statuerent ad idem subiectum referantur, Romanos. Verum Romani apud socium populum disceptare non poterant: id enim eorum est, qui causam suam agunt, populo socio iudicante. In codice est: ut uel ex equo in socium populumque, quid cuiusque esset disceptarent. Scribendum igitur est (de Romanis): ut vel ex æquo inter regem socium populumque, q. c. e., disceptarent. Paulo ante (§ 3 et 4) sic interpungenda oratio est: Carthaginienses foedere illigatos silere; prohiberi enim extra fines efferre arma; quamquam sciant in suis finibus, si inde Numidas pellerent, se gesturos bellum; (correctio hæc est, caput illud de armis extra fines non efferendis ab hac re removens; sed aliud restare:) illo haud ambiguo capite foederis deterreri, quo diserte vetentur cet. Fortasse etiam scribendum haud ambigue; nam caput ipsum non ambiguum esse, declaratur vocabulo diserte. Extremo capite (§ 9 et 10) editur sic: Tutam servitutem se (cod. iuventutem ei) sub dominis Romanis quam libertatem expositam ad iniurias Masinissæ malle. Perire namque semel ipsis satius esse quam sub acerbissimi (cod. acerbissimo) carnificis arbitrio spiritum ducere. Causæ significatio (namque) parum apta videtur. quoniam non idem est perire semel et in tuta servitute vivere. Codex habet: perire neque semel ipse satius ipse esse quam cet. Videtur olim scriptum fuisse: Perire quoque semel ipsis satius esse quam cet. [Rectius Vahlenius: Perire denique.]

(519) Cap. 24, 1: Interrogari Gulussam placuit, quid ad ea (quæ legati Carthaginienses questi erant) responderet, aut, si prius mallet, expromeret, super qua

re Romam venisset. Codex: super qua re præ Romam venisset. Potuitne sic mutari ipse (Rom. ven.)? Præterea potius librarium expromeret pro expromere scripsisse putem propter responderet et mallet quam Livium in hac sententiæ conformatione hæc variasse: Interrogari G. placuit — aut expromeret, moleste oblitterato sententiæ primariæ et secundariarum discrimine. Minime raro in cod. Vindobonensi et prave infinitivo adhæsit t, ut in hoc libro c. 25, 11 (deberet), c. 29, 3 (exspectaret), c. 31, 6 (recognosceret), c. 37, 2 (tentaret — perliceret), c. 45, 5 (posset), aliisque locis (— c. 62, 4 imponeret et esset scribitur, retinetur medium credere —), et coniunctivo detractum est, ut h. lib. c. 25, 10 probare, XLIII, 1, 9 dicere, aperire, 7, 8 fuisse, XLIV, 28, 8 esse; alibi nt additum, ut c. 24, 8 statuerent pro statuere (cfr. ad XLIV, 2, 5). Ne c. 39, 6 quidem dubito quin Gronovius recte scribi voluerit: legati vel cum tribus venire iubebant vel si tantum agmen traduceret, obsides dare (cod. et edd. daret), nihil fraudis fore in colloquio. (Cap. 56, 1 nemo defendit iusso peteret.) Nimis sæpe elegantiæ falsa species obtenditur librariorum erroribus, ut statim c. 24, 9, excepto Bekkero, omnes propter talem speciem spreverunt necessariam Gronovii emendationem: nec novos statuere fines sed veteres observare (pro observari) in animo habere. In animo habeo fines observari pro eo, quod est volo, iubeo, Latinum non est.

Cap. 25, 4 (in oratione trium legatorum, qui in Macedoniam ad res repetendas missi fuerant, in senatu) in codice scribitur: Suæ orationis summam fuisse, foedus cum Philippo ictum se cum ipso eo post mortem patris renovatum. Scribi debet: foedus c. Ph. ictum esse, cum ipso eo — renovatum. (Edd. foedus, cum Ph. ictum, cum ipso eo cet. XLIII, 1, 7 cod. in Macedoniam se pro in Macedoniam esse.) Sed graviore mendo

(520) corrupta oratio est § 8; editur enim: Regem ad ea primo accensum ira inclementer locutum, avaritiam superbiamque Romanis obiicientem frequenter, quod alii super alios legati venirent speculatum dicta factaque sua, quod se ad nutum imperiumque eorum omnia dicere ac facere æquum censerent, cet. Et locus, quo ponitur adverbium frequenter, suspectum id facit, et sententia; neque enim, quid frequenter rex dixerit, exponitur, sed quid in una oratione primum, quid postremum; neque recte, quæ sequuntur (quod alii super alios cet.), avaritiæ superbiæque accusatione comprehenduntur. In codice pro frequenter scribitur frequentem. Nemo peritus negabit, Livium scripsisse: avaritiam superbiamque Romanis obiicientem **querentemque**, quod alii cet.; que excidit ante quod. Speculatum Kreyssigius posuit, quum in codice esset speculati (Gryn. et ceteri speculari); propius paulo est speculaturi; [sic Rupertius]. XLI, 19, 10 pro expugnaturi codex habet expugnari; XLIV, 9, 10 cod. progressus, Grynæus recte progressurus. Etiam XLIV, 4, 11 Weissenbornius recte transgressurus pro transgressus. Paulo post § 11 scribendum est: Si novum foedus secum facere vellent, convenire prius de condicionibus debere (hoc separatim tamquam caput rei ponitur); si in animum inducerent, ut ex æquo foedus fieret, et se visurum cet. (Cod. deberet, edd. debere, et, si.) [Tum e scriptura codicis: credere p. consulturos geminatis simpliciter litteris faciendum credere e re p. cons. Consulendi rei p. notio hic minus apta est. 1864.] Extremo capite (§ 14) nuper, codicis mendo revocato, sententia et oratio sic corrupta est: litteras mitti consulibus placuit, ut, uter eorum esset (consul? aut quid?), Romam ad magistratus creandos veniret. Recte Gronovius ceterique posset. Esse pro posse scribitur in codice etiam c. 12, 2, esset pro posset c. 36, 3.

Cap. 26. In hoc capite complura emendanda sunt, minora alia, alia paulo maiora. Primum ipsum initium attingendum est (§ 1 et 2): Magis e re p. visum erat, comprimi ac sedari exasperatos Ligures, quum Macedonicum bellum exspectaretur. Gentium quoque (521) (— sic sententiæ separandæ sunt —), Illyriorum regem, suspectum Issenses legati fecerunt, simul questi fines suos secundo populatum, simul nuntiantes cet. Nihil est secundo populatum pro iterum aut potius (quoniam res ante commemorata non est) bis. Cod. habet: simul quæstionesuosecundopopulatum, ex quo fit simul questi, fines suos **eum depopulatum.** Geminato s ex seumde ortum secundo, quemadmodum II, 23, 8 in M ex se undique ortum est secundique. Pro suspectum Issenses cod. susceptum esse, in quo magis significari videtur Issæi (Issei); etiam § 4 de recessisse (sic enim scribitur) facilius prope ex: de rege Issæi quam ex: de rege Issenses oriri potuit; utraque nominis forma Livius utitur (Issæus XXXI, 45, 10, XLII, 48, 8; nec valde dubito, quin XXXII, 21, 27 Issæi lembi appellati fuerint a Livio, non Issaici). Paulo post § 4 pro: quæsitum, ecquid ita non adissent magistratum in cod. est: quæsitum et quid cet., unde effici debet: quæsitum est,, quid ita. Nam ecquid ita neque dicitur usitate neque rationem habet, quoniam de causa, non de facto quæritur. Deinde prave § 6 editur: Responsum tamquam legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit. Nam adire postulo neque Livius neque alii bonæ ætatis prosæ orationis scriptores dixerunt (— postulo me adire recte dicitur —), et in codice non adire, sed adirent scriptum est. Itaque transpositis ut et qui scribi debet: Responsum tamquam legatis, qui, ut adirent senatum, non postulassent, d. n. pl. (hoc est: hominibus iis, qui non post.). Sequitur et lenissima et certissima correctio mendi prima specie per-

difficilis. Editur enim: mittendosque ad regem (Gentium patres) legatos censuerunt, qui nuntiarent, qui socii quererentur apud senatum, exustum a rege agrum, non æquum eum facere, qui ab sociis suis non abstineret iniuriam. Etiamsi cum Gronovio quod socii scribas (sine quo oratio non cohæret), inepte tamen
(522) senatus in decreto rhetorice ustum agrum dicat, qui ante in querelis populatus dicitur; exustum agrum nemo umquam dixit; is enim igne consumptus intellegeretur. In codice est: quis socii quererentur senatum exustumare non æcum eum facere, cet. Præpositionis apud aut substantivi agrum vestigium nullum est. Duabus litteris mutatis fit: qui nuntiarent, **quid** socii quererentur; senatum **existumare,** non æquum eum facere, qui ab sociis s. n. a. ini. Notus est verborum existimandi, arbitrandi, censendi in decretis usus; existumabit vetere ratione scriptum in codice c. 29, 6. § 7 sequuntur hæc: Ex Asia — legati redierunt, qui renuntiarunt, Eumenem in ea, Antiochum in Syria, Ptolemæum in Alexandria sese convenisse. In codice sic scribitur: — erant, redierunt legati qui redierunt Eumenen ine Anthiocum cet. Quod Weissenbornius pro in ea (nam alterum **a** in cod. intercidit ante eandem litteram) restituendum loci nomen putat, ubi Eumenem legati convenerint, ea significatio satis inest in illo pronomine. Nam ex Asia ea, quæ proprie et præcipue appellabatur, redisse dicuntur Eumene ibi convento.[1]) Postremo § 8, ubi in editis scribitur: et civitates socias adisse; ceteras satis fidas, solos Rhodios fluctuantes — invenisse, in cod. est: satis fidas socios fluctuatis; oportuit scrip-

[1]) In Alexandria pro Alexandriæ natum est ex ultima littera nominis Ptolemæum, præcedente præsertim bis in. Quod in Syria præcedit, ideo non magis dici potuit in Alexandria quam Romæ Syracusarumque pro Romæ Syracusisque.

tum: ceteras satis fidas, Rhodios fluctuantes. Ex (523) Rhodios factum socios.[1])

Cap. 28, 8: Eodem die decrevit senatus, C. Popillius cos. ludos per dies X Iovi O. M. voveret donaque circa omnia pulvinaria dari, si res publica X annos in eodem statu fuisset. Ita, ut censuerant, in Capitolio vovit consul ludos fieri donariaque dari, quanta ex pecunia decresset senatus, cet. Mira in priore sententia inæqualitas est: ludos — voveret donaque dari, omisso apud alterum nomen, addito apud alterum verbo; in altera enim sentenia ad utrumque additur (ludos fieri donariaque dari). In codice est: donaque circa omnia pulvinaria dari r. p. X annos cet. (omisso si). Scribendum: pulvinaria, si; nam dari ex asi ortum est. Aliud in altera sententia mendum est. Nam dona dis voventur et dantur, non donaria, quod nomen et ipsa forma (Gr. Lat. § 180, 3) et auctoritas Vergilii et Lucani de loco, ubi dona reponantur (thesauro), dici ostendunt; nam apud Tacitum Ann. I, 44 iam pridem intellectum est, donaria militaria pro donis militaribus, quæ constanti et legitimo nomine appellabantur, orta esse rectracta ex adiectivo terminatione. Livius quidem, qui tribus ante versibus recto et usitato nomine usus esset (ludos — dona), non poterat, quum eandem rem iterum significaret (ita, ut censuerant, ludos), pro altero nomine novum et inusita- (524) tum substituere. In codice est donarique dari. Apparet, quum scriptum esset donaque, inter fieri et dari effectum esse tertium infinitivum.

Cap. 29, 3, ubi de Prusiæ consiliis agitur; editur inde a Grynæo: statuerat abstinere armis eventumque

[1]) [§ 9 eadem lacunæ supplendæ forma, quæ Vahlenio placuit, mihi 1863, quum codicem conferrem, in mentem venit.] Cap. 27, 5, ubi editur: et socios Latini nominis IV millia peditum, Gronovius autem requirebat socium, codex habet: et socis, ex quo fit: et e sociis.

exspectare; sed in codice scribitur: — armis equitum eventum exspectare, in quo manifestum est latere copulam et vocem ad sententiam aptissimam et pæne necessariam; scripserat enim Livius: abstinere armis et quietus eventum exspectare. Accedat igitur hoc exemplum corruptarum ab hoc librario vocum quiesco et quietus iis, quæ p. 602 et p. 617 collecta sunt, adiungaturque his XLIV, 3, 3, ubi ex posuerint quieverintque. quod ego et Vahlenius restituimus (neque enim est, cur re verbo præponamus), ortum est posuerint fuerimque. (1864.)[1]) Deinde § 6 quæ de Antiocho Syriæ rege scribuntur: et ambigendo de Coele Syria causam belli se habiturum existimabat gesturumque sine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum, et propter concursum inelegantem extremorum horum verborum (quum præsertim id bellum aliud sit ac Macedonicum) et propter obiectum (id bellum) mire in extremum locum post ablativos reiectum vehementer offendunt, confirmatque mendi suspicionem, quod in codice non bello id bellum, sed bello quod bellum scribitur. Perspicuum est, primam sententiam terminari his verbis: occupatis Romanis in Macedonico bello, ut ad gesturum obiectum audiatur ex superiore belli (causam b.). Deinde scribendum videtur: **Quæ uellent** tamen, omnia — eximie pollicitus erat. (Cfr. XXIV, 40, 8.) Ex quæ uellen, semel scripto **t**, facile oriri poterat quod bellum. Unum tamen restat;
(525) nam pro eximie in codice est exine, hoc est, enixe, magno

---

[1]) Initio capitis (§ 2) eius corruptum est, nisi Livius miro errore Persei nomen ante se posuisse putavit. Sed regis substitui non debuit, quæ appellatio non Persei magis quam Eumenis ceterorumque erat. Post scelere non ita difficulter Persei depravari potuit. Extremo capite (§ 12: Odrysarum rex et ad Macedonum partis erat; sic enim in codice scribitur) quid lateat in et ad, nescio; iam non subest. (Ad Mac. partes ierat neque Latinum neque aptum esse videtur.)

studio. Nam eximie promittere, quod hinc in lexicis ponitur, nihil est. [Sic iam Kreyssigius.]

Cap. 30, 1 (ubi agitur de habitu animorum in Græcia, instante bello inter Romanos et Persea) in codice sic scribitur: in liberi (sic) gentibus populisque gens ubique (in editis: plebs ubique) omnis ferme, ut solet, deterioribus erat ob regem Macedonasque inclinata. Scribendum est igitur: in liberis gent. pop. **egens** ubique **multitudo** omnis ferme, ut solet, deteriorum (Gron. deterioris) erat, ad regem Macedonasque inclinata. [Possis etiam suspicari: deterioribus favebat. 1864.][1]) Deinde § 4, ubi in libris editis sic scribitur: quosdam ventosum ingenium (agebat), quia Perseus magis auræ popularis erat, dubitari nequit quin mendum lateat; nam auræ popularis esse (magis esse), Latine nihil aliud significare potest nisi totum auræ (526) populari deditum esse eique servire: dem Volksgunste ganz gehören; quamquam aura non facile ita animo concipitur, ut aliquis eius esse dicatur; multum (plus) auræ popularis habere longe aliud est. Atqui ex eo, quod Perseus ipse auram popularem captabat, non efficiebatur, ut aliorum ventosa ingenia ad eius partes traherentur. Tum demum, si aura popularis Perseo favebat, eam ventosa ingenia sequebantur eodemque se inclinabant. In codice non Perseus est, sed Persea. Itaque scribendum est: quia **ad** Persea magis **aura** popularis **ierat** (se converterat). Ad excidit post **a**.

Cap. 32, 2 et 3 (ubi C. Cassius consul collegam P. Licinium negat in provinciam ire posse): Prætorem eum (P. Lic.), ne in proviniam iret, in contione iurasse,

---

[1]) [Licentissime gens (præcedente que) in plebis mutatur, sublata significatione pauperis et infimæ turbæ, quæ est in egens. Etiam in proximorum verborum scriptura Hertziana erat non recto loco ponitur. 1864.]

se stato loco statisque diebus sacrificia habere, quæ absente se recte fieri non possent; quæ non magis consule quam prætore absente recte fieri possent. Si senatus non, quid vellet in consulatu, potius quam, quid in prætura iuraverit P. Licinius, animadvertendum esse censeat, se tamen futurum in senatus potestate. Quid esset in his vitii, etsi Gronovius magna ex parte sensit, tamen neque is totam perversitatem perspexit neque ceteros movit. Primum prorsus perverse bis scribitur: quæ — fieri non (quæ non — fieri) possent in sententiis diversissimi generis; altera enim pars est iuris iurandi Licinii, quæ recte coniunctivo modo effertur; altera argumentum continet ipsius Cassii inde ductum, quæ necessario infinitam orationem habere debet, quoniam quæ nihil aliud est nisi: ea autem (porro). Deinde in altera sententia, quemadmodum quidem nunc est conformata, recte Gronovius vidit, negationem tollendam esse, eique Bekkerus paruit. Hoc enim Cassius dicit, si ius iurandum Crassi in prætura datum valeat, nihilo eum magis nunc consulem in provinciam ire posse, eadem impe-
(527) diente re; si tamen senatus Crassi voluntati gratificans iuris iurandi oblivisci velit (hoc est: potius, quid velit nunc, quam quid ante iuraverit, animadvertendum censeat et spectandum), se in senatus potestate futurum. Prorsus ridicule Cassius dicat, si senatus (quod ipse postulat) non Crasso obsequatur, sed ius iurandum observari velit, se tamen senatui (suæ sententiæ adsentienti) pariturum esse. Verum alibi vitii sedem esse, ostendit particula tamem prave in apodosin longe reiecta, quæ initio poni debuerat: si tamen senatus cet. Itaque initium loci emendandi hoc est, ut intellegamus, novam sententiam incipere ab his verbis: Se tamen futurum cet., condicionem (si senatus) ad superiora pertinere. Sic igitur oratio describenda est: quæ (sacrificia) non magis consule quam prætore absente recte fieri posse, si senatus non, quid vellet in consulatu, potius

quam, quid in prætura iuraverit P. Licinius, animadvertendum censeat. Se tamen futurum in senatus potestate. Negat recte ius iurandum neglegi posse; senatui tamen committit. Fateor tamen, rectiorem fore condicionis formam, si sic scribatur: quæ non — recte fieri posse, **nisi** (ni pro nt in possent) senatus, quid v. i. c., potius cet., ut cum improbatione excipiatur aliquid (nisi); depravato nisi additum putabitur non. Unum restat; nam pro vellet in hac orationis forma (nisi senatus, quid —, animadvertendum censeat) et hac contrariorum compositione (quid vellet — quid iuraverit) necessario restituendum est velit.[1]) Sub finem capitis in his verbis (§ 7): Quum tribuni militum centuriones, sed primum quemque, citarent, tres et viginti centuriones, qui primos pilos duxerant. citati tribunos plebis appellarunt, recte Creverius animadvertit, (528) particulæ sed locum non esse; hoc ipso homines offendebantur, quod centuriones primus quisque citarentur, hoc est, continua serie, nullo discrimine, quos quisque antea ordines duxisset (vid.. quæ de significatione verborum primus quisque exposui ad Cic. Fin. II, 32 p. 318). Codex habet: eum tr. mil. qui centuriones sed primum quemque. Scribendum est: quum tribuni mil., qui centuriones essent, primum quemque citarent. Erroris origo ex es semel scripto manifesta est. [Cur essent Livius scripserit, non fuissent, dictum est in libro, cui titulum feci Kleine philolog. Schriften, p. 516 n. et p. 522 sqq.]

Cap. 33, 1: Eo (ad subsellia tribunorum) M. Popillius consularis advocatus, centuriones et consul venerunt. Enumerationem in membrorum coniunctione vitiosam

---

1) § 5 non debebat Kreyssigius dubitare quin in hac codicis scriptura: Dilectum consules multo intentiorem curam habebant non tam dilectus quam intentiore cura restituendum esset. Non curam dilectus consules habebant, sed ipsum dilectum intentiore aut remissiore cura.

(vid. ad III, 1, 5) Weissenbornius emendare voluit, scribens advocatus et centuriones. Sed nimis nude dicitur advocatus et prave ante ipsos centuriones advocatus eorum nominatur. Itaque Gronovius advocatus centurionibus scribi voluit; sed sic ipsi centuriones prorsus submoventur. Accedit ad cetera, quæ dubitationem habent, quod satis incommode primum M. Popillius advocatus nominatur et universe consularis appellatur, deinde post duos versus, quasi nondum significatus sit, sic inducitur: Pro centurionibus M. Popillius, qui biennio ante consul fuerat, ita verba fecit. Hæc mihi consideranti Livius videtur primum tantummodo eos nominasse, quos inter certabatur: Eo centuriones et consul venerunt, deinde, procedente narratione, quum contionis advocatæ mentio facta esset, Popillium commemorasse. Librarius aliquis, qui omnes primo statim loco nominari vellet, addidit: M. Pop. consularis advocatus, vel potius hoc totum ex adnotatione margini ad argumentum indicandum adscripta, quales permultas in prima decade animadvertimus, ortum est. Nam huiusmodi adnotationis alterum exemplum manifestissimum tenetur in lib. XLV, 41, 1 sic Livii verbis intermixtæ: Quamquam ob quam h. paulo ratio (scrib. L. Pauli oratio) ad p. r. felicitate.

(529) Cap. 34, 15 (in oratione Sp. Ligustini centurionis, ubi commilitones adloquitur) non video, quid in his verbis: etsi appellationis vobis usurpatis ius dativus pronominis sibi velit; nec centurionibus peculiare fuit appellandi ius, quod usurparent. Codex habet: etsi appellationem uos usurpatis ius; efficiendum erat: etsi appellatione uostrum usurpatis ius.[1])

[1]) In § 9 quæ verba Dukerum offenderunt (deinceps bis, quæ annua merebant legiones, stipendia feci), ea intellegenda puto de militia in iis legionibus, quæ in Italia quotannis adversus Gallos Liguresque et ut ad urbem paratæ essent, scribebantur et æstate circumacta dimittebantur, eaque stipendia ab iis se-

Cap. 37, 2: Decimius missus est ad Gentium, regem Illyriorum, quem si aliquem respectum amicitiæ eum [Vahlenio teste cod. cum] habere cerneret, tentare aut etiam ad belli societatem perlicere iussus (cod. temptaret ut etiam — perliceret, non raro, ut supra dixi, errore, præsertim post cerneret). Perverse hæc dici Perizonius sensit. Nam neque (quem —) iussus pro iussus est accipi potest neque, etiamsi addatur est, apta est in consilio significando relativa hæc sententia. Tollendum est quem aut ex aliquem errore ortum aut, quum orationis structura non intellegeretur, additum: D. missus est ad Gentium, —, si — cerneret, tentare — iussus. Sed aliud præterea subesse mendum videtur. Nam tentare nimis infinite ponitur, nec intellegitur, ad quam rem tentandus Gentius fuerit, quoniam belli societas ab hac tentatione (530)
separatur, aut quis in etiam significetur ascensus. (Si quis si interrogative accipere et cum tentare coniungere conetur, obstet cerneret; pravum est enim: tento, si (ipse) cernam; poterat dici: si aliquem amicitiæ respectum haberet, tentare.) Itaque scribendum puto: **retentare** aut etiam ad belli societatem perlicere iussus. Ante omnia Decimius retentare Gentium, ne Persea in suas partes trahentem sequeretur, iubebatur, deinde, si posset, etiam ad belli societatem perlicere. Facillime post cerneret excidit re ante t. Retentandi verbo Livius etiam X, 5, 3 usus est.[1])

---

parari, quæ extra Italiam non certo tempore, sed bellorum diuturnitate finirentur. Quamquam non admodum placet stipendia (ea) facere, quæ legiones mereant. [Fortasse: bis in iis, quæ annuæ merebant legiones, stip. f. 1864.]

[1]) [Hartelius: Decimius missus est ad Gentium regem Illyriorum eumque si aliquem respectum amicitiæ secum habere cerneret, tentare, ut etiam ad belli societatem perliceret iussus, cuius correctionis prior pars (eumque — cerneret) præstare videtur, de altera dubito, quod et tentare ut perliceret pro perlicere inutiles ambages habere videtur et etiam abundare.]

(De § 4 dixi ad III, 1, 5 p. 70.) [§ 6 Siesbyeus recte intellexit in his: cui rescribi non placuit, nuntio ipsius, qui litteras adtulerat, dici cet. prave ipsius pro eius poni omninoque genetivum abundare, contra rectam orationem effici, si scribatur: nuntio ipsi, qui litteras adtulerat, dici cet. 1864.] Deinde, quoniam § 7 quod verbum pro audiebant ex eo, quod in codice est, fremebant, effici debeat, incertum est, obiicitur in § 8 maioris moliminis quæstio de iis, quæ sic eduntur: Achæis indignantibus, eodem se loco esse, qui omnia a principiis Macedonici belli præstitissent Romanis et Macedonum Philippi bello hostes fuissent, quo Messenii atque Elii, qui pro Antiocho hoste arma adversus p. R. tulissent ac, nuper in Achaicum contributi concilium, velut præmium belli se victoribus Achæis
(531) tradi quererentur. Vitiosa abundantia ii, qui omnia se a principiis Macedonici belli Romanis præstitisse gloriantur, Macedonum Philippi bello (quod sic appellatur, quasi aliud ac Macedonicum sit) hostes se fuisse addunt; nec minus abundanter Antiochum hostem fuisse admonent (pro Antiocho hoste). Permire deinde Achæi ita cum Messeniis atque Eleis se comparant, ut in se Macedonici tantum belli rationem habeant, in alteris tantum Antiochici, quum significari debeat, ipsos semper Romanos favisse, alteros semper in alteram partem propensiores fuisse. Ad has suspicionum causas accedit, quod in codice sic scribitur: — præstitissent Romanis et Macedonis Philippo bello hostes fuissent Messeni adque Æli pro Antiocho hoste a roma adversus p. R. tulissent cet. Prorsus non dubito quin et verba aliquot coniuncta ex suo loco in alienum traiecta sint (cuius erroris ex ceterarum decadum codicibus exempla posui ad XXXVI, 34, 9 et 10 et iis locis, quos ibi demonstravi, in Vindobonensi autem codice certissimum coarguam in libro XLIV, 44, 2) et simul alia quædam corrupta. Nihil enim poterit aptius excogitari, si locum sic

scripserimus: — eodem se loco esse, qui omnia a principiis Macedonici belli præstitissent Romanis, quo Messenii atque Elii, qui et [Macedonis] Philippi bello hostes fuissent et pro Antiocho **postea** arma tulissent ac, nuper — contributi —, — quererentur. Singulatim mali animi documenta trium temporum ponuntur. Ex posteaarma (postearma) quam facile oriri (532) potuerit hoste a roma, apparet. Non est hæc lenis emendatio et tamen prope certa mihi videtur.[1])

Cap. 38, 2: Inde in Ætoliam progressi (Q. Marcius et A. Atilius legati Romani) ac paucos ibi morati dies, dum in prætoris mortui locum alius sufficeretur, et, Lycisco prætore facto, —, transierunt in Thessaliam. Narrationis ordo et cursus postulat, ut tollatur et ante Lycisco.[2]) Medio capite (§ 5), ubi sic editur: quum culpam in Ismeniam — conferrent et quasdam civitates dissentientes in causam deductas, appariturum id esse Marcius respondit; singulis enim cet., apparet, excidisse in altero membro verbum aliquod (dicerent, demonstrarent); neque enim in hac orationis forma: culpam in Titium confero et Seium deceptum, audiri ullo pacto potest dico; eam autem esse sententiam excusarique civitates non sua voluntate in societatem cum Perseo deductas, et per se perspicuum est et ex c. 43, 5. Quod editur, significat causam in Isme-

[1]) [Ipsum postea in cod. esse Vahlenius scribit. Quum verba bello hostes in codice non esse crederem, a. 1860 Philippo favissent scripseram.]

[2]) Paulo ante (§ 1) nihil certius est Drakenborchii coniectura: in Orestas, ut præsidio essent liberatis a Macedonibus (cod. et edd. liberatis ab se Macedonibus). Vitiosissime Livius scripsisset et legentes decepisset, si, quos nuper Orestas dixisset, eos liberatos a senatu Macedonas appellasset, quamquam Macedonum ea gens erat. [Paulo supra miror cur non scriptum sit escendissent. 1864.]

niam et civitates coniunctim collatam. [Wesenbergius: dicerent ab eo.]

Cap. 40, 7 (in Q. Marcii ad Philippum oratione): Thebanos legatos, Euersam (?) et Callicritum, venientes a nobis, quærere malo, quis interfecerit, quam arguere. Cod. a nos; scrib. ad nos, sublato errore, in
(533) quem persæpe hic librarius incidit (**a** pro ad). Interfectos hos homines esse, quum Romam irent (delaturos se ad Romanos professi, quæ a Perseo agerentur), non quum inde redirent, apparet e c. 13, 7. (In § 1 sitne simpliciter tollendum nos an mutandum, nescio; cum respondeamus quidem coniungi nequit.)

Cap. 41, 9 (in Philippi ad Marcium oratione): Et hæc quidem mihi tamquam causam dicenti reo obiecta sunt, illa tamquam regi et quæ de foedere, quod mihi est vobiscum, disceptationem habeant. In hac orationis forma illa pronomen infinite demonstrat ea, quæ subiecturus post Perseus est, definiturque particula nam, quod genus pronominis ille ponendi apud Ciceronem frequens est (vid. Hand. Turs. II p. 379, Opusc. mea Acad. II p. 286); reliqua autem sic enarranda sunt: et eiusmodi, ut — disceptationem habeant. Sed ut concedam Livium hoc modo pronomine ille et particula nam hic usum esse, cuius usus unum præterea apud eum exemplum repperi, XXIII, 7, 3, neque prorsus contendam, post obiecta sunt dicendum fuisse haberent, certe neque tamquam regi et quæ sic coniungi possunt, ut quæ pro eiusmodi quæ (tamquam præcedente adiectivo) accipiatur, neque ea, quæ sequuntur, enumerationem habent rerum aptam ad illam infinitam demonstrationem definiendam, sed ipsam quæstionem, sintne ea, quæ Marcius commemoravit, contra foedus facta. Casu igitur nata est hæc rarioris dicendi formæ species scripseratque Livius: illa tamquam **regi, quæ** de foedere, quod mihi est vobiscum, disceptationem **habebant**. Habeat pro habebat in codice scribitur XLI,

23, 12, correctum a Weissenbornio, et similia alibi. (§ 2 frustra Livio adfingitur elegans, si dis placet, Græcismus, ut negare sit pro negare liceat dixisse putetur, quo Græcismo nemo in prosa oratione usus est. Recte Hearnius sit ex satis sit ortum putavit. § 3 quum in codice sit: ut accusare potius vere quam conviciantur videantur, non ita difficili negotio fieri possit: quam conviciari turpiter videantur, ut litteræ piter ob nonnullam similitu- (534) dinem litterarum vide interceptæ putentur. Sed eadem neglegentia librarius in conviciari præcepit proximi verbi (videantur) terminationem, qua paucis post verbis pro gravis publice scripsit gravidæ publicæ. Frustra ex talibus coniecturæ captantur.)

Cap. 42, 1 (in eadem oratione): At quum processissem inde ad visendas Larisam et Antrona et Pteleon, quo in propinquo multo ante debita vota persolverem, Delphos sacrificandi causa escendi. Neque quo pro ut, non sequente comparativo, Livius dixit, neque in propinquo persolvenda vota erant, sed Delphis ipsis. Codex: et Pycleon qua in propinquo Delphis sacrificandài causa multo ante debita vota persolverem Delphos escendi. Itaque aut sic scribendum videtur: quia in propinquo **eram** sacrificandi causa, **ut** multo ante debita vota persolverem, Delphos escendi, aut sic: quia in propinquo Delphi **erant**, sacrificandi causa, **ut** m. a. d. v. persolverem, escendi. Nam retineri utroque loco nomen (Delphi — Delphos) non potest sine orationis vitio. Infra § 6 nescio, qui factum sit, ut, quum in codice recte scriptum esset: — Eumenem esse [Vahlenio teste: Eumenenecesse]; conquiescere socios vestros non posse, Grynæus ederet: Eumenem esse, nec conqu. soc. vestros posse. [Antronas, ut est in codice hic et c. 67, 9, non Antrona Livium scripsisse apparet ex Strab. IX, p. 432 Cas., Ps.-Demosth. Philipp. IV, 9 vestigiisque codicum apud Diod. Sic. XX, 110 (cfr. Advers. crit. I p. 517).]

Cap. 43, 1. Huius capitis initium, manifesto plurium verborum defectu laborans, Grynæus frustra interpolando, ut integrum videretur, efficere conatus est. In codice sic scribitur: Et dicentem et cum adsensum Marcius auctor fuit mittendi Romam legati essent cum experienda omnia ad ultimum nec prætermittendum spem ullam censuissent reliqua consultatio erat cet. Apparet neque Marcium unius legati mittendi auctorem fuisse neque Marcii consilio sic rem confectam fuisse, ut tantum de tuto legatorum itinere consultatio relinqueretur. Plenæ (535) orationis forma hæc fere fuit: Et dicentem cum adsensu Marcius audire visus est et, quum dicendi finem fecisset, auctor fuit mittendi Romam **legatos**. Amici quoque regi ssecreto interrogati, mittendine legati essent, quum experienda omnia ad ultimum nec prætermittendam sp. u. censuissent, reliqua cet. Partem aliquam veri iam Weissenbornius sensit. [Restat dubitatio in § 2. Nam quid sit in gratiam petentis (alicuius) aliquid concedere aut omnino facere, satis constat (locis apud Schellerum et Freundium citatis addi possunt Liv. XL, 17, 2, Senec. Rhet. p. 401 Kiessl.); adiectivum augendi minuendive causa gratiæ nomini additum in hoc loquendi genere nusquam memini, neque magis in consimili formula, qua in honorem alicuius aliquid fieri dicitur (Opusc. Acad. I, 168.) [Legitur tamen VIII, 22, 4: in præteritam iudicii gratiam, sed alius generis id adiectivum est.] Itaque quum in codice sit etiam magnam gratiam, suspicor Livium scripsisse: et tamquam in gratiam petentis. Nam ficta etiam speciei significatio perapta et prope necessaria est. § 10 pro Ex contentione ortum certamen scribendum: Ex ea contentione (quæ ante significata est) ortum certamen. 1864.]

Cap. 44, 1: Chalcidem ut ventum est (agitur de Q. Marcio et A. Atilio), aliarum civitatum principes, id quod maxime gratum erat Romanis (tolli commune Boeotiæ concilium cupientibus), suo quique (cod. quoque)

proprio decreto propriam (Gryn. et edd. decreto Persei; falso Kreyssigius decreto in codice non esse tradit) societatem aspernati (cod. aspernata) Romanis se adiungebant (cod. diiungebant), Ismenias cet. Recte Kreyssigius et Weissenbornius in propriam latere viderunt regiam, quod propter proprio corruptum est. Deinde non minus certum est, recte Grynæum suo quique scripsisse; nam quod Weissenbornius interdum suus quisque eodem casu coniungi dicit, de ea re ipse distinctius exposui ad Cic. Fin. V, 17 p. 689; neque tamen umquam nominativum pronominis quisque a suo verbo seiunctum et ad suus accommodatum reperias; et sæpissime in codice Vindobonensi sic casus ad proxima accommodatur. Relinquitur proprio, quod tolli Kreyssigius voluit, sed tuetur propriam inde ortum. Opinor fuisse: suo quique et proprio decreto. [Vahlenius suo quique proprie probabilius. 1864.] Paulo post (§ 4), ubi scribitur: sed constantia principum, docentium —, quanta esset vis et fortuna imperii Romani, victa eadem multitudo et, ut tolleretur regia societas, decrevit et cet., pronomen eadem vitiose abundat, quum præsertim ne commemorata quidem antea multitudo sit, sed partes tantummodo eius significatæ (aliis — aliis). Scribendum: victa **tandem** multitudo. Origo mendi (victandem) manifesta est. (Cap. 38, 6 pro gente Thessalorum in codice est: gentessalorum, hoc ipso capite § 3 magnotu pro magno motu.)

Cap. 45, 4: qui (Hegesilochus) — multis rationibus (cod. multi orationibus) pervicerat Rhodios, ut — Romanam societatem — retinerent. Pervincere insolenter cum casu nominis coniungi, recte Drakenborchius animadvertit; [Tacitus tamen Hist. III, 74: Vitellium pervicere, ut absisteret]; sed quod scribi malit pervicerat, Rhodii ut cet., redarguitur verborum positu, perverse eminente populi nomine, quasi comparatio aliqua sit. Vide- (536)

tur Livius scripsisse: perduxerat Rhodios, ut cet. Etiam XLV, 13, 12 pro perduceret in codice scribitur perviceret. [Potiusne pervicerat apud Rhodios? 1864.]

Cap. 46, 6 (in responso Persei legatis ab Rhodiis dato): ne quid ab Rhodiis speraret (cod. separaret) aut peteret rex, quod veterem amicitiam, multis magnisque meritis pace belloque partam, diiungeret sibi ab Romanis. Perquam mirum loquendi genus, diiungere alicui amicitiam ab aliquo; debebat dici cum Romanis; etsi id quoque minus usitatum foret. Sed Livius scripserat: diiungeret sibi ac Romanis. Tum (§ 7) scribendum: Boeotiæ quoque civitates Thebas et Coroneam et Haliartum, adierunt; cod. et edd. et Thebas, quasi omnes enumerari significetur; ortum et ex sequenti th, ut c. 37, 4. [§ 1, ubi Grynæus edidit: et Byzantium et Rhodum litteras legatis ferendas dedit, in cod. est: et B. et Rh. et legati ferendas dedit. Excidisse quædam Creverius vidit, quorum hæc fere sententia fuit: et Byzantium et Rhodum et in alias civitates litteras de eadem re dimisit; tum subiiciebatur: Rhodum etiam legatis ferendas dedit. Cfr. § 2—3: In litteris eadem sententia ad omnes erat —. Apud Rhodios legati addiderunt cet. 1864.]

Cap. 47, 3 (ubi Q. Marcius et A. Atilius gloriantur de decepto per indutias et spem pacis Perseo, quod is omnia ad bellum præparata habuerit, Romani nihil): Spatio autem indutiarum sumpto, venturum illum nihilo paratiorem, Romanos omnibus instructiores rebus coepturos bellum. Non recto loco ponitur venturum; nam in contrarie relatis illum initio poni debebat. Sed manifestius mendi indicium codex præbet, in quo scribitur: — sumpto hæ cum venturum illum cet. Perspicuum est, universæ rei declarationi, quæ continetur verbis: Spatio — hæ cum venturum, adiungi explicationem hanc: illum (enim)
(537) nihilo paratiorem, Romanos omnibus instructiores rebus coepturos bellum. Nec dubitari facile potest, quin

hæ cum ortum sit ex æcum (sic enim partim scribitur alibi in codice, partim antiquitus scriptum fuisse ex mendis apparet, similiterque propincum scribitur c. 50, 7 et alia). Proximum igitur obiiceretur: Spatio autem indutiarum sumpto æquum venturum (ev.), si credi posset, ita Latine dici (es würde Gleichgewicht eintreten); sed neque æquum (nominativo casu) neque venire sic dicitur. Videtur latere aut: in æquum venturos aut: æquum certamen venturum. [Wesenbergius in æcum venturum, ut referatur ad exercitum.] (Spatium indutiarum sumere cum aliquo, quod video tentari, nihil est; vitiosus verborum ordo manet.)[1])

Cap. 48, 6 sqq. Primum sententiæ sic dirimendæ sunt: iussusque (M. Lucretius) ab sociis ex foedere acceptis navibus ad Cephalleniam classi occurrere, ab Reginis triremi una, ab Locris duabus, ab Uritibus (?) quattuor. Præter oram cet. Nam ab Reginis triremi una — traiicit vitiosum est (etsi rectissimum: triremi una traiicio). [Non improbabiliter Weissenbornius post occurrere plene interpungit, deinde participii ablativum, sumpta aut data, excidisse putat, ut hæc cum sequentibus coniungantur.] Deinde omissa post promuntorium præpositione in, quæ ex m littera orta videtur, scribendum est: Præter oram Italiæ supervectus Calabriæ extremum promuntorium Ionio mari Dyr-

---

[1]) § 9, ubi editur: Vicit ea pars senatus, cui potior utilis quam honesti cura erat, quoniam in cod. est utilius, recte Siesbyeus scribi iubere videtur utilium. Alterum apud Livium exemplum genetivi huius generis pro substantivo positi, V, 3, 9: si quidquam in vobis, non dico civilis, sed humani esset, Woelfflinus removit, addito animi post humani. (1876.) § 11 non recte pro accensdere, Kreyssigius et Hertzius scripserunt accersere. Neque enim A. Atilius ipse præsens aut propinquus Thessaliæ milites aliunde accersere debebat, sed Roma proficiscens a Licinio, qui Brundisii erat, in transitu accipere. (1864.)

rachium traiicit. Nam ut dicatur promuntorium in mari Ionio (paulo enim diversum est: in mari Ionio hæc sunt promuntoria), tamen parum apte sic scribitur, tamquam Calabria ad alia etiam maria obversa habeat promuntoria. [Italiæ nomen in codice transpositum post supervectus vix iure in suspicionem adducitur.][1])

(538) Cap. 50, 7 (in deliberatione Persei cum suis de bello Romano) quoniam sic in codice scribitur: unum esse Macedoniæ regnum et regione propincum et quod quia sic tibi (edd. sicubi) p. R. sua fortuna labet, antiquos animos regibus suis videbatur (edd. videatur) posse facere, fieri potest, ut in quia lateat ablativus contrarie relatus ad regione (et quod opibus similive sententia).[2]) Certius et mendum est et correctio extremo capite (§ 11): Postremo ita bello et pace quæri, ut inter omnes conveniat, nec turpius quidquam esse — nec præclarius cet. Non pace et bello nescio quid quærebatur (Weissenbornius, desiderari subiectum sentiens, res addendum esse suspicatus est, nulla sententia), sed utrum bellum an pax præferenda esset, deliberabatur; in ea deliberatione duo esse certa dicuntur; scribendum igitur sine ulla dubitatione: Postremo ita **de** bello et pace quæri, ut cet.

Cap. 51, 5: Pæones et ex Parorea et Parstrymonia — et Agrianes — trium millium ferme et ipsi expleverunt numerum. Primum Parastrymoniam eam regionem appellatam opinor; tum necessario scribendum ex-

---

[1]) § 9: ab Neapoli profectus, superato freto, die quinto in Cephalleniam transmisit. In cod. est per Cep.; fuitne: die quinto per mare Ionium Cephalleniam? (1864.) Cap. 49, 5 prave hæc coniunguntur: adversa, secunda, quæque; recte primum universe coniunguntur: adversa secundaque, tum subiicitur ex æquo: quæ-quæ (1864.)

[2]) Quod § 5 legitur sub casibus multis esse, suspectum esse non debuit; cfr. 52, 12: omnibus sub casibus maritimis fore.

pleverant; neque enim illo ipso tempore eum numerum
confecerunt, sed ante confectum tum habuerunt. Alioquin
ponendum erat explebant, ut § 9, c. 58, 13, XXXVII,
39, 10, XXXVIII, 26, 4, al. Eadem correctio facta XXXVIII,
6, 3 (locarant pro locarunt) et aliis locis supra facien-
daque erit c. 57, 2. [§ 6 editur: Et armatorum duo
millia Gallorum erant, præfecto Asclepiodoto.
Ab Heraclea ex Sintis tria millia Thracum cet. De-
est in Asclepiodoto patriæ significatio, quæ in ceteris præ-
fectis omnibus additur, Thraces autem auxiliares omnes
(nam nulli Thraces liberi præter hos nominantur, sed tan-
tum Thraces incolæ Pæonibus et Agrianibus interspersi) di-
cuntur non solum ex Sintis fuisse, quorum regio ad occiden-
tem Strymonis et Amphipolis posita sine dubio tum tota in
Macedonum dicione erat, sed ex una urbe Græca ibi con-
dita. Apparet ad Asclepiodotum hæc pertinere: ab Hera-
clea ex Sintis. Et Asclepiodotus ab Heraclea qui-
dem dicitur eodem modo, quo I, 50, 3 Turnus Herdonius
ab Aricia et XLIII, 19, 13 Adæus Macedo a Beroea,
ubi Cicero et Cæsar aliique ablativum solum ponunt, ab
Heraclea ex Sintis pro ab Heraclea Sintica vel ab
H. in Sintis (ἀφ' Ἡρακλείας τῆς ἐν Σίντοις) eo modo, quo Mag-
netes a Sipylo (Tac. Ann. II, 47), qui patriam habent Mag-
nesiam ad Sipylum et inde alio venerunt; vid. supra p. 431
n. 1864.] Extremo capite (§ 10) in codice scribitur: pari
ferme peditum numero ita summa, et potest ferri: Ita
summa, ut Livius significet, hanc summam ex superioribus
numeris effici; etsi, ut nunc sunt, reapse non efficitur, quo- (539)
niam phalangitarum numerus (§ 3) non satis definitur; pen-
det enim ex XL millium numero, qui non convenit cum ipsa,
quæ hic colligitur, summa. Sed ut XX millia phalangitarum
fuerint, non XXXIX, sed XXXVIII millia peditum efficiuntur.

Cap. 52, 5: Ipse (Perseus) constitit in tribunali,
circa se habens filios duos, quorum maior, Philip-
pus, natura frater, adoptione filius, minor, quem

Alexandrum vocabant, naturalis erat. Codex: filios duos, cuius vel quorum pars Philippus cet., ex quo „alia Livium scripsisse atque vulgo legantur“, recte Weissenbornius iudicavit; scripserat autem, opinor, sic: — filios duos, cuius **paris** Philippus natura frater, adoptione filius, minor cet. Par filiorum patrem cingebat. Corrupto paris nomine, quum cuius ad filios duos vitiose referri videretur, addita coniectura est: vel quorum. Philippum maiorem fuisse, notata in altero ætas satis ostendebat, ut omitti maior recte posset.

Cap. 53, 1: Quum per omnem orationem (Persei apud exercitum) satis frequenti adsensu succlamatum esset, tum vero ea vociferatio simul indignantium minitantiumque — exorta est, ut cet. Miror, qui omnes fefellerit, post tum vero desiderari eius temporis puncti significationem, quo summa vociferatio orta sit (contrariam illis: per omnem orationem); neque enim tum vero est tum vero tum, quod ipsum ridicule diceretur. Excidit igitur: ad hæc extrema aut simile aliquid.

Cap. 54, 3 (de oppugnatione oppidi Mylarum): Multitudo Macedonum ad subeundum in vicem proelium haud difficulter succedebat. Quid sit succedere ad subeundum proelium, nescio; succedere proelio novi; difficultas quidem succedendi necessario pertinet ad loci iniquitatem, non ad paucitatem multitudinemve. Codex habet sedebat. Scribendum esse aut suppetebat aut sufficiebat, perspicuum est etiam ex similibus locis, ubi oppug-
(540) nantium defendentiumque impar numerus commemoratur. Sequitur (§ 4): oppidani, depulsi muris, ad portam tuendam concurrunt. Frustra profecto portam tuerentur, si hostes iam muris potiti essent, nec postea demum (§ 5) per patentem portam hostes accepti essent, si nunc iam muris oppidanos depulissent. In codice scribitur: oppidani depulmoris ad portam cet. Livius igitur, quod res postulat, depulsum muris impetum narravit; verborum

restitutio incerta est; fuitne: depulso hoste (impetu, depulsa vi) muris? [§ 6 non dubito, quin perverse dicatur nec a Livio scriptum sit: incenso oppido profectus ad Phalannam castra movit; neque enim castra movit, quod et proprie et usu ipsum itineris initium et a priore loco discessum significat, participio profectus superaddi potest tamquam viæ tenorem indicans. Aut igitur in movit error est scripsitque Livius ad eandem formam, quam c. 61, 11: postero die profectus inde ad Mopselum **posuit** castra, aut prave additum est profectus ad declarandum, quid esset castra movere, quemadmodum XLIV, 2, 4. § 10 apparet, necessario geminatis duabus litteris is addendum esse (Ossæ montis. Is qua cet.) in transitu orationis ad novam rem proxime nominatam. 1864.]

Cap. 55, 5: (Consul Romanus) satis iam refectum militem ad Larisam ducit. Inde quum tria millia, ferme abesset a Tripoli (Scæam vocant), super Peneum amnem posuit castra. Perbreviter Livius Romanos Larisam, caput huius Thessaliæ partis, ingressos esse et ultra processisse significat; deinde castra quantum abfuerint a loco ignobili, dicit, utilius declaraturus, quantum is ipse locus a notissima urbe abesset. Atqui id ipsum Livius fecit, non in ipsam urbem Larisam pervenisse Romanos narrans: Inde (a Larissa) quum tria millia ferme abesset (cod. adesse), **ad** Tripolim (Scæam vocant) — posuit castra. Senserat Gronovius verum, non explicaverat; itaque nemo obsecutus est.[1]) Extremo capite (§ 8 et 9), ubi Livius, quam exigua Græcorum auxilia fuerint, exponit, sic in codice scribitur: Ætolorum male unius instar quantum ad tota gente equitem erat vene-

[1]) § 7 et 8 non eleganter ter ponitur Chalcidem — Chalcide — Chalcide; nihil tamen movendum; nec per se altero loco vitiose ponitur. Eodem miror Weissenbornium non attendisse referri ad castra Romana ad Tripolim.

rant et Tessalorum omnis equitatus partus (errat Kreyssigius) erat, non plus quam CCC erant adque in castris Romanos. Posteriorem partem de Thessalis rectissime Drakenborchius emendavit: et Thessalorum, quorum omnís equitatus speratus erat, non plus (541) quam CCC erant equites in castris Romanis. Nam separatus Thessalorum equitatus, hoc est, separatim tendens, mire fingitur, quoniam omnium populorum separati equites erant, neque quidquam id ad huius loci sententiam pertinet; refellit commentum una vox omnis; demonstrat Livius, quantum infra exspectationem Romanorum res fuerit. In tali comparatione exspectatæ rei et veræ nullum habet locum parenthesis illa, quam quidam finxerunt: et Thessalorum (— omnis equitatus speratus erat —) cet. Excidit quorum post orum. Hac expedita parte, prior etiam non difficulter expeditur, totusque locus ita recte continuatur: Ætolorum alæ unius instar, quantum a tota gente equitum venerat, et Thessalorum, q. o. e. sp. e., non plus quam CCC equites erant in c. R. Illa: quantum — venerat adiecta ostendunt, numerari omnes, quos tota gens miserit, non alios extra castra aliquo missos fuisse. Erat additum videtur, quum non animadverteretur, ad utrumque membrum communitur pertinere extremum illud: erant in c. R. [Rectius fortasse scribetur: Ætolorum alæ unius instar (tantum a tota g. eq. venerat) et Thessalorum cet. 1864.]

Cap. 56, 10 (postquam dictum est, Persea ad agros Pheræorum vastandos misisse, Romanos elici longius a castris et deprehendi posse ratum): Quos quum eo tumultu nihil motos animadvertisset, prædam quidem præterquam hominum — divisit ad epulandum militibus. Et particula quidem inepte posita et perversissima rerum coniunctio declarat, hic quoque quædam a librario prætermissa esse, quum huiusmodi fuisset integræ orationis forma: Quos q. e. t. n. m. animadvertisset, suos in castra

revocavit; prædam quidem cet. (Gronovius uno quidem offensus erat.) [Fortasse prædamque. — § 7 ex halopetica capta faciendum videtur Alope Phthiotica capta; nam et facile Phthiotica sic corrumpi potuit et recte hoc additur, quum altera esset in eadem vicinia, Chalcidi propior, Locrorum; et Thessalicam, hoc est, Phthioticam, Alopen significari, patet ex Larisæ Cremastæ adiuncta mentione. 1864.]

Cap. 57, 2: Sub idem deinde tempus consilium et consul et rex habuerunt, unde bellum ordirentur (cod. dirimerentur). Regis creverunt animi vastatione concessa sibi ab hoste Pheræi agri. Itaque eundum inde ad castra nec dandum ultra spatium cunctandi censebat. Codex censebant. Scribendum: **Regiis creverant** animi vastatione c. s. a. h. (542) P. a. Itaque — censebant. Quid regi sui in consilio suaserint, narratur; regi, regis pro regii, regiis sæpissime in codice scribitur, ut hoc capite § 11 regi quoque, c. 58, 8 regi equites, 11 sic regi. Non in consilio animi creverunt, sed auctis ex re læta animis in consilium venerunt. [Creverant iam Crev.] Sequitur: Et Romani censebant, cunctationem suam infamem apud socios esse, maximopere indigne ferentes, non latam Pheræis opem. Consultantibus cet. Præterquam quod insuavissime idem verbum bis ponitur (censebant. Et Romani censebant), non agitur h. l., quid (faciendum) censuerint Romani, sed cuius rei rationem habendam esse intellexerint. Itaque sequitur consultatio eaque ipsa interrupta, ut, quid censuerint, omnino non narretur. Manifestum est igitur, Livium scripsisse: Romani **sentiebant,** idque cum præcedenti verbo simili commutatum esse. Sed particula etiam necessario omittenda est in hac partitione (Consilium et consul et rex habuerunt. Regiis —; Romani —). Postremo pro maximopere scribendum maxime et propius ad codicem (maxumere) et ad sen-

tentiam rectius; hoc enim præter cetera indigne eos tulisse Livius dicit.[1])

Cap. 58, 7 (in descriptione aciei Macedonum): In dextro cornu Macedones erant equites; intermixti turmis eorum Cretenses. Huic armaturæ Medon Beroæus (cod. Midonuereeius), equitibus et summæ partis eius Meno Antigonensis præerat. Nusquam neque Livius neque alii sic armaturæ nomen de certa exercitus parte ponunt addito pronomine (hæc, illa armatura); nec ulla armatura antea nominata erat. Livius
(543) scripserat: **levi** armaturæ, Cretenses intellegens eosque ab equitibus separans. Paulo post (§ 10), ubi in codice sic scribitur: Quadringentorum manus utraque numerum explebatrationem tessalonicensem et certimanoptolopemum iis præfecit, latere videtur: expleverat; Stratonem Thessalonicensem et Artemona Dolopem iis præfecit. Pro Stratone poterat etiam in mentem venire Pration, Doricum nomen (Polyb. XXVIII, 19, 1). Grynæus Ionem et Timanora effecit. Weissenbornius falsa specie deceptus Neoptolemi nomen eo loco posuit, ubi civitatis nomen a Livio positum fuisse apparet. Sed tota res exigui momenti est. [Ionem pro Stratone commendat, quod XLV, 6, 9 legitur. 1864.][2])

Cap. 59, 1 (de proelio equestri inter Persea et Romanos): In hunc modum maxime instructæ acies — concurrunt, a funditoribus iaculatoribusque, qui præcesserunt, proelio orto. Scrib. præcesserant; poterat etiam dici præcedebant; perfectum in sententia

[1]) § 8 quoniam in codice scribitur: incertus quanta esset duos esse duos inde ex agmine cet., edi debet: inc., quanta esset **vis hostium**. Duas inde ex agmine cet. [§ 6 pro præcesserunt, quod ferri post prægressus nequit, scribendum videtur processerunt. 1864.]

[2]) [§ 5 duarum litterarum sede permutata efficitur nomen Græcæ formæ Καλλίνικος. 1864.]

eiusmodi interiecta pravum est. Medio capite (§ 6) quum in codice sit certo cendentibus [Vahlenio teste incendentibus] gradu, scribendum est: cum ordinatis et certo cedentibus gradu. Incedere de recipientibus se minus aptum est. [§ 8 quum in codice sit: ad insidias eumeni regis usus erat, aut addenda priori nomini littera s est, quod Grynæus fecit, aut detrahenda alteri, quod malim. Insidias legatorum, quæ legatis factæ essent, Livius dixit XXXIX, 26, 3; insidiæ alicui præter notum Sallustii locum in Catil. 32 dicuntur apud ipsum Livium V, 28, 12 (metum insidiarum effuse sequentibus sustulit), adiuvante toto verborum complexu, ut hoc loco præpositione ad; est enim ad insidias regi faciendas (XXIII, 35, 7 ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunæ; IX, 20, 5 pro remedio ægris rebus; XXVII, 37, 11 ad aliud sacrificium eidem deæ — edicta dies; nam dies hominibus edicitur, ut sacrum fiat deæ; cfr. XXIV, 10, 13.)][1])

Cap. 60, 1: Cecidere eo die ab Romanis ducenti (544) equites, duo millia haud minus peditum, capti ferme ducenti equites. Codex: capti ac (hoc est, ut sæpe, DC) ferme ducenti equites; itaque Kreyssigius et Weissenbornius scripserunt: capti sexcenti ferme equites, alterum numerum (ducenti) ex superioribus prave repetitum rati. Miror, non animadvertisse eos, indidem sumptum esse equites scribendumque tantum: capti DC ferme. Quis enim credat, quum quinque partibus plures pedites quam equites cecidissent, solos equites captos esse? Neque id Plutarchus, quem Kreyssigius testem citat, dicit (Æmil. c. 9), sed id ipsum, quod ego apud Livium efficio: *δισχιλίους* (545) *πεντακοσίους ἄνδρας ἀγαθοὺς* (equites peditesque) *ἀπέκτεινε καὶ ζῶντας ἄλλους ἑξακοσίους ἔλαβεν* (utriusque generis).

Cap. 61, 3: Hæc per se ampla pleraque multi-

[1]) [Quæ de § 7 disputaveram, iam non satisfaciunt; alia tentarunt Hartelius in Ann. Gymn. Aust. XVII p. 9 et Vahlenius ibd. p. 307.]

plicata verbis regis, quæ ad contionem vocato exercitu habuit. Non pleraque, sed omnia sine dubio aucta. Codex: ampleraquæ [Vahlenio teste ampletaque] multiplicata. Duobus igitur adiectivis Livius usus erat: ampla præclaraque. (Weissenbornius minus recte duo participia effecit.)[1]) Deinde (§ 5) in codice est: lectos in patrum, non: lectos in patrum numerum; puto Livium usitate scripsisse: lectos in patres. Paulo post (§ 8, in eadem oratione Persei) editur: Aut, si acie decernere volent, eundem pugnæ pedestris eventum exspectate, qui equitum in certamine fuerit. Neque coniunctivo in comparatione rei nuper ante oculos omnium gestæ neque futuro exacto locus est; scribendum necessario est: qui — fuit. Erratum ob sequens et. Sed præterea valde suspicor, Livium scripsisse: qui equitum certaminis fuit, ex **m** ortum esse in, deinde certamine. Extremo capite (§ 11), ubi declaratur situs tumuli, ad quem Perseus castra posuit, et narratio ad Romanos transfertur, vestigiis codicis (tumulus hijc ante tempeste est eminet larisæ medius abesto num non abscendentes ad ripa pænei cet.) obscure significari videtur huiusmodi orationis forma: Tumulus hic ante Tempe est et eminet, **eorum et** Larisæ (Ussingius: Philæ et Larissæ) medius. Abest **. **Romani** non cet., ut Livius eadem constructione usus sit, qua Ovidius locum medium iuguli et lacerti dixit. Sed res incerta est. [Itaque olim alia tentavi.] Mopselum tumulum cur eundem esse ac Mopsium oppidum credamus, nulla est causa.

Cap. 62, 6 (in oratione eorum, qui Perseo suadent, ut
(546) pacem a Romanis petat): Neque finiri bellum magnificentius quam ab tam memorabili pugna neque spem firmiorem pacis perpetuæ dari, quam cet.

---

[1]) § 1 dona — dono dabat iure Drakenborchius improbavit. Tollendum dona.

Codex pugna spem, omisso neque. Non unum igitur vocabulum addendum erat, sed duo: ab tam memorabili pugna **posse, neque** spem cet. Nam posse desiderari recte Creverius intellexit. Paulo post (§ 8) quod sic scribitur: Nunquam ab talibus consiliis abhorrebat regis animus; itaque plurium adsensu comprobata est sententia, ridiculum est; ex regis enim animi habitu et inclinatione ipsius sequitur adsensus, non aliorum; regis demum adsensu declarato, poterant alii adsentandi studio idem probare, etsi hic non adsentatio, sed timor valuit. Recta omnia erunt sublata vocula est (st), quæ ex sententia orta est: Itaque, plurium adsensu comprobata sententia, legati ad consulem missi. Plurium sententiam rex, in eandem partem sua sponte inclinans, secutus est. (Polyb. XXVII, 8: *Ταῦτα μὲν οὖν ἐδόκει τοῖς πλείοσι τῶν φίλων· συγκαταθεμένου δὲ τοῦ Περσέως ἐπέμποντο παραχρῆμα πρεσβευταί.*) Ab usu loquendi certissimo Livii et antiquorum discedit, quod § 11 legitur: Ita tum mos erat, in adversis vultum secundæ fortunæ gerere, moderari animos in secundis. Livius scripserat animo, ut alibi moderari iræ (IV, 7, 6), odio (XXXI, 44, 2), suæ fortunæ (XXXVII, 35, 5); longe diversum est, quod cum his Drakenborchius (ad IV, 7, 6) confundit, moderari iura infimis summisque, hoc est, regere et æqualiter distribuere. In talibus rebus perquam imprudenter faciunt, qui stabilito in ceteris libris usui unum exemplum ex his quinque libris opponunt, ab unius indocti et in vocum terminationibus sæpe incauti librarii fide pendentibus. Sequitur (§ 13) in codice: Hæc quum renuntiassent legati, miraculo ignaris moris pertinacia moris esse. Grynæus sublato altero moris substituit Romanornm, incommodo loco; sed quod quidam moris nullo addito (ne eius quidem) recte dici posse cre- (547) diderunt, falluntur, nec video, quid apud Polybium (XXVII, 8), qui citatur, huic sententiæ auxilii sit. [Romani moris ignoratio faciebat, ut Macedones pertinaciam eam, de qua

Livius narrat, mirarentur.] Librarius quum post moris omisisset Romani, dum retrahere omissum vult, quod sæpius ei accidit, in novum incidit errorem aliam vocem inserendo.

Cap. 63, 7 in descriptione Haliarti urbis a Lucretio prætore Romano oppugnatæ de oppidanis nudata muro proruto loca tuentibus hæc scribuntur: Super stratum ruinis locum fascibus aridis sarmentorum iniectis, stantes cum ardentibus facibus accensuros ea se sæpe minabantur, ut, incendio intersæpti ab hoste, spatium ad obiiciendum interiorem murum haberent. Mire in tali re frequentia minarum (sæpe) adnotatur. Codex habet: eam se sæpe minabantur. Non detrahenda erat in eam littera m, sed in sæpe ex sequenti (min.) addenda: accensuros eam se sæpem (e sarmentorum fascibus factam) minabantur.[1])

Cap. 64. Quoniam gravi vulneri, quod in § 4 huius capitis insidet, mederi nequeo, duo leviora tollam. Nam quod (in eadem paragrapho) sic editur: Nequidquam; primæ stationes oppressæ tumultu ac terrore suo ceteros excitaverunt, non est Latinæ et prosæ orationis illa exclamatio, præsertim non subiecto nam aut enim, sed verba sic distinguenda: Nequidquam primæ stationes oppressæ tumultu ac terrore suo ceteros excitaverunt, ut nequidquam tantum ad participium pertineat. Deinde § 7 quum in codice sit: ad Crannonam intactum agrum castra moventibus ibi, scribendum est: ad Crannona, intactum agrum, castra movent, vitato non bono verborum ordine (Crannonium intactum agrum). [Debuit scribi: Crannona in intactum agrum c. m. 1876.][2])

---

[1]) § 6 non mutandum erat verbum rectum et necessarium fuerat (quodque inter eas muri fuerat), sed supplendum, quod propter similitudinem excidit: quodque inter eas muri fuerat, corruerat. [Sic Kreyssigius.]

[2]) [Grave illud vulnus in § 4 lacunam occultare videtur excidisseque

Cap. 65, 8 (de Romanorum præsidio in tumulo a Macedonibus obsesso et oppugnato): Ingens (sic optime Kreyssigius ex religes, id est liges; nam re ex ingerere adhæsit) Romanos terror circumstabat; nam neque conferti pugnare propter eos, qui in tumulum connitebantur (sic egregie Weissenbornius e codicis scriptura: qui in tumulum conabantur), poterant et, ubi ordines procursando solvissent, patebant iaculis sagittisve. Mirum vero, non potuisse Romanos confertos pugnare propter eos, qui contra eniterentur; nam confertæ pugnæ hoc nihil omnino oberat. Sed verbi pugnare nullum in codice vestigium est, in quo sic scribitur: nam neque conferti propter eos. Livius posuerat: Nam neque conferti **propellere** eos, qui in t. con., poterant. Ut undique escendentes per præcipitia propellerent, solvendus erat orbis, quo medium tumulum conferti cingebant. [Prope petere, quod tentatum video, pro cominus petere Latinum non est.][1]) (548)

Cap. 66, 4: (Perseus universi certaminis casum subire paratus,) qui phalangem arcesserent, propere misit; qua et serius, quam res postulabat, et raptim acta, turbati cursu (cod. raptim aptatur turbati cursus)

---

relictis litteris inconste, extrema pars sententiæ et initium sequentis, cuius hæc fuerit forma: Omissa spe oppugnationis castrorum Perseus extemplo cet. In superiore versu scribendum videtur addita copula: in vallo et ad portas. Duo enim hi loci sunt. 1864.]

[1]) Connitebantur pro conabantur repositum in memoriam revocat Senecæ locum in ep. 95, 5, ubi scribi debet: Non potest toto animo ad honesta conniti (pro conari). [Nescio quid acciderit Hertzio, ut meam emendationem receptam (propellere) prorsus perverteret retento propter. Neque enim propellere absolute dici potest neque illi, qui tumulum ascendere conabantur (in tumulum connitebantur), impediebant propulsationem nescio quorum aliorum, sed ipsi propellendi erant, quod, qui collem tenebant, conferti facere nequibant, sed quum facere vellent, ordines solvebant. 1864.]

adversus instructos et præparatos erant adventuri (cod. adventura). Magna est in re facili et aperta, si attendas, sententiæ perversitas; nam ut nunc oratio conformata est (qua — acta), phalanx simul et serius, quam res postulaverit, et raptim acta dicitur, quæ repugnant inter se; omninoque non sero agitur agmen, sed lente. Apparet illa serius, quam r. post. non ad iter (acta), sed ad adventum (adventuri) pertinere et coniungi cum alterius incommodi significatione (turbati c. adv. instructos); nam phalanx et serius et turbata proelio occursura dicitur; illud raptim acta ita interponitur, ut causam perturbationis
(549) contineat. Itaque necessario quæ scribendum est et, quoniam durissime, præsertim interposito acta, ad singulos (turbati — erant) transitur et in ipso codice est adventura, ad hæc etiam accommodanda turbata et erat, ut hæc sit totius loci forma: **quæ** et serius, q. r. p., et, raptim acta, **turbata** cursu adv. instr. et pr. **erat** adventura. Infra § 8 scribendum esse intrare angustias (cod. introre, edd. introire), dixi ante aliquot annos; nam introire cum accusativo non magis Livius quam Cicero dicit.

Cap. 67, 8: (Consul P. Licinius Larisa) Eumene atque Attalo domum remissis, Misagenem Numidasque in hiberna in proximis Thessalis urbibus distribuit. Vitiosum est distribuere in hiberna in urbibus (pro eo, quod est in urbes); codex habet: misachinnumidisque hiberna in proxumis cet., hoc est: Misageni Numidisque hiberna in proximis Th. urbibus distribuit. [Scribi oportet: in proximis Thessaliæ (sic iam in editione Creverii) urbibus, ut et duplex adiectivum et poetica (nisi ubi de hominibus agitur) adiectivi forma vitetur. 1876.] Paulo post (§ 9), quoniam in codice est: Antrona voluntate mcolentium recepit, scribemus: voluntate incolentium. Postremo § 11 tollendum ex narratione ipsius eventi plus-

quamperfecti temporis verbum scribendumque: — eam oppugnare aggreditur. Primi omnium Macedones — metu excesserunt (cod. et edd. excesserant); a quibus relicti oppidani in deditionem — veniunt. [§ 12, ubi editur: Ad horum preces quia hibernis aptior regis cet., in cod. est: et horum præces quia cet. Apparet duplicem causam significari, quæ Licinium consulem in Bœotiam converterit, preces Bœotorum et, quæ cum precibus illis coniuncta non est, regionis ad hibernandum commoditatem. Itaque scribendum est: et ob horum preces et quia cet.; præpositio ad aliena est. 1864.]

Lib. XLIII.

Cap. 1, 1. In hoc libro incipienda mihi oratio a confessione culpæ et erroris est. Nam quum codicem Vindobonensem a. 1846 festinanter inspiciens et pauca inde excerpens in eam opinionem venissem, ipsum initium libri sic ibi scribi: Eadem æstate in Thessalia legatus in Illyricum (scribitur autem vere sic: Eadem æstate qua (550)
in Thessalia legatus in Illyricum), et quum nondum satis perspexissem, quam frequenter in hoc codice verba aliquot omitterentur, in libello academico, quem a. 1852 edidi (de Livii libr. XLIII initio e cod. Vindobonensi emendando), coniecturam de hoc loco restituendo prodidi et exornavi, quam oblivioni prorsus tradi cupio. Cetera, quæ in § 1 et 3 recte ibi emendavi, postea vidi iam a Weissenbornio in lectionum Livianarum parte priore occupata esse, nisi quod ex litteris eremiam aut ceremiam (oppugnaviceremiam), in quibus ego alterius ex duobus oppidis quæ Livius commemorat, nomen latere putavi, is eorum unum efficit, parum ut videtur, probabiliter. Ad reliqua pergo, quibus illius erroris culpam redemptum iri spero. Quamquam primum quidem minutula res attingenda est, non posse in § 10 et 11 ferri imperfectum tempus in hanc continuam præsentium seriem quasi ludendo inclusum: De-

cernunt — ut C. Sulpicius — tres — nominet legatos, qui — proficiscantur ex urbe et, quantum accelerare possent, Cassium, ubicunque sit, persequantur; nuntient, ne bellum cum ulla gente moveat, nisi cum qua senatus — censuerat. Scribendum possint. Non aberratur fere, ut sæpe dixi, nisi ubi una littera formæ distant; esset pro sit scriptum non reperias. Tum censuerat in censuerit mutandum esse, Perizonius vidit; ut enim indicativum feramus, cum nullane gente posthac bellum gerere licebat, nisi cum qua iam ante hoc tempus senatus gerendum censuisset? Nam censuisset in oratione obliqua post præteritum futuri exacti vicem sustinet, censuerat vere præteriti temporis est.

Cap. 2, 12 in his codicis litteris: neve cogeret (magistratus Romanus) uicensumas uendere hispanonis quanti ipse uellent apertissimum est latere primum Hispanos nisi; itaque non vellent in vellet mutandum erat, sed ipse in ipsi. Et ad Hispanos rectius refertur pronomen; alioquin Livius dixisset quanti vellet. (1864.) § 6 vereor ne Vahlenius aberraverit traxeritque Hertzium. Nam sumere recuperatores (iudicem) alicui neque alibi reperitur neque video, quam rationem dativus apud hoc verbum habeat; ferre alicui iudicem usitatum est. Contra cum aliquo recuperatores sumere, quoniam hæc privati iudicii forma est, eodem modo dicitur, quo agere cum aliquo. Nec longe diiunctum est, quod bellum cum aliquo sumi dicitur aut quod odium alicui cum aliquo esse (XXVIII, 18, 3, Cic. de prov. cons. 10, 24). Significatur enim omnino, quis ex altera parte sit. (1864.)

Cap. 3, 3 (ubi agitur de hominibus ex militibus Romanis et ex mulieribus Hispanis, quibuscum connubium non erat, natis, qui orabant, ut sibi oppidum daretur, in quo habitarent): Senatus decrevit, ut nomina sua apud L. Canuleium (prætorem, cui Hispania provincia evenerat)
(551) profiterentur, eorumque si quos manumisisset,

eos Carteiam ad Oceanum deduci placere. Duo in hoc decreto permira sunt, primum quod illi homines manumitti iubentur, quasi hactenus servi fuerint, quod neque Livius dicit neque ullo modo convenit cum iis, quæ de origine eorum tradit; qui enim ex cive Romano et muliere peregrina, quacum connubium non erat, natus erat, is liber, sed peregrinus erat more et iure Romano. Et qui poterant servi legatos ad senatum Romanum mittere? Deinde partem aliquam horum hominum a prætore manumissos esse significatur et Carteiam deductos (eorum si quos cet.); cur non omnes manumissi sint, quid discriminis factum et quid de ceteris decretum sit, non significatur. Quod per se constare poterat, aliquid esse in iis verbis, quibus decreti sententia indicatur, mendi, manifestum fit e codice, in quo manumissent scribitur, qua unius litteræ adiectione omnia recta et sana fiunt. Iubebantur illi homines nomina sua (ipsorum) profiteri et eorum, si quos manumisissent. Nam servos quidam eorum et habuerant et manumiserant; itaque his quoque libertinis, incertæ non minus, quam patroni erant, condicionis, consulendum erat. Deinde communiter de omnibus iis, quorum nomina edita essent, additur: eos Carteiam cet. Itaque colonia illa, quantum ex Livii narratione intellegi potest, non quod tota ex libertinis esset, libertinorum appellata est, sed quod multi ab initio libertini adscripti sunt. Præterea quod sequitur potestatem fore, numquam sic in decretis promittendi modo futurum ponitur, sed præsens iubendi; itaque sine dubio fieri scribendum est. (Forchhammer significavit aliquid obscuri in codice habuisse verbum fore. [Vahlenius adfirmat saltem fi et ri apparere.]) [§ 6 supplendum non quæ, quoniam sequitur erant, sed de iis, quæ. 1864.]

Cap. 5, 8 quod in codice mendose scribitur: munera mitti legatis ex binis millibus æris censuerunt duo fratres regulis hæc præcipua torques duo cet., Grynæus duobus fratribus regulis scripsit, ipsum, ut

videtur, Cincibili, a quo legati venerant, quem Livius § 1 regem, § 7 regulum appellavit, et fratrem, qui verba in senatu fecerat, intellegens, idque Hertzius secutus est; ego reguli posui. Nam nec, quum supra Livius regis regulive nomine de uno Cincibili usus esset, subito ad utrumque fratrem id nomen translatum credo, nec hanc præcipuorum inter legatos munerum mentionem etiam ad regem absentem pertinere, cui si munera senatus mittenda censuisset, ampliora sine dubio quam fratri legato misisset; neque legati Cincibili absentis comites appellari ullo modo poterant, ut in illa scriptura et erarratione fit (comitibus eorum). Itaque Cincibili inter legatos duos fratres miserat, quorum unus verba fecit, utrique præcipuus honor habitus est. (1864.)[1]

Cap. 6, 4: Milesii, nihil præstitisse memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, præstare se paratos esse polliciti sunt. Vix diserte commemoraverunt, nihil se præstitisse, sed necessario operæ navatæ mentionem omiserunt. Cod. præstitissent. Videtur fuisse: nihil, quod præstitissent, memorantes.

(552) Cap. 8, 6 (in responso iussu senatus Chalcidensibus legatis dato): non ut ea a magistratibus socii atque amici paterentur. Codicis scriptura sic notatur: a magistratibus utsociadque amici, ex qua efficitur id ipsum, quod Dukerus coniectura præcepit: a magistratibus suis socii atque amici. Bis uno s pro duplici scripto, ui transiit in ut.

Cap. 9, 7, ubi editur e cod.: ad VIII millia hominum vario genere armavit, scribendum vide-

---

[1]) [Fieri tamen potest, ut Livius scripserit: fratri reguli, numeri nomen duo ex sequentibus huc tractum sit. Ita mox eorum universe ad legatos referetur removebiturque subita duorum pro uno fratre mentio.]

tur ex vario genere; neque enim varietas armorum significatur. (1864.)

Cap. 11, 2: Patres — legatos in Macedoniam M. Fulvium Flaccum et M. Caninium Rebilum miserunt, qui comperta, quæ agerentur, referrent, et ut A. Hostilius consul comitia consulibus subrogandis ita ediceret, uti mense Ianuario comitia haberi possent, et ut primo quoque tempore in urbem rediret. Perquam infeliciter hic Grynæus rem gessit, ad cuius errores corrigendos nihil prorsus auxilii Kreyssigium Bekkerumve attulisse miror. Primum prorsus incredibile est, quum res haud prosperæ in Macedonia essent, consulem, qui ibi esset, ab exercitu avocatum esse, ut comitia Romæ haberet, quum esset in Italia sine bello (c. 9, 1—3) alter consul; nec umquam reperietur, quum alteri consuli Italia provincia esset, alteri bellum extra Italiam, non ab illo comitia habita, qui in Italia esset. Mirum id quoque, quod consul redit et comitia habet mense Ianuario, legati de ea re ad eum missi exacto demum admodum Februario redeunt (§ 9). Huius pravitatis auctor Grynæus est; nam in codice omnibus litteris alterius consulis nomen scribitur: Et ut A. Atilius cons. Apparet, virum egregium eo deceptum esse, quod hæc coniuncta sunt cum mentione legatorum in Macedoniam missorum, et præterea duritia orationis; nam ex illo: patres — miserunt ad alterum membrum auditur decreverunt, quod genus figuræ ἀπὸ κοινοῦ, ut ex unius rei decretæ pluriumve suis verbis commemoratione sumatur communis decreti significatio ad eamque accommodetur ut coniunctio, non rarum est apud Livium; ut XXX, 27, 11 (553)
post prorogata imperia adiungitur: et ut placatis dis omnia inciperent agerentque, ludos — ut eos ludos consules — facerent. [Add. XXX, 41, 4, XLI, 15, 11; alibi omittitur ut: XXIV, 44, 2, XXVI, 28, 4, XXVII, 22, 9, XXVIII, 10, 11, XXXI, 8, 6—7, XLI, 14, 6.] Deinde nescio, cur, quum in codice perspicue scriptum esset: co-

mitia consulibus rogandis, ediderit subrogandis. Tum intolerabilis hæc est repetitio substantivi: comitia ita edicere, ut mense Ianuario comitia haberi possent. Sed in codice non legitur haberi, sed tantum ut mense Ian. comitia possent. Scribendum est igitur, nisi fallor: ut m. I. **confici** possent.[1]) Eodem capite § 11, ubi exponitur, quid legati e Macedonia redeuntes renuntiaverint, sic scribitur: Ignominiam Claudii temeritate acceptam elevare eos patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis — ibi milites amissos referebant. Non ex aliis patres comperiebant, legatos ignominiam elevare (id est autem, accipere, aliquem aliquid facere), sed ipsos coram audiebant; omitto eos, qui prave hic poni (nisi forte putamus patres ex legatis accepisse, alios nescio quos ignominiam elevare) et in hac structura relativa necessarium coniunctivum esse (referrent). His incommodis medebimur, si scripserimus: Ignominiam — **elevari** [levari? 1876] **eo** patres acceperunt, **quod** — referebant (hoc est: quod, ut referebant, pauci amissi essent). (Quippe pro qui posito non tollitur vitium in his verbis: elevare eos acceperunt.) Extremo capite (§ 13) miror præter lacunam neminem notasse, admodum inusitate dici: sacerdotes **intra** eum annum mortui, quum intellegatur eo anno.

Cap. 12, 3 in codicis scriptura, quæ ab editoribus retenta sine dubitatione est (placuit — decerni. In Macedoniam peditum, Romanorum cet.) vitiose duæ res in unum conflantur; primum enim senatus consultum factum

---

[1]) [Vahlenius et Hertzius emendationem meam quum adiuvare vellent, corruperunt; nam ut Livius interdum voces easdem brevi spatio repetat, nusquam tamen ita ex abundanti in vitium ruit, ut scribat: comitia ita edicere, ut comitia illo et illo die sint. Itaque prave attrectatum est, quod in codice recte scribitur, possent, prave servatum, quod pro confici ex superiore versu propter primarum litterarum similitudinem subrepsit, comitia. 1864.]

est, ut prius, quam consules provincias sortirentur, supplementum in utramque provinciam decerneretur, deinde hæc ipsa supplementa decreta sunt; praveque narratur placuisse decerni certum numerum; is enim decretus est (placuit), non placuit eum decerni. Vitium sententiæ et orationis tollendum est suppleto verbo, quod bis positum a Livio diversa forma semel a librario scriptum est: placuit — decerni. Decreverunt in Macedoniam cet. (1864.)

Cap. 13, 1: Non sum nescius, ab eadem neglegentia, qua nihil deos portendere vulgo credant, neque nuntiari admodum ulla prodigia in publicum neque in annales referri. (Ulla pro nulla recte Gronovius; mirifica molitur Weissenbornius neque tollens.) (554)
Non recte nuntiandi prodigia et in annales referendi intermissio comparatur, tamquam diversa sit, cum ea neglegentia, qua deos nihil portendere vulgo credant (quæ præterea non neglegentia est, sed opinio sive recta sive prava). Recta et apta sententia hæc est, quod nec homines prodigia nuntient nec scriptores in annales ea referant, una eademque fieri neglegentia ex eo orta, quod nihil deos portendere credant. Ea sententia in Livii verbis erit, si, una littera addita, scripserimus: ab eadem neglegentia, **quia** nihil deos portendere vulgo credant. Ad eadem, quod absolute ponitur, male accommodatum est qua. Paulo post (§ 3: Anagnia duo prodigia eo anno sunt nuntiata, facem in cælo conspectam et bovem feminam locutam publice ali) recte Dukerus animadvertit, perverse in prodigii nuntiati parte poni, quod alibi nuntiato prodigio decretum narratur, ut bos locuta publice aleretur (XXXV, 21, XLI, 13). Videtur Livius, qui, quid ceterorum prodigiorum causa factum sit, postea coniunctim exponit, id, quod ad hoc unum prodigium pertinebat, statim interposuisse, hac fere forma: et bovem feminam locutam; — ea publice ali iussa; — Minturnis cet. Si ipsi Anagnini se, id quod decerni soleret, caute occupasse nuntia-

runt, scribendum est: — locutam; eam publice ali. [Sic Hullemannus.]

Cap. 14, 6 (in iure iurando, quod censores adiuvandi dilectus causa se a civibus exacturos edixerunt): Tu minor annis sex et quadraginta es, tuque ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum ad dilectum prodibis? et, quotiescunque dilectus erit, quum (sic cum Ursino scribendum pro quæ, quod in cod. est; edd. quamdiu) hi censores magistratum habebunt, si mi-
(555) les factus non eris, in dilectu prodibis? Prius prodibis e Dukeri coniectura receptum a recentioribus est, quum Grynæus prodito edidisset. Sed minus recte bis de futuro interrogatur. Censores in medio dilectu hoc edixerunt; ius iurandum postea in censu agendo exacturi erant; itaque tum se et de dilectu eo, qui nunc iam ageretur, obedivissentne cives edicto, et de iis, qui post futuri essent, interrogaturos edixerunt. Codex proditi. Scribendum igitur: tuque — ad dilectum **prodisti** et, quotiescunque dilectus erit, — prodibis? Edicti autem vim et ius iurandum recte et ordine censores suo lustro terminant, ne alienam potestatem sibi assumant. Recte igitur habent illa: quum hi censores magistratum habebunt. Iure autem, opinor, Sigonius in dilectum (cod. in dilectu prouidebis).[1]) (§ 2 et ante iuniores recte Gronovius tolli volebat; in ea, quam Perizonius effici volebat, sententia dicendum erat: ne iuniores quidem. Sed omnino non agebatur tum, in legionibus ad bellum Macedonicum scribendis, nisi de iunioribus, qui quidem Romane dicebantur, nec ad alios spectat censorum iuris iurandi formula.

---

[1]) [Miror Dukeri errorem nuper et contra sententiam et contra manifestum codicis indicium (proditi) retentum esse. Censores post eum demum dilectum, qui tum ipsum habebatur, censum acturi et interrogaturi ex edicto suo erant. Nihilo melius hi censores in his censoribus mutatum. 1864.]

§ 4 et natum opinor ex ultima littera verbi scirent, scribendumque esse: id ita ut esse scirent patres.)

Cap. 16, 13: Censores (a P. Rutilio tr. pl. perduellionis accusati) extemplo in atrium Libertatis escenderunt, et ibi signatis tabellis publicis clausoque tabulario — negarunt se — quidquam publici negotii gesturos. Signare tabellas (velut testamentorum) eorum ipsorum est, qui apposito signo eas confirmant aut saltem fidem iis conciliant. Itaque (ut omittam, tabulas censorias neque signatas usquam commemorari neque genere suo signandas fuisse videri), si censores eas nunc signassent, id ipsum fecissent, quod se facturos negabant, ut quidquam pro magistratu agerent. Præterea ibi abundat. Quid Livius scripserit, vel unum illud clauso tabulario ostendere potest: et **obsignatis** tabellis publ. clausoque tab. cet. Obsignarunt tabulas, ut earum tractatio et confectio prorsus (556) intermitteretur. Ceterum Livium tabulas has publicas censoriasque appellasse puto, non tabellas. [Nam quod apud Ciceronem in Verr. V, 103 semel tabellas codd. habent, bis tabulas, pro Arch. 8—10 item semel tabellas, sæpe tabulas, magis dubitatio confirmatur quam tollitur.] (§ 12 Livium scripsisse: non recusantibus censoribus, qui minus — iudicium de se populus faceret, pro usitato quo minus, minime certum est. Quos Drakenborchius ad XXVIII, 13, 18 comparat tres locos, omnes alius generis sunt; in duobus qui minus est quomodo (cur) minus, noto usu.)

Cap. 17, 8 (de Acarnanibus, quorum altera factio, ut præsidia Romana in urbes suas inducerentur, postulaverat): pars recusare, ne, quod bello captis et hostibus mos esset, id pacatæ et sociæ civitates ignominiæ acciperent. Audiri necesse est accipere, etsi admodum dure auditur etiam ob relata inter se quod — id, quorum utrumque suum verbum postulat. Sed parum apte bello captis mos esse dicitur accipere ignominiam, quasi ipsorum in

ea re actio sit, sine qua mos intellegi nequit. Admodum vereor ne verbum exciderit. Nec bene bello capti et hostes tamquam duo genera copulantur. Fuitne: quod bello captis hostibus **imponi** mos esset?

Cap. 18, 2 (ubi exponitur, quæ causæ Persea impulerint ad expeditionem in Illyricum suscipiendam): — frangendi finitimorum spes animosque, ne quid, averso (cod. quidinadverso) se in Romanum bellum, periculi subesset. Cod. periculi abisset, ex quo Forchhammer recte effecit: periculi ab iis esset. (Minus bene Kreyssigius: periculi adesset.) Sequitur (in eadem expositione): solum infestum esse Macedoniæ latus, quod ab Illyrico pateret, cernens; codex: i solum, ex quo fit: id solum — latus. [Vahlenius tamen **i** puncto notatum scribit.] [§ 7 videndum ne in his: oppugnare est adortus exciderit urbem, quod præcessisse ostendit eam pronomen (et corona eam capere conatus est). 1864.]

Cap. 19, 14: Iis (legatis ad Gentium Perseus) mandat, ut exponerent æstatis eius hiemisque acta sua (cod. suæ acta sua) adversus Romanos Dardanosque; adiicerent recentia in Illyrico hibernæ expeditionis opera; hortarentur Gentium in amicitiam se-
(557) cum — iungendam. Male me habent illa æstatis hiemisque acta adversus Romanos Dardanosque separata ab hiberna expeditione, cui rectius æstatis acta contraria poni videntur. Supra (c. 18 init.) Livius diserte posuit, Persea, principio hiemis Macedonia non egressum, sub brumæ demum tempus expeditionem eam, quam hic hibernam appellat, suscepisse; Dardanos iam ante (ibd. § 2) domuerat, hoc est, ante principium hiemis. Itaque valde vereor, ne hiemisque a mala manu sit Liviusque scripserit: exponerent æstatis eius acta sua —; adiicerent recentia — hibernæ expeditionis opera. [Deinde, etsi et Livius et Cicero non raro præpositioni in accusativum substantivi

cum gerundivo subiecerunt (velut cfr. Liv. I, 59, 9, Cic. de Orat. II, 199), hortari tamen in aliquid faciendum pro eo, quod est ad, vix recte dicitur, neque sine causa Creverius ad amicitiam — iungendam suspicatus est. 1876.] (§ 7 nihil est mendi. Redit Livius a digressione ad rem narrari coeptam.)

Cap. 20, 1: Hi (legati Persei ad Gentium missi) — per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Dardanis in Illyricum aut Macedoniam essent, Scodram — pervenerunt. Codex: quas per industria; Kreyssigius per ex superiore versu huc delatum putat; mihi Polybii de eadem re verba comparanti (XXVIII, 8: *διὰ τῆς ἐρήμου καλουμένης Ἰλλυρίδος, ἣν οὐ πολλοῖς χρόνοις ἀνώτερον ἀνάστατον ἐποίησαν Μακεδόνες*) pæne probabilius videtur, Livium scripsisse: quas **nuper** de industria cet. (Sequitur deinceps (§ 2): Lissi rex Gentius erat; eo acciti legati; mandata exponentes benigne auditi sunt, qui responsum sine effectu tulerunt. Perinepte hæc postrema sententia, superiori contraria et effectum rei continens, pronomine relativo adiungitur. Qui detruncata syllaba e quidem ortum est: benigne auditi sunt quidem; responsum sine effectu tulerunt. 1864.)

Cap. 21, 4 quum in codice esset: Auxilia thoanum tesprotorumque — (App. Claudius) secum adduxit, Grynæus Athamanum Thesprotorumque scripsit. Sed Athamanes, quorum in Persei bello nulla omnino mentio est, et ab iis locis, in quibus App. Claudius rem gerebat, longius aberant nec eos codicis vestigia demonstrant, sed Chaones (Chaonum pro Thoanum). Confirmat emendationem, quod in fine narrationis de Claudii rebus c. 23, 6 scribitur: dimissis Chaonumque et si qui alii Epirotæ erant præsidiis, ubi particula que (nam que — et ibi minus aptum est) fortasse significat excidisse

Thesprotorum nomen. Sed hoc incertum, illud certum. (1864.)[1])

Cap. 23, 3: Interim Cleuas, adsumpto Philostrato, qui Epirotarum gentem (cod. gente) habebat, in agrum Antigonensem transcendit. Non sine causa Creverium offendit hæc gens Epirotarum, quam Philostratus,
(558) homo alioquin ignotus, habuisse dicitur. Paulo post pro gente longe rectius cohors appellatur. Aut sub ipso illo nomine numerus latere videtur (Epirotarum quingentos) aut excidisse (qui * ex Epirotarum gente habebat).

Lib. XLIV.

Cap. 2, 4: Prætore (C. Marcio, qui a Chalcide in Thessaliam venerat, ut consilio de bello gerendo interesset) dimisso, consul (Q. Marcius Philippus), menstruum iusso milite secum ferre, profectus decimo post die, quam exercitum acceperat, castra movit. Ad menstruum Dukerus adscribit "frumentum scilicet", Lipsium et Scheelium auctores citans, id intellegi. Nec profecto id dubium est; sed quamquam frequens est et frumenti et cibariorum a militibus portatorum mentio, frustra tamen quæro, qui sic menstruum dixerit sine substantivo. (Diurnum accipere de servis, proprio addito verbo, Senecam dicere scio.) Itaque non dubito, quin ipsum illud vocabum (frumentum) post menstruum exciderit ob similitudinem syllabarum mentum. Illud nemo attigit, quid esset, quod consul primum profectus, deinde decimo die castra movisse diceretur; ego nugas esse dico; unam enim rem esse. Tenetur manifestissimum interpretamentum (profectus) ad-

---

[1]) Cap. 22, 1 ex agricolis faciendum erat agri Ætolici, non Ætoli. Ager Ætolus in prosa oratione non magis dicitur quam Italus aut Gallus aut Britannus. Miro errore Gronovius XLIV, 32, 4 bello Illyrio et XLV, 43, 5 Illyrii argenti scripsit contra codicem probavitque Drakenborchius; Illyrios enim esse, non Illyricos. (1864.)

scriptum ad decimo die, non animadverso, sequi castra movit.[1]) Eodem capite extremo (§ 12) sic scribitur: Ipse (559) (Perseus) cum reliquis copiis circa Dium stativa habuit; deinde, adeo ut obtorpuisse inops consilii videretur, cum (cod. adeo ut obtorpovisse inobs consilii videre circum) equitibus expeditis litore nunc Heracleum, nunc Philam percurrebat, eodem inde cursu Dium repetens. Neque adeo ut pro ut recte dicitur, ubi magnæ rei nulla est notatio, et hæc, quid facile coniici ex illa percursatione potuerit, significatio prave præmittitur ipsi rei narrationi; sed hæc minora et fortasse non omnibus perspicua; illud manifestum, torporis suspicionem ex perpetua concursatione nasci non potuisse, quæ maxime aliena est ab torpore defixis. Livius scripserat aptissima et sententia et oratione: deinde, **credo, ne** obtorpuisse — videretur, — nunc Heracleum cet. Acerbe significat, nullam aliam inanis illius Persei percursationis causam videri fuisse, nisi ut torporis ex inopia consilii suspicionem removeret. [Præstat fortasse cum Gitlbauero scribere, in

---

[1]) Pro eo, quod sequitur (§ 5): quum, exponerent in consilio, iussisset, rectissime Gronovius et Creverius exponere legi voluerunt. Neque in tali re (ubi non de decreto agitur) Livius iubeo faciat quis dicit neque, si ita diceret, illo ordine verba posuisset, ut, verbo exponerent subiecto particulæ quum, summa oreretur ambiguitas. De frequenti in hoc codice erroris genere dixi ad XLII, 24, 1 p. 519; hic quidem duplex errandi causa fuit, quum et iussisset. (Cap. 35, 2 codex habet: qui Pantauchum — appropinquarent castris vetarent pro appropinquare; lib. XLIII, 3, 6: et si qua præterea vellent imperarent pro imperare.) § 10 iuvenum corruptum esse certum est; neque enim, quum levis armatura mitteretur eiusque non minus X millia, ulla poterat esse ætatis selectio; nec tamen gentis nomen (velut Agrianum) subesse potest, quoniam in Persei exercitu nullius præter ipsos Macedonas gentis tantus erat aut prope tantus numerus (vid. XLII, 51). Fuitne levis armaturæ plurium (variarum?) gentium? [Fort. levis armaturæ alienigenum. 1864.]


quod ipse quoque incideram: deinde a Dio, ne obtorpuisse cet. Weissenbornius me dubitasse putare videtur, dicaturne Latine adeo ut. 1876.]

Cap. 4, 1 (ubi de impetu Romanorum in saltum ab Hippia insessum agitur) verba sic coniungenda sunt [ut iam Grynæus coniunxerat]: Et Romani expediti ad pugnam exierant, et hostes levis armatura erat, promptissimum genus ad lacessendum certamen. Romanus exercitus totus aderat, excepto castrorum præsidio, non levis armatura, sed expeditus; ita utrimque prompte certamen
(560) capessebatur. Sequuntur hæc (§ 4): Irritatis in posterum diem animis, maioribus copiis atque infestius concursum ab illis, si loci satis ad explicandam aciem fuisset. Vitiosum esse concursum pro concursum esset, alii intellexerunt; plane abundat ab illis pravumque pronomen est; sed præterea perverse coniunguntur **in** posterum diem (quod quum dicitur, agitur de priore die, cuius pugna narrata est) et concursum esset (ipso postero die); recte dici possit: irritatis animis, infestius postero die concursum esset; nunc hoc in posterum diem verbum postulat, quod prioris diei actionem significet. Codex ipse satis ostendit aliud scriptum fuisse, in quo sic scribitur: maioribus copiis adque infesiutius concursum abellisin loci satis ad expl. ac. f. Hinc efficitur: Irritatis in posterum diem animis, maioribus copiis atque infestius **concursuri abeunt,** si loci satis ad explicandam aciem fuisset.[1]) Sequitur de hac ipsa alterius diei pugna locus (§ 6, postquam expositum est, maiorem partem copia-

[1]) [Numquam supinum ponitur in significando consilio, quod differtur, et rei futuræ exspectatione; itaque Latinum non est: abeo in posterum diem infestius concursum, ut sit: eo animo, ut — concurram. Quæ Weissenbornius obiicit, fateor me, ut interdum alibi, non intellegere. Quidni dicatur: abimus cras infestius concursuri, si loci satis fuerit?]

rum locorum natura pugnare prohibitam esse): Levis armatura etiam per anfractus iugi procurrere et ab lateribus cum levi armatura conserere, per iniqua atque æqua loca pugnam petere; ac (cod. patere ad) pluribus eo die vulneratis quam interfectis, proelium nocte diremptum est. Neque conserere absolute dici potest (— itaque aut manum aut pugnam addendum aut concurrere scribendum esse coniicitur —), neque pugnam petere de concurrentibus Latinum est, neque infinitivus historicus hic locum habet, præcedente in ea sententia, cui hæc respondet, imperfecto (stabant), neque per ac hæc recte cum proximis coniunguntur, quibus proelii huius diei summa et eventus significatur. Accedit codicis scriptura alio ducens. Sic enim locus restituendus est: Levis armatura — conserere per iniqua atque æqua loca pugnam **poterat**. Pluribus cet.

Cap. 5, 4 (ubi agitur de ratione elephantos per locum præcipitem traducendi) in codice scribitur: in eos (asseres) —tigncastricenos longi pedes, Grynæi error etiam Kreyssigium et Hertzium traxit, ut et a rei intellectu et a codice aberrarent. Defixis infra duobus longis asseribus et inter se tigno transverso iunctis (in eos transverso incumbente tigno, ut recte cum codice Bekkerus), ab eo loco, unde per proclive sumptum fastigium erat, in transversum illud tignum porrigebantur non asseres (neque enim asseres, hoc est, Stangen, iuxta positi pontem efficiunt neque per eos incedere elephantus potest), sed tabulæ sive asses, per quos elephanti incederent, ad hanc formam: ut **aa** sint as-



seres, **b** tignum transversum, **cc** tabulæ sive asses, pontem efficientes, tricenos pedes longi. Rarius paulo vocabulum asses sive axes (unde natum est Italorum asse, Gallorum ais) a librario truncatum est, ut remaneret tantum as (tigno asses tricenos longi pedes). Sed ipsa orationis forma admonere debebat, substantivum hic

subesse. Nam si asseres hiciterum significarentur, necessario scribendum erat: in eos alii asseres. Sed præterea in duos illos defixos asseres transversum incumbere tignum poterat; in asseres quomodo asseres iniungi potuerint, nemo facile dixerit. Paulo infra (§ 7), ubi editur: Ubi planities altera pontis excepisset eos, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, prius pontis delendum puto; neque enim solum pontis appellatio repetita per se offendit, verum altero loco manifesto abundat; nam inferior demum pars superiori contraria ponitur. (1864.) § 9 et 10 (de Romanis Q. Marcio consule duce per montes in
(561) Macedoniam penetrantibus): Nocte ad modicam planitiem pervenerunt, neque, an infestus is locus esset, sæptus undique, circumspiciendi spatium fuit. Vix tandem ex insperato (cod. vix tandem exspirato) stabilem ad insistendum nanctis locum postero quoque die in tam cava valle opperiri Popilium ac relictas cum eo copias necesse fuit. Non prorsus defenditur exemplis, in quibus an deliberandi verbis subiicitur, circumspicere, an infestus sit locus (pro infestusne aut ne infestus); et infestum fuisse, addita sæptus undique et in tam cava valle declarant. Bekkerus quidem sæptis scribi voluit; sed sæptis potestas circumspiciendi deest, non spatium (tempus); cur spatium non fuerit, proximis declaratur verbis (vix tandem cet.), quæ interpungendo male ad alteram sententiam tracta sunt; neque enim, quod vix tandem stabilem locum Romani nacti erant, cohæret cum necessitate manendi, ut copiæ relictæ consequerentur. In codice est: pervenerunt nequam infectus cet. Scribendum igitur est una addita littera: pervenerunt, **nec**, quam infestus is locus esset, sæptus undique, circumspiciendi spatium fuit vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nanctis locum. Postero quoque die cet. Necessitas statim requiescendi spatium circumspiciendi ademit. [Sic etiam

Weissenb.] Extremo quoque capite (§ 12 et 13) aliquid est mendi. Sic enim nunc scribitur: (Romani) degressi in campos inter Heracleum et Libethrum posuerunt castra peditum, quorum pars maior tumulos tenebat; ibi vallo (cod. valle) campi quoque partem, ubi eques tenderet, amplectebantur. Sed neque peditum separata castra umquam ponebantur (quod si fieret, pedites castra posuisse dicerentur, non peditum), et repugnant proxima, quæ eadem castra campi partem complexa esse ostendunt; tum perversissimum est ibi, quod, quo referatur, non habet, nisi dicas in tumulis partem campi vallo comprehensam esse. Opinor, peditum nomen propter subiectam equitis mentionem additum esse ab aliquo, cui non satis esset, ex ipsa re intellegi, maiorem illam castrorum partem pedites tenuisse, (562)
eoque omisso scribendum esse: posuerunt castra, quorum pars maior tumulos tenebat; **alibi** (ab alio latere) vallo campi quoque partem, ubi eques tenderet, amplectebantur. [Potius: ima valli campi quoque partem — amplectebantur, aut: imo vallo cet. 1864. Lacunæ, quam Vahlenius statuit, non satis certa indicia videntur esse.]

Cap. 6, 2. Hic locus, quem Grynæus valde infeliciter interpolavit, Bekkerus et Weissenbornius talem, qualis in codice corrupte scriptus est, reliquerunt, additis tantum lacunæ notis, etsi non prorsus redintegrari potest, quod nonnulla exciderunt, tamen insignem recipit emendationem cum alterius loci correctione non minus insigni coniunctam. Codicis enim scriptura huiusmodi est: (Perseus, nuntio de exercitu Romano per montes in Macedoniam traducto perturbatus) subinde per aliaquæ (edd. per alia aliaque; scrib. potius: per alia atque alia)[1]) pavida consilia

---

[1]) Alius aliusque, aliter aliterque apud Celsum et Senecam (Ep. 88, 34, Q. N. II, 32, 7, IV præf. 22) et fortasse apud alios reperitur; boni scriptores alius atque alius, aliter atque

et imperia trepidans, duos ex amicis Pellam alterum usque ad pathum pecunia deposita erat ex præsidiis revocat omnisque aditus aperit bello. Non dubitari potest, quin eadem significentur præpropera imperia, quorum postea, dempto terrore, Persea pænituisse Livius c. 10 init. narrat, alterum de gaza regia in mare proiicienda, quod Nicias facere iussus erat, alterum de navalibus Thessalonicæ incendendis, datum Andronico. Res commemoratur etiam in excerptis Diodori Peirescianis p. 579 Wess., ubi pro Nicia Nicon appellatur, qui iussus dicitur τὴν ἐν τῷ Φάκῳ γάζαν καὶ τὰ χρήματα καταποντίσαι, et apud Appianum in iisdem excerptis (Maced. fr. 14). Iam c. 10, 3 sic scribitur: incautior (quam Andronicus, qui tempus traxerat) Nicias Pellæ proiiciendo (cod. proiciendæ) pe-
(563) cuniæ partem, quod fuerat natum. Mirifice interpolarunt: pecuniæ partem, quod fuerat nanctus (abundante saltem partis nomine), quasi nanciscenda fuerit pecunia, ad quam in thesauris repositam cum clavibus missus Nicias erat. Nihil potest manifestius esse, quam scribi debere: pecuniæ partem, quæ fuerat **ad Phacum** (ἐν τῷ Φάκῳ).[1] Erat enim Phacus arx Pellæ, in qua et gaza regia servabatur et vincti custodiebantur, quos rex custodiri iusserat, nominata etiam apud Polybium (XXXI, 25). Itaque frustra Valesius Pellæ, non Phaci gazam Macedonum fuisse disputat, teste utens Livio (c. 23, 9 et c. 46, 8 huius libri), cui adiungi Polybius potest (XXIX, 3) et Strabo (lib. VII fr. 20 ex epit.); nam quæ in arce ad Pellam erat, eadem Pellæ esse recte dicebatur. Livii quidem locum, qui est in

---

aliter, alibi atque alibi dicere solent. Livianos locos plus decem collegerunt Iac. Gronovius et Drakenborchius ad XXIV, 20, 9.

[1]) Quod sequitur ibi: sed in rem emendabilem visus lapsus esse, rectius, opinor, Drakenborchius scribendum putat: in re emendabili quam Gronovius et recentiores: in errorem emendabilem (in rem em. ex: in re em.). Sed præterea scribendum videtur: visus **est** lapsus esse.

c. 46, etiam propius ad veram sententiam paulo post accommodabimus; nunc primum dicamus, comparata veriore illa, quæ in c. 10 inventa est, scriptura, in eo, a quo orsi sumus, loco scribendum perspicue esse: duos ex amicis, Pellam alterum, ut, quæ **ad Phacum** pecunia deposita erat, deinde lacunam huiusmodi fere supplemento utcunque tegendam: in mare proiiceret, Thessalonicam alterum, qui navalia incenderet, misit; Asclepiodotum et Hippiam, quique cum iis erant, ex præsidiis revocat cet. Phaci nomen hic latere, etiam Weissenbornius suspicatus erat; formam verborum non invenit. In illo autem, quem tantisper distuli, loco c. 46, 5 de Pella urbe sic scribitur: Sita est in tumulo vergente in occidentem hibernum; cingunt paludes inexsuperabilis altitudinis æstate et hieme, quas re- (564)
stagnantes faciunt lacus; in ipsa palude, qua proxima urbi est, velut insula eminet aggeri operis ingentis imposita, cet. Sic enim edunt, nisi quod quidam, præeunte Florebello, ridiculum esse sentientes, illam velut insulam impositam dici aggeri, post eminet addiderunt arx. Sed alia est pravitas; nam lacus ut non fluunt, ita ne restagnant quidem nec paludes faciunt, sed flumina restagnantia lacus et paludes efficiunt. In codice scribitur: quas restagnantes faciunt padcus in ipsa palude cet. (puncto superposito ipsum librarium litteram delendam significare, supra dixi). Perspicue eminet ipsius arcis nomen. Itaque sic scribendum est: quas restagnantes faciunt **amnes. Arx Phacus** in ipsa palude velut insula eminet, aggeri — imposita. Amnes dicit Axium et Ludiam; vid. Strab. VII fr. 20, 22, 23. Tres hi, quos tractavi, loci mirifice inter se confirmant.

Cap. 6, 6 (postquam Livius narravit, Romanos temere eo progressos, unde evadere nisi per duos saltus, præter Dium et per Tempe, non possent, quæ utraque regis tenerentur præsidiis): Itaque si dux intrepidus decem dies

[?] primam speciem appropinquantis terroris sustinuisset, neque receptus Romanis per Tempe (cod. Romanus partem; paulo ante § 5 et infra § 12 pertemp scribitur, altero loco addito puncto post p) in Thessaliam neque commeatibus pervehendis eo patuisset iter. Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis. Neque ad Tempe neque in Thessaliam pervehendi commeatus erant Romanis Macedoniam ingressis; itaque non eo Livio scripsisse puto, quod alterumutrum ex iis, quæ dixi, significare debet, sed ea (per Tempe). In eandem sententiam mox (§ 12) scribitur: Intercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi (cod. repentedi) erant, ubi
(565) aperte et sententia et orationis forma postulat, ut restituatur: simul aditu commeatibus, simul reditu **ipsis**, montes cet. Contrarii ponuntur homines et commeatus, aditus et reditus. Sequuntur hæc (§ 8): Nam præter angustias per quinque millia, qua exiguum iumento onusto iter est, rupes utrimque ita abscisæ sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. Terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis. Non recte ab angustiis separantur rupes, quæ angustias faciunt (præter angustias — rupes); contra recte angustiarum terrori adiungitur amnis infra fluens. Codex habet: onustointerstrupes. Ex st faciendum est et, oratione sic continuata: Nam præter angustias —, qua exiguum iumento onusto iter et rupes utrimque ita abscisæ sunt, ut despici vix sine vertigine — possit, terret et sonitus et altitudo cet.[1]) [§ 17 eo magis

[1]) § 10 scribendum cum Drakenborchio: alterum in Condylo castello. Variata oratio ita ferri debet, si singula recte dicuntur; **in** haustum est præcedente **m**.

me commovet codicis scriptura: nudatis omnibus præsidiis patefactisque bello factis, ex qua Grynæus factis prorsus sustulit, quod præsidia recte nudari dicuntur, patefieri bello vix recte dicuntur. Itaque visum est sub factis alterum latere substantivum a librario, quum hæreret animo sonus et forma litterarum, ex patefactis corruptum. Id aut claustris esse potuit aut potius portis. Ea bello patefiunt, ut irrumpat. 1864.]

Cap. 7, 11: Adeo sine ulla ope hostis, quæ adgravaret, cum ipsa difficultate rerum pugnandum erat. Considerandum mihi videtur, potueritne sic sine ope hostis aliquid fieri dici, ut opis nomine, quæ adgravet, significetur opera in difficultatibus impedimentisque obiiciendis posita. Alioquin enim scribendum videtur: sine **opera** hostis, quæ adgravaret.

Cap. 8, 2 (de consule Q. Marcio Philippo ab Dio ad Philam regresso): Alii metu recessisse eum ab hoste ferebant, quia manenti in Pieria proelio dimicandum foret, alii, ignarum, belli quæ in dies fortuna novaret, ut opperientibus sese rebus, omisisse de manibus ea, quæ mox repeti non possent. Recte illa: ut opperientibus sese rebus Weissenbornius e codice restituit, quæ perverterat Grynæus (sic enim reprehen- (566)
sores illi consulem agere insimulabant, quasi res et occasiones cunctantem opperirentur, non celeriter elaberentur); sed reliquit, quam Drakenborchius frustra defenderat, perversam vocum belli et fortunæ separationem et prioris, in qua, si cum fortuna coniungitur, nihil est singularis ponderis, in initium sententiæ ante pronomen interrogativum traiectionem. Scribendum est: ignarum belli, **quod** in dies fortuna novaret, cet. Fortuna bello novum in dies statum et habitum dat. Relativi pronominis nominativi et accusativi formæ quoties et ab hoc librario et ab aliis permutentur, dici opus non est. [Rectius Perizonius: ignarum belli quæque in dies fortuna cet. 1864.] Deinde hic § 5

primum, postea autem aliquoties obiicitur nomen fluvioli quinque millibus passuum ab Dio ad meridiem versus distantis, ad quem Perseus castra et contra Q. Marcium et postea contra L. Æmilium habuit. Is in editionibus appellatur Enipeus. Codex h. l. Enipi habet, proximo capite § 2 Elipeum, c. 20, 3 Epela, c. 26, 5 Elpeio, c. 32, 10 Elpei, c. 35, 7 et 8 Elpei c. 39, 9 Elpeium, c. 23, 7 Enipeio, c. 27, 4 Enipeum, sed 5 Nelpeum. Comparato Zonara, apud quem IX, 23 (p. 457 Duc.) Ἔλπιος dicitur, apparet Elpium aut Elpeum a Livio appellatum esse. Enipei notius nomen a Grynæo, quem primus librarii error decepit, e Thessalia in Macedoniam translatum est.[1]) Extremo capite (§ 7, ubi Weissenbornius occupavit, quod ego quoque conieceram, obsæptum iter ex codicis scriptura hospesetseptum iter) in his verbis: extrahere reliquum tempus eius æstatis in animo habebat, vitiose abundat eius; in codice est tempuseaæstatis, geminatis errore litteris ae.

Cap. 9, 8 (ubi describitur circensis ludicri in testudine efficienda bellica in oppugnatione Heraclei imitatio) antea sic edebatur: Huic testudini simillima parti muri admota (cod. permota), cum armati superstantes subissent (cod. subipssent), propugnatoribus muri fastigio altitudinis æquabantur. Kreyssigius, quum in codice vidisset scribi: Huic testudo simillime parti muri, recte nominativum (testudo) tenuit, recte etiam
(567) humillimæ parti muri posuit; neque tamen simillima humillimæ scribendum videtur fuisse, sed tantum: Huic testudo similis humillimæ p. m. cet., deinde autem: quum armati super stantes subissent. Neque enim iam superstabant, quum movebatur testudo, sed illa admota insilientes super eos, qui scutis supra capitis elatis stabant,

[1]) [Sed etiam Thessaliæ amnis interdum Elipeus dictus videtur; vid. Meineke præf. Strab. vol. II p. V.]

subibant. (Tum recte Lipsius et Perizonius: et in fronte extremi et ex lateribus.)

Cap. 11, 9 (de Cassandreæ oppugnatione): Hoc ubi perfectum esse opus militibus nuntiatum est, clamorem alacres gaudio repente tollunt, aliis parte alia in urbem irrupturis. Non alios, opinor, nescio quos, sed se ipsos irrupturos putabant. Codex vitiose: aliis inrupturum. Opinor, Livium scripsisse: tollunt, **ut** alii parte alia in urbem irrupturi. Nam particula opinionis (quæ eventu caruit) index vix abesse potest, in vulgata quidem scriptura nullo modo. [Alii — irrupturi iam Gronovius.][1])

Cap. 13, 7: Euphranor (Persei dux), soluta unius urbis (Meliboeæ) obsidione, Demetriadem extemplo ducit; nec tum moenia modo, sed agros etiam confiderunt se a populationibus tueri posse. Præter barbarum illud confiderunt etiam sententiæ non cohærentes et particula tum mendi indicium faciunt. Codex: ducit noctemuenia modo cet. Locum lacunosum esse, quod aliqua ex parte Weissenbornius suspicatus erat, Forchhammer intellexit eiusque olim hanc fere fuisse formam: Demetriadem extemplo ducit. Nocte moenia intrat, tantamque fiduciam (tantos animos?) incolentibus fecit, ut non moenia modo, sed agros etiam **confiderent** se a populationibus tueri posse. Apparet erroris causa in moenium vocabulo bis posito. Nocte urbem Euphranor intravit, ut Romanos obsidentes falleret. Sub finem capitis (§ 12) scribitur: De Eumene rege longe diversa tradunt. Desideratur subiectum; neque

---

[1]) [§ 5 mira apud Livium inæqualitate scribitur ad eandem crassitudinem, qua veterem murum, nam apud Tacitum ferenda fortasse esset; quamquam apud eum quoque suspicarer addito **in** notissimam orationis formam restituendam esse, de qua dixi post alios breviter ad Cic. Fin. I, 49 p. 97 (Gr. Lat. § 323 n. 1). 1864.]

enim incerta huiusmodi communis narrationis significatio (568) contraria poni potest certæ, quam Livius supra posuit, narrationi; (eam enim significari, ostendit etiam adiectum longe, nec diversa tradunt potest esse alii alia tradunt; diversus enim ad certum aliquid refertur). Itaque scribendum videtur: De E. r. longe diversa alii tradunt. Tum huius diversæ narrationis auctor unus e pluribus nominatur Valerius.

Cap. 14, 7 (ubi commemoratur Prusiæ ad Romanos legatio): Ceterum quum ad se a Persea legati venissent de finiendo cum Romanis bello, et iis pollicitum deprecatorem apud senatum futurum. Nihil est, quod particulæ et respondeat. Codex habet bello et is. Recte Forchhammer: bello, **ei** (Perseo) **se** pollicitum cet. Deinde codex: ut finiant ira se (edd. iram, se), ex quo idem: ut f. iras, se. Sed gravius corrupta sunt, quæ paulo post (§ 10), ubi refertur Rhodiorum legatorum oratio, leguntur, sic in codice scripta: Tertium se annum multa eius incommoda belli sentire. Mari interim incluso inopiam insulam inopem miss * (spatium sex fere litterarum) ritimus iuuear (tres hæ litteræ valde dubiæ) colendi itaque commeatibus cum id ultra parti non possent, legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, cet. (Imus paginæ versus ab inopem ad iuuear [?] partim erasus est.) Præter alios errores etiam transpositionem vocum accidisse, suspicor, sententiamque talem fere fuisse: Tertium se annum eius incommoda belli sentire mari intercluso; inopem (enim?) insulam colentes maritimis vivere commeatibus; itaque quum id ultra pati non possent, cet. Sterilis agri parva insula Rhodus appellatur XLV, 25, 12. Sed hæc hariolatio est. [Paulo aliter 1864: inopem insulam esse suam; maritimis vivere incolentes commeatibus.][1])

---

1) [Gitlb. p. 58 in codice scribit esse: mari interim in cluso

Cap. 15, 1: Claudius nihil responsum (Rhodiorum legatis superbe Romanorum senatum ad pacem cum Perseo faciendam hortantibus) auctor est; tantum senatus consultum recitatum, quo Caras et Lycios liberos esse (nec parere Rhodiis) iuberet populus Romanus, litterasque extemplo mitti ad utramque (569) gentem sciret indicatum mitti. Sic codex (edd. ante Kreyss. scirent). Extrema corrupta aut lacunosa esse, consentitur; neque tamen valde grave vulnus esse videtur. Constabit enim sententia, si scribetur: litterasque extemplo ad utramque gentem, **ut** sciret iudicatum, mitti. Causam a populo Romano tamquam domino cognitam et iudicatam esse, edocendi Cares et Lycii erant. [Ut iam Sigonius.]

Cap. 16, 4: C. Sulpicius pr. sex millia togarum, triginta tunicarum et equos deportanda in Macedoniam — locavit. Etiam equorum numerus ponendus erat. Codex: tunicarum equos et deportanda, unde Forchhammer efficiebat: tunicarum, equos CC deportanda. Verum non deportabantur exercitibus necessaria in provinciam, sed portabantur (XXV, 3, 10, Sall. Iug. 36 et 104); itaque malim: tunicarum et equos CC portanda. [E provinciis et omnino e locis longinquis et dissipatis res in urbem aut certam sedem, ubi earum usus est, deportantur et convehuntur.] Infra § 8, ubi editur: Censores censum idibus Decembribus severius quam ante habuerunt, in codice ita scribitur (omisso censores): recensum idibus cet. Excidit igitur initium eorum, quæ de censura dicta erant, senatus, opinor, lecti mentionem continens, scribique sic debet: * * **equitum** recensum

---

inopiam insulam inopem miss. . . . . ritimus iuuetur colendaque commeatibus cum cet. Effici videtur: mari — intercluso, in opem insulam, nisi maritimis iuvetur commeatibus, colentes (colentis). Itaque cum cet. Et nisi — iuvetur etiam Gitlbauer, cetera improbabiliter, p. 91.]

idibus Decembribus cet. Neque enim census hic absolute dici poterat, ac ne addito quidem equitum nomine recte census hic appellaretur; nam equites seorsum recensentur (XLII, 16, 1). Recensus nomen hactenus ante Suetonium non legebatur, ut recensionis ante Suetonium uno Ciceronis loco legitur.

Cap. 17, 7: Itaque designatos (consules et prætores a. 168 a. Chr.) extemplo sortiri placuit provincias, ut, utri Macedonia consuli cuique prætori classis evenisset (sic Creverius; vulgo ven.), sciretur, ut iam inde cogitarent pararentque, quæ bello usui forent, cet. Vitiosum est in hac orationis descriptione (quum de futura scientia agatur) plusquamperfectum evenisset, oratio autem tota satis dissoluta, sententia finali altera ab altera nexa (ut sciretur, ut iam inde). Codex: sortiri
(570) placuit provideanteum utri. Scribendum est: sortiri placuit provincias, **ut, cum**, utri Macedonia consuli cuique prætori classis evenisset, sciretur, ut iam inde cogitarent cet. Ferri utcunque potest ut pluribus interiectis repetitum; potest tamen etiam alterum ut ex ultimis litteris verbi sciretur ortum esse; nam iam inde primum locum tenere debere videtur. [Pro ut iam fortasse scribendum ii iam. 1864.] Subiiciuntur (§ 8) hæc: Latinas — primo quoque tempore fieri placere neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneri. Codex teneret. Scribendum igitur est, quod etiam Forchhammer vidit: **ne quid** consulem — teneret.

Cap. 18, 1: Extemplo apparuit omnibus, non segniter id bellum L. Æmilium gesturum, præterquam quod alius vir erat, etiam quod dies noctesque intentus ea sola, quæ ad id bellum pertinerent, animo agitabat. Vox alius non habet, quo referatur, quoniam priorum in Macedonia imperatorum nulla proxime præcessit mentio; codex: quod aliis; recte Forchhammer: præterquam quod **talis** vir erat cet., id est, a quo non

segnis belli administratio exspectari posset. Et ex universo Æmilii ingenio et ex cogitatione eius in belli Macedonici curam pridem conversa coniectura fiebat.[1])

Cap. 22, 2 (in contione L. Æmilii, antequam in Macedoniam iret, habita): Animadvertisse videor, Quirites, maiorem mihi sortito Macedoniam provinciam gratulationem factam, quam quum aut consul essem consalutatus aut quo die magistratum inissem. Neque plusquamperfectum neque coniunctivus rationem habet; nam certum tempus rei factæ indicatur, et gratulatio fit tum, quum quis consul consalutatur et quo die aliquis (571) magistratum init. Codex habet: quam cum aut conpulsus consulatus, in quo perspicue significatur: cum aut consul sum consalutatus; itaque etiam magistratum inii scribendum est; etsi mirum est id in inissent (sic cod.) mutari potuisse. [Originem mendi aperiet hac scriptura: factam, quam quum — inii, esse. 1876.] (Quod

[1]) [Quod Hertzius alias vir posuit, voluit sine dubio alioquin intellegi; sed ita alias neque apud Livium neque hac ætate dictum reperitur; nec ita Paulum Livius laudavit, ut superiores consules viros fuisse negaret. Kochio agilis placuit, quam virtutem Romanus imperator in se laudari miratus esset; neque enim gnavam et fortem industriam id vocabulum significat. Seyffertus ex aliis facit probatus, non sane litterarum similitudinem sectans. Quantum præstitisset bene invento uti. § 3 prorsus neque apud Livium neque apud quemquam ante Tacitum scriptorem ferri potest (ac vix apud quemquam præter ipsum Tacitum, nisi quod de Plinio Maiore non affirmo) hæc verbi substantivi, coniunctivo modo, cum alio verbo particula et copulati omissio: an — angustiæ exsuperatæ et in æqua loca pervenissent. Tacitus quidem hanc duritiam studiose sectatur, ut Hist. libro IV, qui nunc ipsum in manibus est, c. 13: si redintegratum bellum et tot armatorum millia — Italiam irrupissent, c. 18 med., c. 34 ante med. Itaque restituendum, quod excidit, essent. 1864.] § 6 scribendum videtur: Bis in exitu anni eius lapidatum esse nuntiatum est, semel (cod. nuntiatum esse) in Romano agro, semel in Veienti; bis (cod. simul in beientibus) novendiale sacrum factum est.

Weissenbornio in mentem venit ex illis vestigiis efficere: *compulsus essem ad petitionem consulatus,* quæ poterat in eo esse vulgi hominum gratulatio et quod erat id unum tempus?) In eadem oratione paulo infra (§ 4) scribitur: *Illud affirmare pro certo habeo audeoque me omni ope adnisurum esse,* cet. Offendit et inanis copia verborum, quum superiori *sperare possum* satis respondeat *affirmare p. c. audeo,* et pravum loquendi genus *pro certo habeo affirmare,* quum aliud sit *pro certo habere* nec cum simplici infinitivo coniungatur. In codice scribitur *habeo audeo* sine copula. Librarius, quum scribere deberet: *affirmare pro certo audeo,* primum, oblitus *pro certo* cum affirmandi verbo cohærere, posuit: *pro certo habeo,* deinde verum (*audeo*) substituit. Deinde, quoniam in § 6 vulnus tantum aperire possum, non sanare[1]), in § 10 pusillum mendum tollam. Editur enim: *neque enim omnes tam firmi et constantis* (cod. *contactis*) *animi contra adversum rumorem*
(572) *esse possunt quam Fabius fuit.* Cod. *possent q. Fabius fuit;* scribendum est: *possunt quam Q. Fabius fuit.* Nam prænomine carere hæc hominis non ante commemorati significatio nequit. Postremo § 13 (*Itaque si quis est, qui, quod e re p. sit, suadere se mihi in eo bello, quod gesturus sum, confidat, is ne dene-*

---

[1]) In cod. sic scribitur: *Vos, quæ scripsero senatui aut vobis mores crudelitatis vestræ adlatis, quorum* cet. *Credulitatem* recte Grynæus substituit; sed neque *credo, quæ scribis,* Latinum esse pro eo, quod est: *credo vera esse, quæ scr.,* aut: *credo litteris tuis,* hinc confirmatur, neque *ne alatis* pro *ne alueritis* in prohibendo dici. Forma universa orationis hæc fuerat: *Vos, quæ scripsero senatui aut vobis, ea vera esse credatis, rogo, neve rumores credulitate vestra alatis, quorum* cet. Paulo post (§ 8) in codice scribitur: *in convisunt qui exercitus in macemducent,* quæ Grynæus recte emendasse videtur [nisi quod pro *ducant* scribendum videtur *inducant*].

get operam rei p.) excidit posse (suadere se posse); neque enim Latinum est: confido me suadere de re futura. [§ 15 codex habet: Sermonum satis ipsa præbet urbis loquacitatem suam contineat. Grynæus et post eum ceteri: — urbs; loqu. s. contineat. Qui homines loquaces quasi consolans et materiam loquacitati defuturam negans sermonum satis ipsam præbere urbem dicit, non recte quasi fructu fabulandi interdicens adiungit: loquacitatem (omnino) continendam esse; rectissime autem iubet ea materia, quam satis amplam urbs præbeat, loquacitatem contineri. Itaque ex urbis faciendum est: urbs; iis (sermonibus) cet. 1864.]

Cap. 23, 7 (ubi de societate inter Persea et Gentium iuncta agitur): Venientibus Illyriis Perseus — ad Dium occurrit. Cod. Illyriorum; excidit igitur legatis. Tum in iis, quæ sequuntur: Ibi ea, quæ convenerunt, circumfuso agmine equitum facta necessario scribendum convenerant (ante Meteone, ut Perseus iuraret certo ritu.) [Sic Gron.]

Cap. 24, 4 (in mandatis Persei ad Eumenem et Antiochum): sub specie liberandarum civitatum. Codex liberanda civitatis; scribendum igitur: sub specie liberandi civitates. Liberandi mutatum est propter specie. § 7 quoniam in codice pro verum est vera, nescio an sic scribendum sit: ad Eumenem per speciem captivorum redimendorum missus legatus erat; vere occultiora quædam agebantur; nihil tamen affirmo.[1]) [Whittius nostras re vera. 1864.]

Cap. 25, 1 et 2: Eumenes neque favit victoriæ

[1]) Quod § 5 editur: Antiochum victorem præmio belli ab Ægypto (cod. abegypto) arceri, sic dicitur, tamquam præmium belli nescio quod instrumentum sit Antiochi ab Ægypto arcendi. Scribendum igitur cum Gronovio: præmio belli Ægypto arceri.

Persei neque bello eum invadere animo habuit; non tam quia paternæ inter eos inimicitiæ erant quam ipsorum odiis inter se accensæ. Non ea regum æmulatio, ut æquo animo Persea tantas apisci opes tantamque gloriam, quanta Romanis vic-
(573) tis eum manebat, Eumenes visurus fuerit. Mendi aliquid hic esse, iam per se intellegi poterat. Neque enim ulla iacta erat suspicio de Eumene Persei bello invadendi consilia agitante, nisi quod sane iam diu aperte Romanos in bello contra eum adiuvabat; neque, quæ subiiciuntur, ad eam suspicionem tollendam ulla ex parte pertinent, sed ad eam, de qua una agebatur, cogitassetne Eumenes, relictis Romanorum partibus, Perseo se adiungere. Atque hæc certissimo testimonio confirmat repertus in fragmentis Vaticanis Polybii locus, quem Livius expressit (XXIX, 1 d p. 1032 Bekk.): *Ὅτι μὲν οὖν Εὐμένης οὐκ ἂν ἐβουλήθη Περσέα κρατῆσαι τῷ πολέμῳ καὶ γενέσθαι κύριον τῶν ὅλων, εὐχερὲς καταμαθεῖν.* Egregie igitur Forchhammer: Eumenes neque favit victoriæ Persei neque bello eum **iuvare** in animo habuit. [Sic iam Dobreus.] Sed superesse mendum in iis, quæ declarandæ et confirmandæ rei causa subiiciuntur, arguit primum oratio vitiosa: non tam quia paternæ — quam ipsorum odiis accensæ (debebat enim necessario dici quam quia—), deinde ipsa res (inepta est enim diligens hæc distinctio et comparatio inimicitiarum paternarum et inter ipsos accensarum, quum præsertim has ex illis crevisse ipsa verba significent), tum perversa sententiarum continuatio (sic enim subiicitur communis regum æmulationis mentio, tamquam in ea positæ fuerint illæ ipsorum odiis accensæ inimicitiæ), postremo Polybii auctoritas (l. c. *χωρὶς γὰρ τῆς πατρικῆς ἀλλοτριότητος καὶ δυσμενείας, ἣν εἶχον πρὸς ἀλλήλους, τὸ τῆς ἀρχῆς ὁμογενὲς ἱκανὸν ἦν καὶ ἀπιστίαν καὶ ζηλοτυπίαν καὶ καθόλου τὴν μεγίστην ἀλλοτριότητα παρασκευάζειν ἐν αὐτοῖς*). Apparet coniungi apud Polybium inimicitias easque paternas et æmulationem regibus communem; inimicitias paternas Livius,

quia ex iis Eumenes et Perseus δυσμενείαν πρὸς ἀλλήλους εἶχον, poterat magis rhetorice auctas ipsorum odiis dicere; non poterat pravam inter hæc duo comparationem inferre (non tam — quam). Tollendum est igitur quam, hic ut alibi prave additum ob præcedens tam; illi enim non tam libe- (574) riore orationis formâ (de qua dixi ad Cic. Fin. I, 1 p. 4) hæc: non ea regum æmulatio cet. (quibus significatur ζηλοτυπία ἐκ τοῦ τῆς ἀρχῆς ὁμογενοῦς) ita respondent, ut Livius non tam ex privatis Persei et Eumenis inimicitiis quam ex invidia et æmulatione regum communi argumentum ducat, quæ, etiamsi illæ nullæ fuissent, Eumenem a Perseo adiuvando revocatura fuerit. Ut solet Livius, quæ a Polybio vertit, leviter variare, ita hic æmulationis vim nonnihil extulit, inimicitiarum minuit. [Fortasse scrib. etiam: non tantum quia —.] Potest fieri, ut post accensæ exciderit sed (sed non ea); nam illo omisso paulo duriorem esse orationem non nego. Postremo in coniectura relinquo, hisne, quibus removetur inanis de Eumene suspicio, ea, quæ vera Livius putat, sic adiunxerit: **Ceterum** cernebat cet. Saltem aptissimus is transitus esset. Eodem capite § 9 de mercede, quam Eumenes, aut ut quiesceret aut ut pacem cum Romanis Perseo patraret, paciscebatur, Perseique in ea re tergiversatione sic scribitur: Ubi ad pecuniæ mentionem ventum erat, ibi hæsitabat (Perseus) et utique alteram (quam Eumenes, ut quiesceret, paciscebatur) in tanti nominis regibus turpem ac sordidam et danti et magis accipienti mercedem esse. Malebat in spem Romanæ pacis non recusare impensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum; interea Samothracæ in templo depositurum. In his duo sunt menda, prius levius et sublatu facilius. Nam ut feram mercedem in regibus turpem dici, saltem non ferenda merces in regibus sordida et danti et accipienti; dativus unus locum habet; præpositio, ut sæpe, orta ex littera **m** præcedenti. Sed gravius alterum est orationis et sententiæ vitium. Primum

enim hic quoque (ut XXXVIII, 22, 4 et 5) nimis secure et patienter fertur infinita sententia verbo finito adiuncta nec, unde pendeat, habens: ibi hæsitabat **et** alteram — mercedem turpem esse; (nam, omisso et, ferri poterat: hæsitabat; utique alteram cet.); deinde non minus
(575) perverse post malebat subiicitur sed cum sententia infinita (mavult dare, sed postea daturum, ut audiatur dicit). Sed accedit alia pravitas; quæ est enim hæc oratio, ut malle non recusare dicatur, qui, quum alterum non dederit, alterum non recuset? aut quæ est hæc voluntas aut etiam potior voluntas non recusandi? Postremo ne ordo verborum quidem rectus est; primum enim sententiæ locum tenere debebat, quod alteri mercedi contrarium ponitur: in spem Romanæ pacis. Hæc tot tantaque incommoda una littera sublata, altera lenissime mutata (**i** pro **l**) certissime sanabunt reddentque et verbum, unde sententia infinita pendeat, et rectum verborum ordinem: ibi hæsitabat, et utique alteram tanti nominis regibus turpem ac sordidam et danti et magis accipienti mercedem esse **aiebat** (pro malebat); in spem Romanæ pacis non recusare impensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum; cet. Prorsus exprimuntur, quæ apud Polybium nunc leguntur in fragmento Vaticano (XXIX, 1e p. 1033 Bekk.): *περὶ δὲ τῶν χρημάτων ὑπὲρ μὲν τῶν πεντακοσίων ταλάντων αἰσχρὸν ἔφησεν εἶναι καὶ τῷ διδόντι καὶ ἔτι μᾶλλον τῷ λαμβάνοντι* (et danti et etiam accipienti, ne quis ablativos apud Livium fingat) *τὸ δοκεῖν μισθῷ τὴν ἡσυχίαν ἔχειν, τὰ δὲ χίλια καὶ πεντακόσια πέμψειν φέροντας τοὺς περὶ Πολεμοκράτην εἰς Σαμοθρᾴκην κἀκεῖ μεσιτεύεσθαι* (*μεσιτεύσεσθαι* aut *μεσιτευθήσεσθαι*?). Sed veram sententiæ et orationis formam a Polybio traductam iam Appianus monstrabat (Maced. fr. 18 ex excerptis Peiresc.), quo duce expleta est lacuna in § 6; nunc supplementum Polybius confirmat.[1])

---

[1]) [III, 51 extr. cod. M pro aiebant habet alebant. Hic m præcedens effecit malebat.] **Repositum hic aiebat pro malebat**

Cap. 26, 1 et 2 quæ emendanda erant, alterum et maius (576) Gronovius præcepit, alterum quum ipse emendassem, vidi a Kreyssigio et Bekkero occupatum. Nam quum in codicis scriptura primum ridicule Perseus, qui reprehenditur, quod pacem pecunia emere noluerit, pecuniam tutam et pacem habere potuisse dicatur (quasi non, ut pacem haberet, pecunia dimittenda fuerit), deinde nescio quid nugarum narretur de Perseo recepto (ex quo reiectum nuper Weissenbornius fecit, quasi reiectus Perseus ab Eumene fideliter Romanam societatem tuente et mercedem spernente protrahere eum mercede onustum potuerit), Gronovius sagacissime scripsit: quum pecunia **tantula aut** pacem habere per Eumenem — aut **deceptus** protrahere mercede onustum — posset, eamque emendationem maiore ex parte nunc idem, qui superiorem nostram, egregie confirmat Polybius (fragm. Vat. XXIX, 1 f p. 1034 Bekk.): *εἰ μὲν γὰρ συνήργησέ τι* (*Εὐμένης*) *τῶν κατὰ τὰς ἐπαγγελίας καὶ διέλυσε τὸν πόλεμον, εἰς καλὸν ἡ δόσις· εἰ δὲ ταύτης διεψεύσθη τῆς ἐλπίδος* (aut deceptus), *εἴς γε τὴν πρὸς Ῥωμαίους ἔχθραν ὁμολογουμένως ἀναφανδὸν* (scr. *ὁμολογουμένως ἂν αὐτὸν*) *ἐμβεβλήκει.* Et hoc quidem Gronovii inventum est, in quo unum tantula certum non est; nam potest etiam latere data (pecunia data) aut simile participium. Deinde e codicis scriptura: sedtamtegenti recte Kreyssigius ante (cui respondet: et tum Gallorum) eruit, sed iam minus recte addidit; rectius Bekkerus: sed et ante Gentii — et tum Gallorum

---

in memoriam revocat spretam incredibiliter in Ciceronis Brut. 20, 79 facillimam certissimamque Manutii emendationem, ex eloquentemmalium facientis eloquentem aiunt, et retentum fulcrum ab interpolatore additum dicunt. Polybio Livius in eodem loco, unde adiutus est, exiguam reddet auxilii gratiam. Nam quod ibi legitur: *ὁ δὲ Περσεὺς ἐλέγετο περὶ τῶν ὁμήρων, πόσα καὶ πότε πέμπεσθαι καὶ πῶς δεήσει ταῦτα τηρεῖσθαι παρὰ τοῖς Κνωσίοις*, apparet, *ἐλέγετο περὶ τῶν ὁμήρων* nihil esse. Scribi debet *ἠπείγετο* (festinabat, festinanter agebat). Livius § 8: de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat.

— ingens oblatum **auxilium** avaritia dimissum est. His igitur occupatis, relinquuntur tamen in hoc capite alia
(577) quædam corrigenda. Primum § 6, ubi de Persei conatu Gallos ad societatem alliciendi agitur, editur: ipse (Perseus) equos phalerasque et sagula, donum principibus, ferre et parum auri, quod inter paucos divideret, cet., vitiose parum pro eo, quod est paulum, posito. In codice est parvom auri (ipsa antiqua scriptura, quam et alibi interdum in æquom, equom aliis librarius servavit), quod quamvis pro substantivo de parvo numero et copia rarum sit (inusitatum esse significavi Gramm. Lat., § 285 b in margine), tamen sperni non debet, [quum præsertim ipse Cicero Verr. III, 130 perparvum ex illis lucris ad se pervenire dixerit], non magis quam alterum illud, apud Ciceronem et antiquiores non minus inusitatum, apud Livium quater omnino, nisi fallor, positum, exiguum cum genetivo (exiguum diei IX, 42, 6, exiguum spatii XXII, 24, 8, ex. campi XXVII, 27, 3, ex. temporis XL, 28, 4), — nam VII, 4, 7 si quid exiguum, non per se exiguum dicitur, deinde autem apud Ovidium, Senecam (de Brev. Vit. 1), Plinium utrumque, alios. Nam parvum sanguinis Lucanus dixit II, 128, parvum temporis Seneca Med. 293, parvum sui idem Herc. Oet. 815, parvulum temporis Valerius Max. I, 7, 7, eodemque pertinet, quod pro eo, quod apud Ciceronem et antiquiores dicitur paulo plures (maior, cet.), Livius etiam parvo plures dixit (X, 45, 11) quomodo Plinium Maiorem et Gellium locutos lexica demonstrant; (Plinius etiam exiguo post habet). Nec ita difficilis erat ad hæc transitus ab iis, quæ apud omnes reperiuntur, parvo contentus, summas voluptates consequi parvo, similibus. Sequuntur (§ 9) hæc de iisdem Gallis: Hæc mandata ad eos quum pertulisset Antigonus adiecissetque, per viam quanta omnium præparata cura regis copia multitudini foret, quibusque muneribus principes advenientes vestis, argenti equo-

rumque excepturus rex esset, his quidem se coram cognituros respondent, illud — interrogant, cet. Poterat suspicionem movere et ordo verborum (per viam sine causa pronomini præposito) et multitudinis nomen abundans nec aptum, quoniam etiam principibus ea copia parata erat; sed tamen hæc parum gravia forsitan viderentur, nisi aliter Livium scripsisse codex perspicue ostenderet, qui hæc habet: adiecissetque, per quem quantam omnium præparatam cura regis copiam intuli forent. Partem veri Weissenbornius vidit, latere in litteris (578) intuli participium futuri temporis de Gallis positum (inventuri forent); participium ipsum ceteraque ei apta non invenit. Scripserat enim Livius: **per quantam** omnium præparatam cura regis copiam **ituri forent**, quibusque muneribus — excepturus rex esset. Quem ante quantam aut ex huius vocis primis litteris prave primum scriptis aut ex que (ante per) ortum esse videtur. Restat in § 11 (Quum ad id nihil responderetur, Clondicus regulus eorum: Abi, renuntia ergo, inquit, nisi aurum obsidesque accépissent, nusquam inde Gallos longius vestigium moturos) mira et plane incredibilis sine ulla causa confusio rectæ orationis (Abi, inquit) et obliquæ (nisi — accepissent, nusquam inde pro: nisi — acceperint, nusquam hinc vel potius: nisi — acceperimus), ad quam coarguendam accedit vitiose posita ergo particula; debebat enim sic scribi: Abi ergo, renuntia. Mendi sane miri præcipua sedes in inquid (sic cod.) pro iubet scripto: Clondicus regulus eorum **abire nuntiareque iubet** regi, nisi cet. Prima tamen origo fortasse fuit imperativi (abi) species obiecta animo, quum re syllaba ad proximum vocabulum (renuntiare) tracta esset. Secutum est renuntia ergo, tum inquid.

Cap. 27, 1. Perseus tantum quinque millia equitum Gallorum se conducturum dixerat, quibus uti ad bellum

Macedones possent quorumque multitudinem ipsi non timerent: *Apparebat omnibus, mercedem multitudinis timere nec quidquam aliud; sed quum suadere consulenti nemo auderet, remittitur Antigonus*, cet. Primum in codice scribitur: *mercedem multitudinem*, ex quo facilius fit: *mercedem in multitudine timere* (bei der Menge, si multitutudo conduceretur); videndum præterea, ne *timeri* Livius scripserit; valde enim dure omittitur *eum*. Sed gravius alterum mendum. Si enim Perseus reapse suos consuluisset, minus erat reprehendendus; nec
(579) intellegitur significaturve, cur nemo ausus sit consulenti suadere; saltem *vera suadere* dicendum erat; sed ipse Livius (superiore capite § 12) apparuisse Perseo dixit, quid omnes, si consuleret, suasuri essent (ut, quod nolebat, pecunia data Gallorum opera uteretur). Itaque consulenti regi et suadere et vera suadere parati erant. Scripserat Livius: *quum suadere* **non** *consulenti nemo auderet*. Hoc ipsum dicit, Persea, quum sciret, omnes contrarium ei, quod optaret, suasuros esse, exprompta ipsum oratione de Gallorum perfidia et feritate, non consulendo contra dicendi locum non dedisse. *Non* ante *con* omissi non rara exempla sunt et in aliorum codicibus et in Livii, ut II, 45, 4 in Med., in Vindob. XLII, 14, 8.[1]) De contrario errore dixi ad IV, 4, 9 p. 90. Ex-

---

[1]) In Ciceroris Cluentiana c. 45, 127 verissime Lambinus restituit: *Aut illud adferant, aliquid sese, quod de his duobus habuerint compertum, de ceteris non comperisse*, pro: *de ceteris comperisse*. Postulat Cicero, ut ostendatur, reapse censores aliquid singulare in duobus illis iudicibus, quos solos notaverint, comperisse; alioquin se adfirmaturum significat, nihil valere illam incerto rumore expressam notationem. Negationem addendam esse, vel solum pronomen *aliquid* ostendit, pro quo alioquin *idem* dicendum erat. Sed prorsus ridiculum est postulare, ut censores adferant, se idem comperisse de iis, de quibus ipsi contraria statuerint. Apud Senecam Rhet. Controv. II, 12 p. 173 Bip. [cum Schultingio] scribendum: *In hac controversia Latro contrariam rem non controversiæ* (v. *rem con-*

tremo capite § 12 hæc eduntur: Hoc audito Perseus, contraxisse eum (Gentium) necessitates ratus ad bellum utique cum Romanis, ad revocandum, qui pecuniam portabat, misit, quæ tacita prætermissa miror, nisi quod dubitatum est, an scribi oporteret: ad revocandos, qui pecuniam portabant. Nam neque necessitates plurali numero h. l. appellari possunt, quum universe significetur, (580) Gentium eo iam perductum, ut bellum cum Romanis necessario suscipiat, neque necessitates **ad** bellum contrahere tolerabiliter dicitur neque utique cum substantivo coniunctum Latinum est; (nam si cum verbo coniungere conere, sententia erit: utique ad bellum, si non ad aliam rem, hoc est, ineptissima). In codice est: contraxisse eum necessitatis. Scribendum est: contraxisse eum necessitatis **satis** ratus ac **bellaturum** utique cum Romanis.

Cap. 28 Livius Antenorem et Callippum a Perseo cum XL lembis Tenedum missos, ut inde sparsi per Cycladas insulas naves Macedoniam cum frumento petentes tutarentur, stantes Tenedi in portu Rhodias naves incolumes dimisisse narrat. Tum (§ 4) sic pergit: Cognito deinde, in latere altero (Tenedi) quinquaginta onerarias suarum (suorum?) — inclusas esse, circumvecti propere ac submotis terrore hostium navibus onerarias — in Macedoniam mittunt. Codex habet: circumvectus — mittit, quod ex illo oriri vix potuit. Itaque Livius, quum initio duos præfectos classis quasi dignitate pares nominasset, satis neglegenter sui oblitus iam hic ad unum Antenorem narrationem transtulit, quem deinde in tota hac re unum nominat, Callippo prorsus omisso, § 8 et 15 et c. 29, 3.

---

troversiæ) dixit, sed sibi. [Quid sit inania effugia quærere, ne veritati pareas, et permultis aliis locis, quos sciens lubensque omitto, et hic exemplum e Weissenbornii adnotatione capi potest.]

Tollendus deinde § 6 in nomine proprio gravis error: Nono post die (lembi in Macedoniam missi) ad classem iam ad Sigeum stantem redierunt. Inde Subota (insula interiecta est Elææ et Atho) traiiciunt. Perversissime Subotorum situs definitur inter duo loca minimum triginta milliaria geographorum mensuræ distantia, inter quæ
(581) Lesbus et Lemnus interiectæ erant, quum præsertim ex iis, quæ sequuntur, appareat, ex specula Subotorum conspici potuisse naves Elæa Phanas, Chiorum promuntorium petentes. In codice scribitur Eleæetho, ex quo efficitur Elææ et **Chio**. Is situs insulæ toti narrationi convenit.[1] Paulo post (§ 10) oratio sic interpungenda est: Sed quum iam appropinquantium forma lemborum haud dubia esset, — tunc iniecta trepidatio est. (Hic primus narrationis quasi gradus est. Sequitur trepidationis exitus.) Quum resistendi spes nulla esset, inhabilique navium genere et Gallis vix quietem ferentibus in mari, pars eorum — in Erythræam enarunt, pars cet. Tum § 13 in codice est: Clauserant enim Chio partāsignari cet. Scribendum: Cl. enim Chii portas (non portam), ignari, qui fugerent aut sequerentur. Nam Chii periculo territi omnes urbis portas clauserunt, Galli ante unam, quam petierant, exclusi sunt. Postremo § 16 quum in codice sit: spe celerius ingressis ex lembis, scribi debet: spe celerius regressis X lembis, non, ut Grynæus fecit ceterique tenuerunt, reversis, quod participium apud Livium hoc uno loco legi credo. [XXXVII, 24, 9 deteriores reversi habent, M et B revecti.]

Cap. 29, 2: Itaque permixti Romanique et Macedones et Eumenis navales socii in templo, indutias religione loci præbente, versabantur. Codex:

[1]) Quod nuper tentatum video, Elææ et Asso, neque situs convenit (Lesbo interiecta) neque codicis vestigia confirmant. Recte tamen mendum animadversum est.

et in templo; opinor, Livium scripsisse: et **in urbe et** in templo; nam per urbem sine dubio plus temporis versabantur quam in templo erant. [§ 4 extr. vocabulum naves post præcedens onerarias naves non solum otiosum est, sed vitiose quasi cum pondere aliquo extremo loco superadditur. 1864.]

Cap. 30, 1: novi duces in provincias venerant, consul Æmilius in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui bellandum adversus Gentium. Patre Pleurato rege Illyriorum (582) et matre Eurydica genitus fratres duos — habuit. Neque in sententia relativa imperfecti temporis verbum (erat) omitti apud gerundivum potuit, neque narratio transferri ad Gentii genus exponendum, nisi notata persona saltem pronomine (is). Sine dubio Livius scripserat: Gentium **erat. Gentius** patre Pleurato cet.[1])

Cap. 31, 7: Quod si clausis portis muros portarumque turres dispositis armatis defendissent, vano cum incepto moenibus pepulissent Romanos. Cod. turris disposita armati defendissent. Scribendum igitur: dispositi armati defendissent cet. Alioquin defendisset de Gentio rege dictum esset.[2])

Cap. 32, 7 in codice sic scribitur: Ænean ∞ equites Creantigonensis misit ad tutandam maritumam amor. Videtur fuisse: Æneam ∞ equites et **Creon** Antigonensis missi ad t. m. o. Kreyssigius (cui Creontis nomen debetur) et Weissenbornius longius a vestigiis codicis discedunt. Misit et missi alibi quoque in Vind. confusa.

---

[1]) § 13 Livianum non est: ad auxilia Parthinorum iunctis (cod. iuventa) duobus millibus, sed adiunctis, nisi forte aliud subest (e Parthinorum iuventute adiunctis d. m.

[2]) [§ 3 barbari nominis forma retenta (Clausal a latere, non Clausala latere) æqualia efficit orationis membra bis posito a. 1864.]

Cap. 33, 1 (post lacunam, ubi de L. Æmilio consule aquæ inopiæ, qua exercitus laborabat, succurrere conato narratur): Postremo sequi se utrarios ad mare, quod minus trecentos passus aberat, iussit et in litore alios alibi modicis intervallis fodere. Utrariorum, quod nomen alibi non reperitur, quis usus fuerit in puteis fodiendis, difficile est intellectu; si aquæ copia parata fuisset, utribus eam in castra milites ipsi portassent, non proprium aliquod hominum genus. Codex: sequi sedutrarios. Livius scripserat: sequi se **putearios** (**p** pro **d**). Eorum hic labor erat puteorum fodiendorum; nomen est etiam apud
(583) Plinium Maiorem. Quod autem subiicitur (§ 2), montes ingentis altitudinis spem fecisse, eo magis, quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere (recte Dukerus: contineri) latices, non solum alibi non reperitur evergere, sed ne vergere quidem ipsum transitive dicitur nisi apud poetas significatione alio inclinante, de humore in vas infundendo (eingiessen). In codice est: evergenttrivos; fieri potest, ut scriptum fuerit olim egererent aut erigerent (ἀναπέμπειν). Paulo post (§ 5), ubi de institutis Æmilii in re militari agitur, hæc leguntur: His satis exploratis illa quoque primum, ut ordine ac sine tumultu omnia ad nutum imperiumque ducis fierent, providit. Non potest sic pronomini pluralis numeri, ea, quæ subiecturus scriptor est, universe demonstranti, statim, nondum posito verbo, subiungi partitionis et primi membri nota (primum); prorsus enim obscuratur et evertitur ipsa demonstratio et pronominis significatio. Poterat dici: illa quoque providit, primum ut cet., ut pro altero membro deinde mutata structura subiiceretur illud: Vigiles etiam cet. Quamquam hic quoque pronominis usus, adiecto præsertim anacolutho, Ciceronis orationi magis conveniret quam Livii. Accidit hic, quod in proximis superioribus accidisse recentiores, cognita codicis scriptura (§ 4: ipse cum tribunis primisquæ ordinibus quæ

ad contemplandos transitus), viderunt, ut verbum unum aut alterum excideret, quum huiusmodi fuisset orationis forma: His exploratis **alia** quoque **novavit** (vel: in melius mutavit); primum, ut ordine — fierent, providit. [Ceterum suppleta oratione illa fortasse retineri posse Wesenbergius recte monuit.] Atque idem in iis, quæ sequuntur (§ 6), factum esse videtur, sed apertiore de causa. Nam ut nunc editur: Ubi omnibus simul pronuntiaretur, quod fieret, neque omnes exaudirent, incerto imperio accepto, alios — plus eo, quod imperatum sit, alios minus facere, id, quod minus recte instituto efficitur (ut non omnes exaudiant), ita cum ipso instituto coniungitur, ut tautologia nascatur. Itaque, quum in codice non exaudirent sit, sed exaudiret, (584) Livius ad hanc formam scripsisse videtur: Ubi omnibus simul pronuntiaretur, quod fieret, **neque clare** neque omnes exaudire; incerto imperio accepto alios cet. (Cfr. c. 36, 7.)

Cap. 34, 5 recte Kochius intellexit, quum in codice esset: illos (milites) nihil quodid futurum sit quærere ubi datum signum sit tum militarem operam (navare debere), sub illo quodid, pro quo Grynæus substituerat quod, latere vocem interrogationis de tempore indicem; significatur enim milites semper ad navandam operam paratos esse debere, temporis delectum imperatori permittere. Sed quod quando scripsit, potest propius ad codicem accedi, ut sit nihil quo die, una littera correcta, quæ depravata est, quum **d** librarius ad priorem vocem traxisset (quo die); et acrius hoc est quam quando. (1864.) Eodem capite § 9 omissi alterius verbi (cerneret pro cerneret, sciret) tenue superest in codice indicium (qui, non quis) sed quod satis sit, quoniam in primaria sententia h. l. non recte diceretur cerneret pro intellegeret aut sciret, de coniectura ex rebus visis capta (1864).

Cap. 35, 4: Sub idem tempus Rhodii legati in

castra venerunt cum iisdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram patrum excitare. Sic cod.; Gryn. excitavere, sed necessario scribendum videtur excitarant, etsi has terminationes alibi inter se permutatas non memini. (1864.) Ibd. § 7: Placebat quibusdam — per Elpei ripam munitionesque vim facere: confertis et vim facientibus resistere Macedonas non posse. In cod. pro altero vim est uno; si vim rectum esset, omisso et scriberetur: confertis vim facientibus. Num cuneos facientibus? (1864.)

Cap. 36, 3 (de L. Paulo pugnam differente): Sed tantus ardor in animis ad dimicandum utrimque erat, ut consuli non minore arte ad suos eludendos quam ad hostes opus esset. Nihil ad Pauli consilia pertinebat, quod etiam apud Macedonas ardor ad dimicandum esset; neque enim eum ardorem sua arte eludere poterat. In codice recte scribitur omnibus litteris: ad dimicandum utcunque erat. Milites et bona et, si id non poterant, quacunque condicione (utcunque) dimicare cupiebant. Grynæus a sententia aberravit, deceptus fortasse iis, quæ c. 37. 10 leguntur.[1]) Paulo post (§ 7) alterum orationis membrum excidit: Quod ubi fieri milites sensere, alii non moleste ferre, alii gaudere palam, quod — flagrantissimo æstu non coegisset pugnare. (In c. 35 bis idem error notatus est, § 5 in geminato alii, § 18 in geminato hinc.) Deinde § 10, ubi in codice est: Macedoniæ sit æsosque sicut prioribus ducibus per calles saltusque Macedonicorum montium vagando circumagatur, scribendum esse æstasque, dixi iam 1852, estque

[1]) § 2 in codicis scriptura (meridie æstate magis adcesserunt tum mox adparebat [Gitlbauer: adparebaret]) latere videtur: meridie æstum magis accessurum — adparebat; ex tum mox quid faciendum sit, nescio. [Rectius: æstum magis accensurum utrumque, vel fortasse: utramque noxam. Accensurum etiam Hertzius. 1864.]

res tam aperta, ut pluribus explicanda non sit. [IX, 18, 14: circumegit se annus.] Tempus rebus gerendis aptum ne vagando consumatur, Nasica veretur. (De exercitu dicendum erat: inutiliter vexetur aut similiter. Perseus non circumageretur, sed Romanos circumageret.)[1]) Postremo § 13 (in Æmilii consulis verbis) scribitur: Non operæ sit (585) stanti nunc in acie docere, quibus de causis hodie quiesse melius sit. Certissima sermonis lex postulat operæ st; sic enim loquuntur, qui sibi tempus otiumque aliquid faciendi deesse dicunt (ut ipse Livius I, 24, 6, IV, 8, 3, XXIX, 17, 17, XXXIII, 20, 13, XLI, 25, 8; adfirmative quibus operæ est IX, 23, 12, cfr. V, 15, 6); condicionalis oratio ineptissima est, quasi neget Paulus nunc se in acie stare. De genere mendi dixi multosque locos correxi ad Cic. Fin. III, 58 p. 444, Opusc. Ac. II p. 222; habeo etiam nunc, quos addam. [Sic iam Gron.][2])

Cap. 37, 12, ubi agitur de L. Paulo altero etiam die pugnam segni mora vitare multis viso, etsi nullum est aut in codice aut in verborum, quæ scripta sunt, grammatica forma mendi indicium, tamen id certissimis et orationis et sententiæ argumentis convincitur. Sic enim scribitur: Consul ad id, quod pridie prætermisisse pugnandi occasionem videbatur et locum dedisse hosti, si nocte

---

[1]) In verbis: ne, nocte abeat, sequendus sit pervellem, Weissenbornius, quum si audiri posse disputaret, meo nomine abstinuisset. Mihi enim nihil incredibilius videtur.

[2]) Apud Festum v. Offendices non recte Muellerus e codice restituit: quum ad mentum perventum sit (pro perventum st), offendit mentum, miramque confinxit orationis rectæ et obliquæ confusionem. Apud Senecam Epist. 92, 11 scribi debet: Quid ergo? Si virtutem nihil impeditura st (v. sit) bona valetudo et quies et dolorum vacatio, non petes illas? Coniunctivus vitiosissimus est. Etiam apud Corn. Nep. Thrasyb. 1 scribendum [cum Fleckeiseno]: Si per se virtus sine fortuna ponderanda st (pro sit), dubito, an cet. [Alia correxi Advers. Crit. vol. II pluribus locis.]

abire vellet, tunc quoque per speciem immolandi terere videbatur tempus, quum luce prima signum propositum pugnæ ad exeundum in aciem fuisset. Quis credat aut consulem, antequam immolasset, pugnæ signum proposuisse aut omnino id eo die a prima luce propositum fuisse, quo et consul ipse, tertia hora, significet (c. 38, 7), incertum esse, hodierno an crastino die exiturus in aciem sit, et Livius (c. 40, 3), neutro imperatore volente,
(586) casu certamen contractum narret? Quum decrevit imperator pugnare, omnibus præparatis, tum demum signum proponit et in aciem exit. Deinde quis unquam sic locutus est, ut signum pugnæ ad exeundum in aciem diceret pro eo, quod est signum exeundi (aut ad exeundum) in aciem aut signum pugnæ? Perspicuum est, in consule non, quod factum esset, sed quod faciendum fuisset nec factum esset, reprehensum narrari (quum — exeundum in aciem fuisset). Itaque aut in propositum corrupta participii forma est et sic scribendum: quum luce prima signum **proponendum** pugnæ **atque** exeundum in aciem fuisset, aut casus licenter mutatus, ut hoc restitui debeat: quum luce prima **signo proposito** pugnæ exeundum in aciem fuisset. Non decerno, in utram partem maiora probabilitatis momenta

u.

inclinent. (Codex signasm pro signum.) (Livium II, 33, 9 plusquamperfectum coniunctivi hypotheticum subiecisse coniunctioni per se coniunctivum postulanti, commemoravi in Opusc. II p. 227; addi potest X, 46, 6: quum — potuisset; neque enim participium erat, quo uteretur; hic, si coniunctio abesset, recte diceretur: exeundum fuerat.)[1] Extremo capite § 13, ubi editur: Post sermones tamen consul orationem habuit, in codice

[1]) [Vahlenius ad propositum signum, propius ad cod. Recte milites ad signum (ab imperatore) propositum arma capere dicuntur, imperator, qui ipse signum proponit, vix recte ad signum propositum exire.]

nullum præpositionis (post) vestigium est nimisque infinite et breviter post sermones dicitur de consultatione aliquamdiu habita, videturque Livius aliud scripsisse (velut: Tum contra huiusmodi sermones); illud quidem constat, scribendum esse: **talem** consul orationem habuit. Tamen particula prorsus inepta est ad sententiam.[1])

Cap. 39, 1 (in oratione Æmilii consulis, ubi ostendit, quam iniqua condicione Romani superiore die pugnaturi fuerint): At hercule aciem quidem inconditam inordinatamque habuissemus, castra [scr. sed castra] munita, provisam aquationem, tutum ad eam iter præsidiis impositis, explorata circa omnia; an nihil nostri habentes præter nudum campum, in quo pugnaremus? Scire pervelim, quod nemo indicandum (587) putavit, quodnam verbum finitum ad particulam an audiendum editores putarint, qua interrogando vera fictis contraria ponuntur; (mixta est enim hæc oratio, ut ad XXXVIII, 59 p. 450 exposui, ex ironia et altero membro interrogationis disiunctivæ, quasi dicatur: Utrum castra munita — habuissemus — an nihil nostri cet.). Mihi unum repeti posse videtur habuissemus. Quæ sunt igitur hæ sordes: an nihil nostri habentes præter nudum campum habuissemus? (Rectum futurum erat, novo verbo adscito: an nihil nostri habentes pr. n. c. pugnassemus? Sed id ne errore quidem memoriæ obversatum Livii animo ostendunt adiecta: in quo pugnaremus.) Itaque nisi plura corrupta sunt, cuius rei nullum est indicium, tollendum est habentes, additum ab aliquo, qui orationis formam non intellexerat. In eadem oratione § 7 et 8 hæc le-

[1]) [Sic iam Roëllius. Gronovius hanc consul suspicatus erat. Seyffertus dubitat, utrum præferendum sit, at magis credit hanc scribendum esse. Vellem, inspectis duobus Livii locis, V, 3, 1 et XLIV, 22, 1, simul, quid esset in litterarum permutatione probabile, considerasset. (§ 10 in parenthesi significanda necessario addendum nam aut enim.) 1864.]

guntur: Ego autem neque mansurum eum (hostem Persea) neque in aciem copias educturum fuisse certum habeo, si cedere hinc statuisset. Quanto enim facilius abire fuit, quum procul abessemus, quam nunc, quum in cervicibus sumus? Nec falleret nos interdiu aut nocte abeundo. Quid autem est nobis optatius quam ut, quorum castra præalta fluminis ripa tuta — oppugnare adorti sumus, eos — agmine effuso abeuntes — ab tergo adoriamur? (Sic Kreyssigius et Weissenbornius; antea edebatur: Nec falleret nos nec interdiu nec nocte abeundo. Quid cet. Codex habet: nec fallere nos nec interdiu aut nocte abeundtem est nobis optatus quarum ut quorum castra cet. Kreyssigius neque omnia indicavit et erravit.) Primum ab hac descriptione status eius, qui nunc est: quam nunc, quum in cervicibus sumus, prave separatur totum illud, quod eodem pertinet: nec falleret cet. Deinde non recte de eo, quod nunc, si tentet Perseus, fieri nequeat, ponitur nec falleret (pro:
(588) nec fallet aut in fingendo: nec fallat). Accedunt codicis vestigia, ex quibus manifestum est, sic scribendum esse: quum in cervicibus sumus nec fallere (cod.) nos interdiu aut nocte abeundo potest. Quid autem est nobis optatius quam ut cet.[1])

Cap. 41, 1 et 2 (in descriptione proelii ad Pydnam): Intervallum, quod inter cetratos et phalanges (Gron. phalangem) erat, implevit legio atque aciem hostium interrupit. A tergo cetratis erat, frontem adversus clipeatos habebat (aglaspides appel-

---

[1]) Cap. 40, 8 nihil erat quod sperneretur tenus cum genetivo iunctum (genus tenus) exemplo ipsius Livii (XXVI, 24, 11) et Cælii (in Ciceronis epist. ad Fam. VIII, 1, 2) et Quintiliani (XII, 2, 17), ut Plinium (H. N. XXXIV, 58) et poetas omittamus; nam de forma genetivi nostro tempore non dubitatur. (1864.)

labantur). Si sic Livius scripsit, prave scripsit. Nam legio inter cetratos atque clipeatos (phalangitas) interposita, si frontem adversus clipeatos habet, tergum obvertit cetratis, hoc est, cetratos habet a tergo, non ipsa iis a tergo est. Omninoque, quæ manus interposita binis hostibus est, eius ipsius frons et tergum utro spectet, distinguitur; si de hostilibus manibus in contrarias partes versis ageretur, dicendum erat: cetratis a tergo erat; clipeatorum frontem sibi obversam habebat; nunc perverse alterum de Romanis dicitur, alterum de Macedonibus, ut contrarium, quod notari videtur, nullum reapse sit. Nam quæ legio frontem adversus clipeatos habet, potest eadem iis (si ipsi aversi stant) a tergo esse; contra cetratis a tergo esse usitate dici nequit; iis enim demum a tergo esse dicimur, quorum tergo nostra frons imminet, non iis, quorum tergo tergum obvertimus. Itaque Livius scribere debuit et, ut opinor, scripsit: A tergo (legionis) cetrati erant, frontem adversus clipeatos habebat; (hoc ordine:

— cetrati,
— tergum legionis,
— frons legionis,
— clipeati).[1])

Cap. 43, 3 et 4: Perpauci inde Pellam celerius quam (589)
ipse Perseus, quia recta expedita (bene Gronovius: recta et expedita) via ierant, pervenerunt; rex ad mediam ferme noctem terrore et variis difficultatibus viæ vexatus est. Neque terror contrarius est

[1]) Cap. 42, 7 recte iudicavit, quicunque Romanis ab conveniebat seiunxit; neque enim de Romanorum iudicio agebatur, præsertim si omnes Macedonum clades numerarentur, neque de consentienti iudicio dici sic poterat (pro eo quod est: inter Romanos). Scribendum igitur est [cum Weissenbornio]: Facile conveniebat, a Romanis nunquam cet. Nam dativum pro præpositione a Livio positum nimis leviter et sine discrimine Drakenborchius fingit. Non minus contra codicem paulo supra (§ 6) ante scaphis additum est e.

viæ rectæ et expeditæ neque celeritati fugæ obstare solet neque media nocte desinere. Scribendum esse errore, etiam Weissenbornio in mentem venerat, sed iniuria iudicium mutavit. Sequuntur in editionibus hæc (§ 5): In regia Perseo, qui Pellæ præerat, Euctus regiique pueri præsto erant. Sed aliter Livium scripsisse, codex ostendit, in quo hæc sunt: difficultatibus videx vexatus in regiamesta perseo qui Pellæ præerant coactusque regi pueri præsto erant. Plutarchus, eadem Polybio duce plenius narrans, quæ Livius parum diligenter contraxit, Persea dicit, nocte Pellam ingressum, Euctum et Eulæum, pecuniæ custodes, qui præsto fuissent et importuna libertate præterita reprehenderent consiliaque darent, sua manu interfecisse. Utrumque hominem etiam Livium nominasse, ostendit codex (præerant coactusque), viditque Weissenbornius; in ceteris aberravit; nam e codicis vestigiis hæc efficiuntur: vexatus **est.** In regia **mæsta** Perseo, qui Pellæ præerant, **Eulæus** Euctusque et regii pueri præsto erant. (Si quis est transpositum putabit, regiam et **a** errore scripta, fiet tantum: vexatus est. In regia Perseo cet.)

Cap. 44, 2 (de minore L. Æmilii filio post proelium
(590) aliquantisper desiderato): P. Scipio is erat, Africanus et ipse postea, deleta Carthagine, appellatus, naturalis consulis Pauli adoptione Africani nepos. Recte post Pauli additur filius a recentioribus, Dukero auctore. Sed manifestum est, si quid unquam, hæc Africanus et ipse referri ad præcedentem alterius Africani mentionem; ne per se quidem cognominis postea parti mentio generis commemorationi recte præmittitur. Itaque h. l. certissimum tenetur exemplum totius versus suo loco moti et post non recto inserti. Sic enim Livius scripserat: P. Scipio is erat, naturalis consulis Pauli filius, adoptione Africani nepos, Africanus et ipse postea, deleta Carthagine, appellatus. Minus manifesta res erat XLII,

37, 8, ubi indicavi (p. 531), quibus locis alia exempla notaverim.[1])

Cap. 45, 8 et 9: Perseus — in contionem processit —, ut et ipsos Amphipolitanos et equitum peditumque, qui aut semper secuti aut fuga eodem delati erant, adhortando animos confirmaret. Neque semper recte dicitur de unius ex proelio ad Pydnam fugæ comitibus neque deesse significatio potest, quem secuti fuerint. Scribendum: qui aut **se persecuti** aut fuga eodem delati erant. Persequi aliquem de continuo comitatu Livius, ne alios commemorem, dixit II, 59, 9, V, 40, 4, XXIX, 31, 8 (persecuti sunt regem), XLV, 6, 7 (ea cohors persecuta regem fugientem). De mixto rectæ et obliquæ orationis forma in pronomine et modo verbi (se — erant) res nota (Gramm. Lat. § 369 not. 2 et 490 c not. 3. Livius II, 55, 6: ubi indignantium pro se (591)
acerrimus erat clamor, VII, 37, 3).[2]) Subiicitur (§ 10): Sed aliquoties dicere incipientem quum lacrimæ præpedisent, quia ipse dicere nequiit, Euandro Cretensi editis, quæ agi cum multitudine vellet, de templo descendit. Si offendi te dicas hac repetitione: dicere incipientem — quia dicere nequiit, erit fortasse, qui elegantem eam esse doceat. Sed tamen usum ea Livium non esse, codex ostendit, in quo scribitur:

---

[1]) Venit mihi in mentem Asconii eandem cognationem commemorantis ad Cic. in Pis. p. 126 Hot., ubi quum in editione prima sic scribatur: qui fuit pater naturalis Africani posterioris; de Macedonia atque ultimum eius de rege triumphavit, scribi debet: — posterioris, de Macedoniaque ultimum (das letzte Mal) Perseque rege triumphavit. [Mirifice Weissenbornius hoc: Africanus et ipse postea appellatus recte referri disputat ad subsequens Africani, alienissimis usus exemplis.]

[2]) [Verbi persequi usum satis, opinor, quattuor loci defendunt; de se — erant Weissenbornii timiditatem dicam an obtrectationem? exemplorum copia confutare piget.]

quia ipse scire nequid, hoc est: quia ipse **hiscere** nequiit. Neque enim in eo verbo apud Latinos quidquam est iocosi aut nimis humile, sed prorsus respondet ei, quod Germanice dicas: weil er kein Wort hervorzubringen vermochte (cfr. IX, 4, 7, XXXIX, 12, 5, XLV, 26, 7). Idem verbum a librario oblitteratum videbimus XLV, 37, 13. Postremo § 13, ubi scribitur: Thraces — domos dilapsi et aliæ militaris generis turbæ, usum loquendi et rem (una enim erat confusa turba, dispersi exercitus reliquiæ) postulare puto, ut scribatur: et alia militaris generis turba. Ex turba Cretenses ortum opinor turbæ. Alibi turbam navalem militarem Livius dicit.[1])

Lib. XLV.

Cap. 1, 6: Et aliter editur circensis turbæ non minus similis veri lætitia. Non recte coniungitur adverbium et adiectivum: aliter — non minus veri similis, alterum de narrationis forma dictum, alterum de ipsa re, quum eodem utrumque spectet (Et aliter nec minus veri similiter). Ne edere quidem simpliciter pro narrare
(592) poni solet; aliud est enim numerum cæsorum, rei gestæ ordinem edere (angeben). In codice est: et aliter editus. Scribendum videtur: Et alia traditur. Ex aliatr ortum aliter. (Ante Kreyssigium scribebatur: Et aliter traditur. Senserat Grynæus insolentiam in edendi verbo.) [Vahlenius: et altera. Vereor nonnihil, ne minus recte et alter ponatur de re diversa, quæ priori non adiungatur aut succedat, sed eam excludat.]

Cap. 2, 3: Legati (a L. Æmilio consule victoriæ nuntii missi) — in forum ad tribunal perrexerunt. Plura erant in foro tribunalia. Codex: in forum at urbi perrexerunt. Aut ad prætorem urbanum (ad pr. urb.)

---

[1]) De c. 46, 5 dictum est ad c. 6, 2.

aut ad tribunal prætoris urb. Livium scripsisse, intellegitur e c. 44, 4: is (Prusias) — ad forum a porta tribunalque Q. Cassii prætoris perrexit; nam Q. Cassius urbanam iuris dictionem habebat. Lib. XXVII, 50, 9 litteræ dicuntur per forum ad tribunal prætoris latæ (Put. tribunal perlatæ); urbanum intellegi Livius voluit, nisi excidit urb. Paulo post (§ 5) legati exposuisse dicuntur, quam cum paucis rex fugisset. Non admodum placet hæc paucitatis mentio subiecta proxime illis: quam paucorum militum iactura tanta hostium strages facta. Codex: quam pauci rex fugisset. Opinor, Livium scripsisse: quam **pavide** rex fugisset. Tum § 9, ubi de belli cura et apparatu omisso exponitur, hæc leguntur: Naves, quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, ut, si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci et in navalibus collocari — placuit. Nec regis nomine tam nude Perseus hic significari poterat, in proximis non commemoratus, nec resistere, nedum resistere posset aptum est ad maiorem belli molem et periculum significandum aut omnino in hac re (de æquandis belli viribus) locum habet. In codice scribitur: si res posset resistere. Scripserat Livius aut si res poscere videretur aut simpliciter [ut viderat Vahlenius]: si res posceret. Primum ex poscere factum posse re, tum reliqua nata.

Cap. 3, 5 (in oratione Agepolis, legati Rhodii): Fortunam perbene fecisse, quando, finito aliter bello, gratulandi sibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset. Inepte huiusmodi laus tam modeste intenditur (perbene); nam aut simpliciter numen (593) et fortuna laudatur (bene, bene atque feliciter) aut rarius superlativo (optime). Sine dubio Livius una littera minus scripsit: Fortunam p. R. (populi Romani) bene fecisse. Solet enim propria populi Romani fortuna extolli; vid. Gron. ad VI, 30, 6. (Cod. perbeneficiisequendo

finito aliter bello sequendo aliter gratulandi, notabili errore et vocum repetitione.) Ut in Rhodii legati oratione, sic in senatus quoque responso mendum residet (§ 6): Rhodios nec utilitatium Græciæ neque cura impensarum populi Romani, sed pro Perseo eam legationem misisse. Ablativum utrique membro orationis negativæ copulatæ communem non posse inter negationem et alterum genetivum interponi, recte Dukerus et alii senserunt, sed in corrigendo aberrarunt. Nihil enim aliud librarius quam, quod sæpissime fecit, duarum vocum ordinem invertit, quum scribere debuisset: nec utilitatium Græciæ cura neque impensarum populi Romani. Iis exemplis huismodi transpositionum, quæ supra (p. 491) ex libro XLIII posui, ex hoc libro XLV addi hæc possunt: c. 5, 10 (quam mori pro mori quam), 13, 1 (rettulit rediit), 17, 2 (tum Pauli), 21, 4 (ante non et vellent ferrent pro ferret vellent), 31, 3 (inflavit fuerant) et 5 (elati Romanorum), 34, 1 (ea ad), 35, 9 (militum pecunia illum iudicia dare non); nec omnia me collegisse arbitror.

Cap. 4, 2 quum in codice sic scribatur: Paulus Æmilius consul, cum castra, ut supra dictum est, ad Siras terræ Odomantidichæ (id est Odomanticæ) haberet. litteræ ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret, et ipse illacrimasse dicitur sortis (i. e. sorti) humanæ, apparet, lacunam sic notari et utcunque expleri debuisse: — haberet, litteræ ab rege Perseo per ignobiles tres legatos **traditæ** [rectius Wesenbergius redditæ] **ei sunt, quas quum** cerneret, — illacrimasse cet. Deinde § 4 in his verbis: postquam, Regem Persea consuli Paulo salutem, legit, accusativus ille regem Persea prorsus perverse ponitur; neque
(594) enim recta forma (Rex P. Paulo sal.), quæ per se posita facilem habet ellipsin, sic oblique reliquæ orationi inseri ullo modo potest, ut omittatur infinitivus. Codex: rege

Persea. Livius scripserat: postquam a rege Perse consuli Paulo salutem legit.[1])

Cap. 5, 4 (ubi L. Atilius Samothraces in Euandrum sacrosanctam insulam polluentem concitat): Quum creditæ sanctitati adsentirentur omnes, Cur igitur, inquit, polui eam (sic cod.) homicida sanguine regis Eumenis violavit? et, quum omnis præfatio sacrorum (cod. præfatiorum) eos, quibus non sint puræ manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari (cod. contraminari) cruento latronis corpore sinetis? Pro polui eam Grynæus posuerat pollutam, infeliciter; neque enim pollutam iam insulam Euander violabat (595) neque ipso sanguine Eumenis (ad Delphos effuso), eam polluebat. Kreyssigius, quum pollui eam scribi et cum contaminari coniungi vellet, in alias incidit difficultates et

---

[1]) In huius capitis initio quum Gronovius animadvertisset inaudita constructione legi: ad summam sestertium deciens, quasi dicas: ad summam duo millia, scribendumque esse iudicasset sestertii, mirabili oblivione et confusione Kreyssigius, cui Weissenbornius se adiunxit, primum Tacitum et alios scriptores post Ciceronis ætatem sic, ut Gronovius scribi voluit, locutos esse dixit, quum is usus (ut sestertium cum adverbio decies et ceteris pro nomine singulari declinetur) et Ciceronis et omnium sit nec possit aliter dici. Nam et sestertium quadragies relinquitur, nominativo casu, et HS quadragies accepi et in sestertio vicies egere et syngrapha sestertii decies Ciceroniana sunt. Deinde nihil mutasse Gronovium addit infra c. 40, 1, ubi recte dici potest: summa est sestertium millies ducenties, ceterum HS in codice non est (et omitti nominativo et accusativo casu HS potest), aut c. 43, 8, ubi prorsus necessarius est accusativus: sestertium ducenties redactum esse. Illud maiorem habet dubitationem, potueritne obliquo casu solum adverbium poni, quemadmodum editur apud Ciceronem pro Rosc. Am. § 6 et apud Livium XXXVIII, 55, 9: quadragies — litem æstimatam (id est, sestertio quadragies) et 12: quadragies ratio posceretur (id est, sestertii quadragies), an addi substantivi nota debeat, quod eadem ex Livio narrans bis addit Valerius Maximus III, 7, 1.

mutandi necessitates; nec Weissenbornio conatus bene cessit. Cohærent, non violavit, sed **violabit** et sinetis; alioquin enim sistis Livius scripsisset. Deinde necessario sanguinis Eumenis mentio cum homicidæ nomine coniungi debet, quoniam non Samothraciæ vis Eumeni fiebat, sed maculam ex eius cæde alibi tentata susceptam Euander adferebat. Recte igitur Gronovius pollutus; sed scribendum: Cur igitur, inquit, pollutus eam homicida sanguine Eumenis violabit?[1])

Cap. 6, 1: Ceterum tanto facinore in unicum relictum amicum amisso per tot casus expertum — abalienavit animos. Sic codex, unde fit: facinore — admisso. (Weissenbornius commisso; Grynæus aberraverat.) Mox (2) pro Oroandemque Cretensem videndum ne scribi debeat: Oroandem itaque Cretensem.

Cap. 7, 2 non scribendum esse tanta multitudo, sed quod reapse in codice est, tantum (tantu littera **m** semel scripta), manifestum est quum ex re (nam et alii non minores exercitus concurrerant ad spectacula et multo maior in urbe multitudo), tum ex eo, quod, quæ Livius subiicit, omnia pertinent ad spectaculi magnitudinem declarandam. § 4 quid unum sententia postularet, vidit homo rarissime in coniectando felix, Douiatius (nullo suorum alio comite **quam** qui.) Omnes alii comites levaturi

---

[1]) Extremo capite (§ 12) suspicor Livium non infinite: Huius rei crimen — avertitur, sed avertit scripsisse, quum præsertim adiungatur de eodem Perseo: Ceterum — abalienavit. Sæpissime (quod iam supra p. 490 significavi) librarius, maxime in libro XLV. terminationem passivam tertiæ verborum personæ male addidit (XLIV, 3, 3 appellantur, 7, 4 movetur, 17, 7 cogitarentur, 29, 5 fallebantur; XLV, 2, 4 forentur, 3, 2 decrevitur, 4, 4 legitur, 5, 6 mittuntur, 6, 4 pervenitur, 11 et 12 repetitur — sciretur, 7, 2 et 3 occurritur — efficiebatur, 8, 1 adduceretur et 5 præbetur, 9, 3 numerabuntur et sic deinceps; ut forentur effecit et decrevitur, sic 9, 4 continuitur).

erant Persei solitudinem et calamitatem; filius, quem solum comitem habuit, simul in eandem calamitatem delapsus miserabiliorem patrem faciebat. (1864.) Sequitur eadem §: Progredi (Perseus ad Æmilium consulem) præ turba occurrentium ad spectaculum non poterat, donec consul lictores misisset, qui cet. Codex: donec a consule lictores misissent, ex quo Kreyssigius et Weissenbornius fecerunt missi essent; debuerant, etiam propius (596) ad codicis scripturam: missi sunt. Nam in tali significatione temporis et rei vere tandem factæ Livius (nisi in obliqua oratione) donec non aliter nisi cum indicativi perfecto ponit. Viderat id Gronovius, qui, codicis scripturæ ignarus, misit scribi volebat. (Cfr. quæ de XXX, 12, 8 adnotavi.)

Cap. 8, 4 (ubi Æmilius Persea adloquitur): Nunc vero, quum et bello patris tui — interfuisses et pacis postea — meminisset consilium, quorum et vim bello et fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse quam pacem malle? Sic codex mendo (meminisset) et omissione corruptus. Scribendum est: — meminisses, quod fuit consilium — malle? non, ut vulgo: quod consilium; neque enim verbum abesse ullo modo in tali interrogatione potest.

Cap. 9, 4: Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntæ filium fuit; inde ac per eum crescere quum coepisset, Europæ se tamen finibus continuit, Græciam omnem et partem Thraciæ atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam et — omnia, qua Persarum — imperium fuerat, suæ dicionis fecit. Arabas hinc Indiamque — peragravit. Apparet hæc (partem Thraciæ amplexa et suæ dicionis fecit) non potuisse de fama dici. Itaque Kreyssigius post Macedonum inseruit regnum, simul, ut tum necesse erat, amplexa in amplexum mutato. Sed ne regnum quidem quidquam suæ dicionis facit, nedum populos et regiones peragret. Unum est nomen, cui et reliqua conveniant et amplexa non mutatum,

gens (Macedonum gens obscura cet.). Erroris causa aut neglegentia fuit aut, quod fama nominativus esse putabatur. (Extremo capite, § 7, ubi in codice est lacerantes viribus, recte Gronovius scribi voluit laceratis; nam et ignave adhæret lacerantes viribus post illa: ad se quisque opes rapiunt et vitiose obiectum deest, nisi quis recte dici putat opes viribus lacerare.)

Cap. 10, 2, ubi editur: dimissis — Atticis navibus, in cod. scribitur adticis. Aliud latere apparet; neque enim XLIV, 29 ulla fit Atticarum navium mentio. Subesse videtur adventiciis. (1864.) § 15 in hac codicis scriptura: nec eo segnius iudicia ex decreto coram his (C. Popilio et C. Decimio) facti rhodii exercebantur quam perseuerabant tam inexequenda re tam decimæ lenitas quam hæc gererentur primum etiam Vahlenius vidit ex exercebantur faciendum esse, ut sæpissime in in hoc codice, exercebant. Dein separatis iis, quæ ad proxima pertinent (Quum hæc gererentur) et animadversa lacuna, quod iam Grynæus fecerat, facile patet illud nec eo segnius referri ad superiora hac sententia: „quamquam discesserant legati"; itaque quam, ut alibi, additum est propter præcedentem comparativum. Tum non de re nescio qua exsequenda agitur, sed de urgenda et ad finem perducenda spe a Decimio facta, posse auctoribus Perseo favendi sublatis Romanorum gratiam reconciliari. Itaque reponendum est: perseverabant iam in exsequenda spe, quam Decimii lenitas ostenderat. (1864.)

(597) Cap. 13, 13 (in oratione Masgabæ, Masinissæ filii, in senatu): Commemoravit, quot pedites equitesque — pater suus in Macedoniam misisset. Sed duas res ei rubori fuisse. Cod. misitsed duas; hoc est: misisset. Duas cet. In iis, quæ paulo post § 16 leguntur: Sumere itaque eosdem (Romanos), non se rogare, æquum esse, neque emere ea ex fructibus agri ab se dati, quæ ibi proveniant, in concludendo vitiose eosdem pro eos dici manifestum est, nec recte

se interponi inter non et rogare, quum non rogare contrarium referatur ad sumcre; in codice est: eosdem se non, unde efficitur: sumere itaque eos de se, non rogare æquum esse. Sumere de aliquo aliquid eodem modo Livius dixisse videtur, quo capere de aliquo (etsi id fere de rebus, quæ victis adimuntur, dicitur), emere de aliquo, agrum colendum de patre habere, de quibus præter lexica testimonia collegit Handius Tursell. II p. 190 et 191.

Cap. 14, 4: Grates deis pro populi Romani victoria apud suos penates ageret. Cod. deiis p. r. victoria. Nihil initio fuerat nisi: deis pro victoria; populi Romani nomen duobus versibus ante additum putide (598)
repetitur. (Cfr. de mendo c. 39, 11.)[1])

Cap. 16, 7: Inde, quod ad honorem deum immortalium pertineret, decrevit senatus, ut — dona — prætores curarent danda. Etiam quæ proxime ante commemorantur, ad deorum honorem pertinent, supplicatio et sacrificatum maioribus hostiis. Cod. idem pro inde; scribendum: Item quod ad honorem cet., hoc est, alterum etiam decretum senatus fecit, quod ad hon. deum pertineret.

Cap. 17, 2 (ubi agitur de X legatis in Macedoniam, V in Illyricum missis ad res ordinandas) in mira hac codicis scriptura: In Macedoniam culpmi (p littera delenda significatur) nominati, A. Postumius Lucus (id est, Luscus) cet., quid effici debeat, non ego magis scio quam ceteri. Nam quod in mentem facile veniat (na ante no

---

[1]) Cap. 15, 2 oratio sic interpungenda est, ut duæ exceptiones separentur; deinde alteri generi, quod recte Creverius intellexit, certum, ubi censerentur, locum datum esse Livius scripserat; id quale fuerit, e Dionis Cassii XXXVI, 42 s. 25 perspicitur. Itaque hæc efficitur forma: in quattuor urbanas tribus descripti erant libertini, præter eos, quibus filius quinquenni maior ex se natus esset, (eos, ubi proximo lustro censi essent, censeri iusserunt), et eos, qui — haberent,** censendi ius factum est. (1864.)

addito): In Macedoniam culmina nominati A. Postumius Luscus, C. Claudius, ambo censorii, C. Licinius Crassus, collega in consulatu Pauli —. His consularibus addidere cet., ut significetur, hos tres consulares quasi capita legationis et splendorem fuisse, non satis confirmatur usu loquendi.[1]) Facilius extremo capite (§ 7) expoliri potest Grynæi emendatio; nam quod is ex hac codicis scriptura: tamen in senatu quoque agitalte sunt summa consiliorum effecit: tamen — agitata est summa consiliorum, potuit et debuit codicis vestigia paulo pressius sequi: tamen — agitatæ sunt summæ consiliorum. Pluralis numerus satis convenit multitudini rerum in duabus provinciis ordinandarum.

Cap. 18, 3 (ubi exponitur summa decreti senatus de componendo Macedoniæ statu): Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque prædiorum rusticorum tolli placebat. Mendi aliquid hic subesse, ipsa orationis forma satis declarat; neque enim metalli locationesque prædiorum pro metalli prædiorumque locationibus dicere licet. Itaque nescio an
(599) hanc difficultatem vitans Weissenbornius ediderit (sublato commate): Metalli quoque Macedonici quod ingens vectigal erat, ut genetivus a vectigalis nomine penderet. Sed neque verborum ordo rectus est neque recte adiiciuntur illa: quod — erat (dicendum erat: Metalli quoque Macedonici vectigal, quod ingens erat); neque ipso per se vectigali Macedonibus invidere senatus videri volebat (vectigal tolli), sed incommoda ei adiuncta timere. Tum nec Weissenbornius nec ceteri quæsiverunt,

---

[1]) [Nihil postea melius repertum est. Culmina (columina?) ipsius legationis, ut dixi, intelleguntur; alioquin sane genetivus addendus erat, velut rei p. aut similis. Saltem hoc tenore præstat quam licentissime pro culmi substituere consulares quattuor. Lumina curiæ hos tres consulares fuisse, nulla est apud Livium in horum annorum rebus narrandis significatio. 1864.]

cur senatus prædiorum rusticorum locationes in Macedonia (omnium ubique) tolli voluerit, ad quas nihil omnino pertinere videntur eæ, quæ subiiciuntur, causæ; ipsa, quæ sequuntur, verba tantum ad metallum accommodari possunt: ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posse; (scrib. cum Crev. id exercere; e adhæsit ex proxima voce, tum additum m). Postea quoque, ubi Æmilius consul, quæ senatus universe decreverat, ex X legatorum sententia pressius constituta pronuntiat (c. 29, 11), sola metalla auri argentique exerceri vetantur; prædiorum rusticorum nulla est mentio. Velim autem animadverti, quæ ibi plurali nomine appellentur, ea hoc loco singulari numero ita appellari, ut universa, in qua sita metallorum fodinæ fuerint, regio (der Bergwerksdistrict) significari videatur. Hæc quum considero, longe alio prædiorum rusticorum commemorationem spectare suspicor, ut, interdictis ipsius metalli locationibus, excipiantur prædia rustica metallis interiecta et cum iis locari solita. Liviumque ita scripsisse: Metalli quoque Macedonici — locationes **præter** prædiorum rusticorum tolli placebat. Apparet, quam facile præter ante prædiorum (oculo a primis litteris præ ad alteras aberrante) omitti potuerit, quo omisso additum est que. Usum coniunctionis præter breviter commemoravi ad XXVIII, 45, 10; cfr. VI, 35, 10: comitia, præter ædilium tribunorumque plebi, nulla sunt habita; Cic. ad Q. Fr. I, 1, 5, 16: familiaritates præter hominum perpaucorum. [Quæ W. in edit. Weidm. molitur, vitia orationis et sententiæ non attingunt aut removent.][1]) Sequuntur paulo post (§ 6) apud

[1]) § 2, ubi contra codicem inseritur populi Romani (post tutela), fieri potest, ut Livius scripserit: tutam eam (libertatem) sibi perpetuaque (pro perpetuamque) sub tutela esse cet. Deinde scribendum videtur: et, quæ sub regibus viverent, et in præsens tempus mitiores eos iustioresque respectu populi Romani habere se crederent (sic cod., v. omittitur crederent), et, si quando bellum cum pop. R. regibus

(600) Grynæum hæc, quæ sententiam habent prorsus nullam, orationem (in esset) vitiosam: commune consilium gentis esset, ne improbum vulgus a senatu aliquando libertatem salubri moderatione datam ad licentiam pestilentem traheret. Itaque aut nullum esse aut ne esset scribi iubent; id non videntur animadvertisse, ridicule vulgus (cuius improbitas h. l. satis inepte commemoratur) dici a senatu (qui quis sit, difficile est intellegere, quum nullus ante significatus sit) libertatem ad licentiam trahere; nam libertatem in licentiam trahere ac vertere quid sit, scimus; ab aliquo libertatem in licentiam trahere nihil est omnino. Aderit, qui me prorsus cæcutire occlamet, qui non videam coniungi: a senatu datam, quod ut magis eluceret, Weissenbornius, quum in codice esset adsenator, scripsit ab senatu Romano. Verum (ut omittam parum apte h. l., quis libertatem dederit, in memoriam revocari) interposita ante libertatem vox aliquando certissime pertinet ad traheret eodemque ut referatur a senatu, inevitabili necessitate cogit. Videat nunc mihi aliquis integram codicis scripturam, e qua Kreyssigius unum illud adsenator adnotavit; est autem huiusmodi: commune consilium gentis esset improbum vulgi (non vulgus) adsenator aliquando libertatem salubri moderationi datum cet. Scripserat Livius: commune
(601) concilium gentis esse, **improbatum, ne vulgi adsentator** aliquando libertatem salubri moderatione datam ad licentiam pest. traheret. Cavet senatus, benevole scilicet Macedoniæ libertati consulens, ne, si commune concilium gentis sit (comitia contionesque), aliquando popularis homo turbas concitet.

Cap. 19, 11 (in oratione Stratii medici apud Attalum,

---

fuisset suis, exitum eius victoriam Romanis adlaturum, sibi libertatem. (Cod. Romanis adlaturum crederent sibi adlaturum sibi libertatem. Metalli cet. Crederent e superioribus repetitum alias turbas peperisse videtur.)

Eumenis fratrem): Attalum vero, qui [sic enim pro quia scribendum] ætate proximus sit, quis non pro rege habeat? neque eo solum, quia tantas præsentes eius opes cernat, sed quod haud ambiguum, propediem regnaturum eum, infirmitate ætateque Eumenis esset. Hic quidem necessario pro Eumenisesset [cod. — esse] scribendum Eumenis sit. (§ 15 Dukerus verum sensit; post infirmitate excidit: esse passurum aut simile aliquid.)[1])

Cap. 21, 4: Sed et prætor novo maloque exemplo rem ingressus erat, quod ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, — rogationem ferret. Livium scripsisse: quod non ante consulto senatu, si quem sententia non docet (— longe est enim aliud ante non consulto senatu ferre, ubi ante necessario ad ferre pertinet, aliud ferre non ante consulto senatu —), saltem anaphora in non (non ante c. s., non cons. c. f.) admonere debet. Proximo versu librarius pro ferret vellent scripsit uellent ferrent; plura collegi, his adiunctis, ad c. 3, 6.

Cap. 22, 5 (in Rhodiorum sese purgantium in senatu Romano oratione): Certe quidem vos estis Romani, qui ideo felicia bella vestra esse, quia iusta sint, præ vobis fertis. Sententia postulare videtur, ut scribatur: Certe iidem vos estis Romani, qui cet. Nec certe quidem h. l. aptum.

Cap. 23, 6 (in eadem oratione): Neque fecimus igitur quidquam tamquam hostes neque bonorum sociorum defuimus officio, sed a vobis prohibiti

---

[1]) Miror sane iniurias populi Romani (hoc enim litteræ significant: iniuriis pro obnoxios) commemorari; nam de vicinorum regum populorumque iniuriis potius cogitandum fuisse videtur. Sed probra (verborum; sic enim coniici video) ex regni viribus distractis non timebantur. (1864.)

(cod. prohibitio) præstare fuimus. Barbarum pro-
(602) hibiti fuimus pro proh. sumus; accedit ineptus verborum ordo (pro: præstare proh. s.). Scribendum esse: præstare nequivimus, dixi Opusc. II p. 221 (et adsensus est Kreyssigius Annot. p. 110). Miror, cur Weissenbornius multo longius a codice discedere maluerit (præstare non potuimus). Librarius hic sæpe in verbis nequivi et quievi lapsus est; hic ne excidit præcedente re. (Alia huius mendi exempla colligam infra ad c. 37, 2.) Infra § 16 non inaniora ingenia a Livio appellata puto, sed vaniora, quod vocabulum ad superbiam et iactantiam significandam aptius est.[1])

Cap. 24, 2 et 3 (in eadem oratione): Voluntatis nostræ tacitæ velut litem æstimari vestris inter vos sermonibus audio, P. C. Favisse nos regi et illum vincere maluisse; ideo bello persequendos esse credunt. Alii vestrum voluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse. Nimis dure a vestris sermonibus transitur ad tertiam personam in credunt; nec recte huic infinite posito (sine certi subiecti notatione) subiicitur contrarii generis significatio (alii). Scribendum est: Favisse nos regi —, ideo bello persequendos esse credunt alii vestrum; **alii**, voluisse quidem nos hoc, non tamen cet. [Heusinger iam: alii, alii vestrum.] Tum pro vellet

[1]) De § 4 recte Gronovius iudicavit. Ne pro nedum aliquo modo in sententia extremo loco adiecta poni potest, ut apud Livium III, 52, 9 et apud Ciceronem pro domo 55, 139, in interposita, ut h. l. (ut, ne —), nullo modo; nec sententia recta efficitur. Duo dici poterant, aut: ut ab neutra parte gratiam iniremus, nedum ab utraque, aut, quod Livius dixit: ut ab neutra parte gr. in., ab altera etiam — periculum esset. § 8 Weissenbornius sententiam corrupit, deleto aliquando, cui contrarium est semper, deceptus a Kreyssigio; in codice sic scribitur: et improbos cives et aliquando et imperita multitudinem semper cet.

præsentis temporis verbum, quod nullam omnino ad præteritum inclinationem habet, scribendum, ut alibi, (v. c. infra 44, 12), velit.[1]) Aliquanto infra (§ 9) acutula sententia leviter corrupta est: Philippum, Antiochum, Persea (hoc est, nostra illorum bellis facta) tamquam tres sententias ponite; duæ nos absolvunt; una dubia est, ut gravior sit. Enarrat Creverius, quo uno modo tentari enarratio potest, etiamsi sit gravior, dubiam esse. At, si graviorem esse conceditur (hoc est, condemnare), non dubia est. Codex habet: una aut dubia est; scribendum est: una (in Persei bello posita) aut dubia est **aut** gravior sit. Oratio ex adfirmatione et concessione mixta est: aut sit sane gravior (fingatur, nos Persei bello culpam meruisse; non damnabimur una graviore sententia, duabus absolventibus). [Non attenderam, in proximis in codice non esse si, quod Grynæus post nobis addidit. Id latet in sit, efficiturque perspicue hæc vera scriptura: Una aut dubia est aut gravior. Si illi de nobis cet. 1864.] (Weissenbornii scriptura sententiam nullam habet; nam sententia iudicis, si dubia est, non est gravior; deinde Rhodii non adfirmabant, reapse illam sententiam graviorem esse, hoc est, culpam fatebantur.) (603)

Cap. 25, 3 (ubi Livius se negat Catonis orationem expositurum): Non inseram simulacrum viri copiosi, quæ dixerit, referendo; ipsius oratio scripta exstat, cet. Primum perinepte gravissimus senator et am- (604)

---

[1]) In tota hac orationis parte Livius locum ex Catonis oratione pro Rhodiensibus, qui apud Gellium VI (VII), 3, 36—38 servatus est, aperte ita respicit, ut Rhodios Catonis disputationi occurrentes inducat; ipse proximo capite (25, 2) Catonis orationem post Rhodiorum orationem, quum sententiæ dicerentur, habitam narrat. (Apud Gellium in Tironis verbis § 35 e vestigiis codicum [negavit pene sed ignosci quia] scribi debet: negavit **poena esse dignos**, quia id non fecissent. Negavit pæne sensum non habet.)

plissimus homo tamquam rhetor Græculus copiosus vir appellatur; Livius scripserat: **copiose,** quæ dixerit, referendo. Sed admodum vereor, ne aliud præterea mendum subsit. Nam neque simulacrum viri sic pro imagine et forma ingenii et animi usquam alibi dicitur nec hac una oratione referenda Livius simulacrum viri magis inserturus erat, quam illa, quam a Catone pro lege Oppia habitam refert initio libri XXXIV, nec, cur id, si posset, non faceret, causa erat. In codice scribitur: inseram non simul viri. Transpositionem (pro Non inseram) a librario, ut sæpe (vid. ad c. 3, 6), factam non curo; simulacri nomen probabiliter restitutum puto, sed scribendum: Non inseram simulacrum **veri,** copiose cet. [Vahlenius ipsum simulacrum in cod. esse adfirmat.] Negat se Livius adumbratam imitationem compositurum, quum ipsa vera oratio exstet. (Poterat etiam scribi: Non inseram similia veris, sed alterum præstat.) [Ad sententiam cfr. Tac. Ann. XV, 63 extr.] Paulo post § 6 prave, quod in codice scriptum est (deducere — iusserunt præfectos), recentiores mutant, addito præsidia. Rhodii præfectos singulis Cariæ Lyciæque oppidis imposuerant; eos domum revocare iussi sunt (cum præsidiis, si qua erant). Romani Rhodios (universos) facere aliquid iubere poterant, non præfectos Rhodiorum. Sed eodem loco quod scribitur: Hæc Rhodum nuntiata; quæ per se tristia fuissent, quia maioris mali levatus erat timor, in gaudium renuntiata verterunt, turbat sententiam renuntiata sic interpositum, quasi contrarium sit verbis per se et quasi, quæ ante renuntiationem tristia fuerint, ea post renuntiationem in gaudium verterint. Bis scriptum est, quod semel scribi debuit, aut nuntiata aut potius (in quo librarius errorem correxit) renuntiata, qua geminatione sublata, sic decurret oratio: Hæc Rhodum renuntiata, quæ per
(605) se tristia fuissent, — in gaudium verterunt. [Sic Heusinger.] Tum § 7, ubi editur: maior repulsis ignominia

esset, quoniam in codice est: maiorapulsaisnomina esset, fortasse scribendum: maior repulsæ ignominia esset.[1]) Extremo capite (§ 13), quæ de Rhodiis fortiter Cariam Lyciamque defendentibus narrantur, ea Weissenbornius et ad codicem propius et multo per se rectius, quam ante, sic edidit: propere et Caunios, quamquam Cibyratarum asciverant auxilia, coegerunt imperio parere et Mylasenses Alabandenosque, qui Euromensium provinciam ademptum ipsi coniuncto exercitu venerunt, circa Orthosiam acie vicerunt; edebatur enim: qui Euromensium provincia adempta ad ipsos. In codice sic scribitur: mylassensis alabandenique quialabandesium euroæmensium provincia ademptum ad ipsi coniunctos exercitu cet. Sed in præfatione W. a se desciscens Alabandenique e codice recipiendum fuisse scribit, quo nominativo sententia funditus tollitur et evertitur. Scribendum erat, restituta recta nominis forma: Mylasensis Alabandensisque, qui. Nam Ἀλαβανδεῖς sunt ut Μυλασεῖς et Εὐρωμεῖς, nec Livius inter duas formas ex rectis Græcis ad regulam in Latinum traductas unam pravam interpositurus erat; nam Ἀλαβανδηνούς nemo dixit. Librarius, quum duabus litteris omissis Alabandenique scripsisset et vocabulum rectius scribere vellet, ut sæpe, in novum errorem incidit, ut Alabandesium scriberet propter Euromensium. Tum ex ad ipsi faciendum, quod sententia requirit, et ipsi (ut Caunii et Cibyratæ); postremo venerant scribendum, ut asciverant.[2])

---

[1]) Etiam XXXIX, 32, 8 cum Gronovio scribendum puto: et hi repulsis in spem impetrandi tandem aliquando honoris dilati. Nam incommode ibi modus et causa dilationis significatur altero participio (repulsi) interposito.

[2]) [§ 5 codicis indicio, qui altero loco partim habet, bis partim scribendum est, deinde utendum Gronovii coniectura, quæ hoc ipso indicio confirmatur: qui, quæ agerentur, scirent — face-

Cap. 26, 3 editur: ubi prima Phanota ei dedita,
(606) tota multitudine cum infulis obviam effusa. In codice est: dedita totomnium multitudinem. Videtur latere: deditast, omni multitudine cet. Ex omni, sequente **m**, natum omnium. Sed hoc leve est; illud paulo gravius, quod extremo capite (§ 15) prorsus perverse, ut mihi quidem videtur, scribitur: Inde in tres partes (L. Anicius) Illyricum divisit; unam eam fecit, quæ supra dicta est; alteram Labeatas omnes; tertiam Agrauonitas et Rhizonitas et Olciniatas accolasque eorum. Nulla enim pars supra dicta est, sed de omnibus Illyriis dictum proprieque quædam de nonnullis, etiam de iis, qui in tertia ponuntur, adiecta. In codice scribitur: supra dictam est. Livius scripsisse videtur: quæ supra **Issam** est. Pars septentrionalis Illyrici ab insula litori obiecta significatur; supra autem non tam pro ultra (magis ad septentrionem) dici videtur quam de continenti, in quam a litore insulæ proximo ascenditur (auf der Höhe von Issa), quomodo et Græci ὑπέρ dicunt et Plinius H. N. XXXIII, 7, 114 (citatus iam a Dukero ad XLIII, 21, 6): supra Ephesum et ipse fere Livius (XXIII, 32, 2): supra Suessulam.

Cap. 27, 5 (ubi de L. Pauli per Græciam itinere narratio incipit) Kreyssigius et Weissenbornius codicem, minutulis erroribus exceptis, secuti sic scripserunt: Auctumni fere tempus erat, cuius temporis initio ad circumeundam Græciam visendaque, quæ nobilitata fama maiora auribus accepta sunt quam oculis noscuntur, ut statuit, præposito castris C. Sulpicio Gallo, profectus cum haud magno comitatu — per Thessaliam Delphos petit. Multum se Kreyssigius torquet; ad extremum tamen recte coniungi putat: ad cir-

---

rent. Nam pars legatorum Romæ substitit Livianum est, pars — substitit, quæ, quæ agerentur, sciret, non Livianum. 1864.]

cumeundam Græciam profectus, quamquam incommodissime inter hæc arte cohærentia interponitur præfecti castris Galli mentio, incommodius etiam consilii capti significatio (ut statuit), sive ea ad profectionem sive ad Gallum præficiendum pertinet, pravo tempore verbi comprehensa; nam saltem statuerat dici debebat; profectus, ut statuit, prorsus ridiculum est. Nihil dico de inanis- (607)
simis, qualis nunc locus est, his ambagibus: Auctumni tempus erat, cuius temporis initio profectus est. (Superiores, ad ante circumeundam sublato, hoc cum statuit coniunxerant, mire posita particula ut, ne alia commemorem.) Quam pusilla res quantas turbas dedit! Una littera addita omnia apta et sana erunt: Auctumni fere tempus erat, cuius temporis initio ad circumeundam Græciam — **uti** statuit. Præposito castris cet. Iam recte primum tempus ipsum significatur et consilium ante captum de eius temporis parte utenda; deinde ad profectionem transitur. (XLIV, 35, 9 ut audierat pro uti audierat scribitur in codice; quamquam quid in tali errore exemplo utor?)

Cap. 28, 2: Arx quoque et Isthmus præbuere spectaculum (L. Æmilio Corinthum visenti), arx inter omnia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus, Isthmus duo maria; ab occasu et ortu solis finitima, artis faucibus dirimens. Frustra quæras, quid sibi velint illa inter omnia et quæ sit hæc numeri significatio; nihil enim in altitudinem editur nisi inter omnia, quæ circa sunt. Manifestum esse opinor, excidisse vocabulum scriptumque olim fuisse: inter plana omnia. Id demum memorabile est, inter omnia circa plana arcem præruptam erigi. Loquendi genus notissimum est; Livii locos aliquot Weissenbornius ad XXVIII, 42, 3 collegit: III, 6, 7, XXI, 32, 9, XXVII, 17, 9; add. IX, 13, 6, XXVII, 45, 7. (Superiore capite § 10 in codice non sunt verba petiit inde

Oropum.)[1]) Paulo post (§ 4) e codicis vestigiis (memorabilem ac silentiam, non silentium) effici videtur: non operum magnitudine, sed disciplina institutisque memorabilem ac visendam. Oppidi quidem nomen, ignobilis præsertim et parvi, illo loco interponi nequit. Deinde in codice scribitur (§ 5): — Olympiam escendit, ubi et alia quidem spectanda et visa Iovem cet. (vulgo: et alia quidem spectanda visa et Iovem,
(608) prava coniunctione particularum: et — quidem — et). Efficitur hinc: ubi et alia quidem spectanda et visa; Iovem velut præsentem intuens motus animo est, hoc est: etiam alia quidem —, sed tamen ante omnia Iovem cet. (Minus dure scripsisset Livius: — ei visa; ceterum Iovem; cfr. I, 30, 9.) Tum § 6 olim edebatur e codice: Ita peragrata Græcia — Demetriadem cum revertit, in itinere sordidata turba (cod. turba ne) Ætolorum occurrit. Kreyssigius et Weissenbornius, Drakenborchium secuti, revertitur posuerunt; sed nihilo aptius in hac occasionis et temporis significatione præsens indicativi tempus particulæ quum subiungitur quam perfectum. Itaque quum repeteret scribendum arbitror, quod facilius quam reverteretur in revertit transire potuisse videtur. Postremo § 9 in codice scribitur: cum Perseus obviam (Æmilio) Amphipolim nimis solutis cuius custodia processisset; scribendum videtur: Amphipoli omni solutus custodia processisset; nam nimis soluta custodia procedere, vereor, ut rectum sit; et Perseus vagatus per provinciam dicitur. (Cuius ex prima syllaba vocis custodia primum male intellecta ortum est.)[2]) [§ 10,

---

[1]) [Cfr. Plut. Arat. 16, quem locum emendavi Adv. Crit. I p. 150. Intra moenia nihil habet cum altitudine coniuncti aut quod ad spectaculum pertineat.]

[2]) [Quod nuper scriptum est nimis solutis vinculis custodiæ, neque vincula custodiæ probari possunt neque vincula ni-

ubi in codice scribitur: referrique tegulas et referriettecta sicut fuerant iussit, Kreyssigius ex referri altero loco recte eruit refici, sed quod, ut Grynæus fecerat, et omisso, tecta tenuit, non recte factum est; neque enim tectis detractæ tegulæ fuerant, sed muris (nudare tegulis muros). Itaque ex etticta restituendum videtur detecta, hoc est, partes murorum detectas et tegulis nudatas. 1864.]

Cap. 29, 2: Adsuetis regio imperio tamen novum (cod. novi in) formam terribilem præbuit tribunal, summoto aditus (cod. summoto additu), præco, accensus, insueta omnia oculis auribusque, quæ vel socios, nedum hostes victos, terrere possent. Perversissime ita divelluntur novum et tribunal, tamquam plane singulare pondus adiectivum habeat resque posita fuerit in tribunalis mutatione (etsi vel sic Livius scripsisset: novum tribunal f. t. præbuit); augetur vitium, quod, quum plura coniunctim enumerentur, quæ terribilem illam formam præbuerint, tamen in uno tribunali novitas commemoratur. Apparet, alio adiectivum illud pertinere: Adsuetis regio imperio tamen novum (imperium) formam terribilem præbuit. Hoc universe posito adiungitur, quæ illum terrorem effecerint: tribunal, summoto adi- (609)
tus, præco, accensus, insueta omnia oculis auribusque, quæ [fuitne et quæ?] — possent. Retinui autem, quod Kreyssigius primum posuerat, adsentiente Bekkero, summoto aditus (Grynæus summotor aditus, inaudito substantivo et prava sententia, quoniam aditus non summovebatur); ablativi species (aditu) e summoto orta est. Quod postea Kreyssigius probavit: tribunal summoto aditum, vitiosum est in participii tempore; neque enim, quod tum pri-

---

mis soluta. Nimis laxam aut nimis neglegentem custodiam non reprehenderem. Nihilo rectius homo, qui custoditur, uti custodia soluta dicitur.]

mum videbant et adibant tribunal, aditum dici poterat; et perturbatur enumerationis æqualitas; tribunal per se, non minus quam præco, accensus, terrorem præbebat. Infra (§ 6), ubi de divisione Macedoniæ in quattuor partes agitur, in primæ partis descriptione, quemadmodum trans Nessum, ad orientem versum, sic recte dicitur etiam: trans Strymonem, vergentia ad occasum, præpositionis usu relato ad præcedentem mentionem regionis inter Strymonem et Nessum sitæ, quæ caput huius primæ partis erat. Sed in codice non: Abdera, trans Strymonem autem scribitur, sed: Abderatistrymonem autem, in quo potius cis Strymonem latere videtur; et potuit Livius sic scribere, minus omnino accurate, cogitatione ad Italiam Græciamque reflexa.[1])

Cap. 30, 1 exponitur, quemadmodum Macedonum animos adfecerint decreta Romanorum; is locus in codice sic scriptus est: Libertas præter spe (id est, spem) data ad rex est (adrexit) et levatum annuum vectigal; regionatim mescio interruptis advideri lacerata tamquam animalia in artus alteram alterius indicentis distracto. Tum autem librarius aliquanto infra, § 6, quinque verba huius loci iterum scripsit emendatius, hoc
(610) modo: regionem sordei commercio interruptis ita videri laceratam et lingeste et pelagones. Grynæus locum sic constituit: regionatim commerciis interruptis ita videri lacerata tamquam animalia in artus alterum alterius indigentes distracta. Sed primum apparet, gentem laceratam non cum pluribus animalibus fuisse comparandam, sed cum uno in artus distracto. Et hoc quidem sententiæ incommodum facillime tollitur, adiuvante (in extrema

---

[1]) § 7 aut cum Drakenborchio scribendum: quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis —, ab occasu Axius terminaret fluvius aut: — ab occasuque — (cod. et edd. ab occasu qua Axius).

voce) codice; sublata enim una littera, scribendum est: tamquam animali — distracto. Deinde recte Bekkerus, cui recentiores adsentiuntur, commercio revocasse videtur; nam commercio interruptus eodem modo Livius dicere potuit, quo Cicero in Somnio Scipionis c. 6, 20 eos, qui incolant terram, interruptos ita esse dicit, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit. Sed quod ad lacerata post Gronovium audiri putant Macedonia ex iis, quæ sequuntur, ubi Livius ex sua persona Macedonum iudicium et affectum redarguit, id quidem fieri nullo pacto potest. Itaque, nisi aliud quid excidit, scribendum videtur: Regionatim commercio interrupti ita **sibi** videri lacerati tamquam cet. Nam dativo vix carere h. l. possumus. [Usui tamen loquendi magis convenit commercio interrupto nec sibi facile oblitterari potuisse videtur.] Exponit deinde Livius, quam facile se Macedones de patria sua distracta et discerpta consolari debuerint, Polybium, opinor, in inanissima prudentiæ specie sequens. In hac parte magnam dubitationem habent, quæ § 4 leguntur: Maritimas quoque opportunitates ei (de altera Macedoniæ parte agitur) præbent portus ad Toronen ac montem Atho (Æneæ vocant hunc), alii ad insulam Euboeam, alii ad Hellespontum opportune versi. Prima offensio in numero est portuum; nam initio duos significare Livius videtur, alterum ad Toronen, alterum ad Athon (hunc), deinde plures (alii — alii); et plures sub Atho monte portus appellat ipse XLIV, 28, 3. Deinde in his: Æneæ vocant hunc offendit mirus pronominis positus. Tum Æneæ portum ad montem Athon (et videtur (611) significari non obscurus) nemo usquam præter Livium commemorat, nec in illa pæninsula ulla Æneæ nominis memoria aut similitudo reperitur, ut in Thracia Ænus, in sinu Thermaico Ænea. Codex locum sic scriptum habet: portus ad Toroneam montem athoeneæuocant hunc alii insulamque Euboeam cet., in solis extremis (insulamque)

ab editis notabiliter discrepans et (defectu præpositionis particulaque que) lacunam indicans. Valde vereor, ne vocant hunc debeatur studio librarii ex iis, quæ non intellegebat, Latina saltem vocabula efficiendi lateatque loci et portus significatio ex litteris canthunc eruenda. Mihi quidem scribendum videtur: portus ad Toronen ac montem Athon et **Acanthum**, ad Ægeum mare alii insulamque Euboeam, alii ad Hellespontum opportune versi. Hellesponto una insula Euboea ne per se quidem recte contraria poni videtur. Accusativo Atho Vergilius, ut videtur, ausus est pro Latino uti; Cicero Athonem dixit (et Athone), Valerius Max. (I, 6 ext. 1), Mela, Plinius Athon, quibus Livium mea coniectura adiungit. [Apud Plinium Dethlefsenius semel Athon bis Atho, edidit.][1]) In proximis (§ 5) pro ignota Vettiorum gente, quæ in tertia Macedoniæ parte inter Axium et Peneum ponitur, nescio an substituenda Bottiæorum sit; certe in ea regione illi fuerunt. [Sic Dederichius 1855 in præfatione Frontini p. X; iam Niebuhrius Bottiorum.][2]) Extrema pars capitis (§ 8) in co-

[1]) [Aliorum conatus recte reprehendi, sed emendandi via ipse aberravi, etsi intellexi ante alii insulamque Euboeam deesse aliquid, quod cum Euboea coniungeretur. Sed et Acanthum sine testimonio idoneo huic portuum mentioni interposui et cum inæqualitate ingrata (ad Toronen — ad montem Athon et Acanthum) et ad lacunam frustra confugi, quum ipsa illa inæqualitas admonere potuisset, sub illis litteris, ex quibus et Acanthum effeci, id latere, quod quærebam. Ex athoeneæuo fit Atho in fano; quod deest huic voci, nium, ex eo librarius, capto initio ex syllaba uo et hac adhibita, effecit uocant hunc. Id ne cui incredibile videatur, attendi velim (præter ea, quæ supra posui p. 597 not.), primum c. 34, 10 ex finiendum factum esse finem dum, deinde, quod notabilius est et huius loci errori simile, c. 39, 13 ex auctore seruio galba effectum auctore serunt ulo galba. Atque ex eodem genere est illud in c. 39, 15 ex hodie natum hoc dicere. Scripserat igitur Livius: portus a Torone ac monte Atho in Favonium alii insulamque Euboeam, estque id ad rem aptissimum. 1864.]

[2]) [§ 7 de ritibus non agitur; subsitne aliud, atque in editione posui, mores suos, nescio.]

dice sic scribitur: Divisa aitquæ Macedoniæ partium usibus separatis quanta (Kreyssigius quania scribi tradit) universos tendit Macedonæ formula dicta cum leges quoque se daturum ostendisset. Prave et Grynæus et post eum omnes hic orationem insistere voluerunt, sententia, si recte e verbis efficitur, plane perversa. Nam qui sic narrationem concludit: formula dicta (est), quum leges quoque se daturum ostendisset, is (præterquam quod offendit post primariam sententiam passiva forma sine personæ nomine positam secundaria sententia active elata) cum reprehensione aliqua ex rebus ante promissis tantum partem expletam esse significat. Qui præter id, quod nunc factum sit, præterea aliquid in posterum promissum significat, is (si quidem hic oratio finitur) neces- (612) sario dicit: formula dicta, leges quoque se daturum ostendit. Extrema igitur verba cum primis proximi capitis coniungenda sunt, qua re efficitur aptissimus orationis transitus: Macedoniæ formula dicta, quum leges quoque se daturum ostendisset, Ætoli deinde citati; in qua cognitione cet. Superiora, quæ disputationis de Macedonia sine ullo incolentium incommodo divisa conclusionem continent redeuntque ad sententiam § 2 positam (adeo, quanta Macedonia esset, — Macedones quoque ignorabant), sic scribenda esse arbitror: Divisa itaque Macedonia, partium usibus separatis, quanta universa esset, ostendit. Universam Macedoniam et partes contrarias poni certum est; nec de ostendit verbo ulla est dubitatio.[1])

Cap. 31, 4: Tria genera principum in civitatibus (Græcis) erant; duo, quæ — sibi privatim opes oppressis faciebant civitatibus (cod. civitatem sibi);

---

[1]) [Quod oratio redit ad L. Æmilium non proxime nominatum, sed de cuius actis tota narratio est, de eo cfr. c. 37, 7, XXXI, 40, 1, XXXVIII, 13, 2.]

medium unum, utrique generi adversum, libertatem et leges tuebatur. Cod. media una — adversa, quæ femininæ terminationis constantia aliud subesse arguit, quum præsertim parum recte unum genus utrique generi (non: huic utrique) adversum dicatur. Videtur excidisse secta [aut pars]. Mox § 5 (Secundis rebus elati Romanorum partis eius fautores) pravissime sic verba collocantur (Romanorum transposito post participium copulatum cum nomine fautores), quasi fautores Romanorum eius partis significentur. Restituendum sine ulla dubitatione: Secundis rebus Romanorum elati partis eius (Romanæ) fautores. (Cod. elatis Romanorumimpartis.) Sequitur (§ 7) de his ipsis Romanæ partis fautoribus: Hi — implevere aures X legatorum: Non eos tantum, qui se propalam per vanitatem iactassent tamquam hospites et amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto favisse; reliquos per speciem tuendæ libertatis in conciliis adversus Ro-
(613) manos omnia instruxisse. Hoc quidem non reliqui nescio qui (præter multo plures alios) fecerunt, sed illi ipsi, qui occulte favebant Perseo. Durissime deest dativus apud verbum favisse. Cod. reliqui — instruxissent. Non quattuor in duabus vocibus litteræ, quod Grynæus fecit, sed una mutanda erat: alios ex occulto favisse **regi, qui** per speciem tuendæ libertatis — omnia instruxissent. Quod proxime (§ 8) scribitur: nisi fractis animis partium, in codice pro partium est aptium, nec partium animos frangi illi, quorum oratio refertur, volebant, sed contrariæ aut dubiæ partis. In aptium suspicor latere vocabulum, quo ancipites (οἱ ἐπαμφοτερίζοντες) significentur, contrarii iis, qui nihil præter imperium Romanorum spectarent. [Ancipitum?]

Cap. 32, 8 (de L. Æmilio): Ab seriis rebus ludicrum, quod ex multo ante præparato et in Asiæ civitates et ad reges missis, qui denuntiarent, et

quum circumiret ipse Græciæ civitates, indixerat principibus, magno apparatu Amphipoli fecit. Ludicrum ex multo ante præparato fit, non indicitur. Nec recte cohærent hæc (— sic enim connectuntur —): indixerat principibus, et in Asiæ civitates et ad reges missis, qui denuntiarent, et quum ipse circumiret civitates. Pro indixerat codex habet indignato. Livium scripsisse puto (etsi in alio codice violenta hæc correctio videretur): Ab seriis rebus ludicrum (cod. ludorum quod) ex multo ante præparato, et in Asiæ civitates et ad reges missis, qui denuntiarent, et, quum circumiret ipse Græciæ civitates, **invitatis** principibus, magno apparatu fecit. Iam recte omnia inter se respondent. Ex multo ante præparato ludi fiebant; nam et in Asiam miserat, qui denuntiarent, et in Græcia ipse principes invitaverat.

Cap. 33, 4 (ubi commemoratur copia rerum et vilitas annonæ in conventu ludorum causa): ut et privatis et civitatibus et gentibus dona data — sint ab imperatore non in usum modo præsentem, sed etiam quod domos aveherent. Necessario scribendum: quæ domos aveherent. Adhæsit **d** ex proximo vocabulo. (Cap. (614) 39, 13 sine eiusmodi causa in codice scribitur: epulas senatus quod pro quæ).[1])

Cap. 34, 1 (de L. Æmilio Epirotarum civitates militibus diripiendas dante): Haud procul inde Anicii castra

---

[1]) § 2 spernendus erat pervagatus librarii error, qui pro: cumulata in ingentem acervum scripsit: cumulata ingentem ac. Cfr. VIII, 30, 8 et X, 29, 18, quo loco non variatur, quia non sequitur præpositionem vox ab in incipiens. [Aliter I, 37, 5 ablativus ponitur.] [§ 6, ubi editur: Spectaculo fuit — præda — vasorum — factorum ingenti cura, in ea regia, ut non in præsentem modo speciem — sed in perpetuum usum fierent, scribendum videtur: ut quæ — fierent; neque enim ad curæ magnitudinem declarandam verba adiunguntur (dicendum enim erat facta viderentur), sed ad causam. 1864.]

aberant; ad quem litteris missis, ne quid ad ea, quæ fierent, moveretur; senatum prædam Epiri civitatum, quæ ad Persea defecissent, exercitui dedisse; submissis centurionibus in singulas urbes, qui se dicerent ad præsidia deducenda venisse, — denos principes ex singulis evocavit civitatibus. Pravum submissis; aperte enim et palam centuriones mittebantur, etsi fraudulento consilio. Cod. suos missis; scribendum: exercitui dedisse **suo**, missis cet. Paulo post (§ 6) editur: Vendita præda omnium; de ea summa militi numeratum est. Nimis infinite et inusitate dicitur præda omnium, quæ omnium rerum, omnis generis est; prorsus prave numerari (impersonaliter) de ea summa (hoc est, de redacta pecunia). Sed in codice scribitur numerata. Efficitur igitur: Vendita præda **omnis; inde** ea summa (quæ ante significata est, quadringeni denarii in equitem, peditibus duceni) militi numerata est. Tum § 7 scribendum: qui — expertes regiæ prædæ se esse indignabantur (aut expertes se regiæ); in cod. et edd. se omittitur; sed neque indignor expers esse (in prosa oratione) neque indignor expertem esse Latine dicitur; [cfr. p. 341 n. h. ed.]. (§ 9 recte Dukerus: senatui reservarat.) In altera parte huius capitis de Eumenis et Gallorum in Asia certaminibus et legatis Romanis eo missis narratur. Ibi primum (§ 11) hæc scribuntur: Ver primum ex domo ex-
(615) civit, iamque Synnada pervenerant, cum Eumenes ad Sardes undique exercitum contraxerat. Non solum contra usum sermonis plusquamperfecto per quum particulam alterum plusquamperfectum subiicitur, sed contra rerum naturam; neque enim alterum iam factum erat, quum alterum (iam) factum erat, sed quum alterum factum est. (Longe aliter dicitur Germanicum während [gleichzeitig].) Livius scripsisse videtur: iamque Synnada pervenerant et Eumenes — contraxerat; extrito et post t, ortum est cum ex primis litteris nominis Eumenis. In exci-

vitat (cod.) potest latere exciverat. Sequuntur in editis (excepto Weissenbornii exemplo) hæc (§ 12): Ibi et Romani Solovettium ducem Gallorum Synnadis adlocuti et Attalus cum eis profectus; sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irritarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum est locutus cet. Ultra omnem modum ridicule Romani ibi, hoc est Sardibus, Solovettium Synnadis adlocuti dicuntur, idque antequam in eius castra pervenerint; et subiicitur recto loco: P. Licinius — est locutus, recto etiam verbo; neque enim adlocutio hæc erat, sed colloquium. In codice est: Ibi Romani cum et Solovettium ducem Gallorum Synnades adlocutus et talus cet. Scribendum igitur notata lacuna manifesta, ad hanc formam: Ibi Romani quum Solovettium, ducem Gallorum, Synnadis esse comperissent, eo proficisci decrerunt **ad colloquium**; Attalus cum eis profectus **est**; castra Gallorum intrare eum cet. [Alia in eandem sententiam tentant Hartelius et Wesenbergius.] Postremo § 14 scribendum est: ut mirum videri possit (pro posset); ex Livii enim persona, suo tempore de re præterita iudicantis, hæc addi, aperte ostendit fuisse; nam Licinii tempore mirum videri poterat, nullius momenti esse legatorum verba. (Bene nobiscum egit fortuna, quæ servato Polybii fragmento scire nos voluit, quam impudenter Livius admirari se simulet, foedam Romanorum fraudem occultans.)

Cap. 35, 7: Totus Macedonicus exercitus impe- (616)
ratori erat neglegenter adfuturus comitiis ferendæ legis (ut L. Æmilio, quo die urbem triumphans inveheretur, imperium esset). Latet aliquid mendi. Nam totus et neglegenter adfuturus inter se plane repugnant; Ser. Galba demum stimulavit, ut frequentes adessent. Neque imperatori adesse, tamquam in periculo versanti, debebant, sed comitiorum die omnino adesse. Verbum erat incommode retractum est ante neglegenter; pro eo in cod. scribitur ita.

Videndum, ne Livius scripserit: Iratus (pro totus) Macedonicus exercitus imperatori neglegenter **erat** adfuturus comitiis f. l. Unde ita ortum sit, nescio. [Paulo rectius erit: Iratus Macedonicus exercitus imperatori erat; itaque neglegenter erat cet. 1864.][1])

Cap. 36, 2 et 3 quum Grynæus edidisset primum: Ser. Galba repente processit et a tr. postulavit, ut — in posterum diem differrent et mane eam rem agerent, deinde: quum tribunus dicere eo die, si quid vellet, iuberet, Kreyssigius priore loco recte e codice reposuit: a tribunis postulavit, quod ipsa, quæ sequuntur, verba differrent et agerent cogunt. Sed eo pravius retinetur: quum tribunus — iuberet, pro quo in codice est: quum tribuni — iuberet (verbo ad præcedens vellet accommodato), quoniam perspicuum est, eosdem, a quibus dilatio postulata sit, eam non dedisse; scribendum igitur est: quum tribuni — iuberent. Tribunos communiter rem egisse, Ti. Sempronio actionis principe, apparet etiam ex fine capitis (§ 10). Atque etiam Plutarchus in vita Æmilii c. 30, Livium aperte exprimens, primum Galbam a tribunis plebis alium diem postulasse scribit, tum,
(617) τῶν δημάρχων λέγειν αὐτόν, εἴ τι βούλεται, κελευόντων, longam exorsum orationem rem in noctem extraxisse.[2])

---

1) § 9 plane necessaria est Gronovii emendatio: Pecuniam illum non dare (pro: dare non) potuisse; militem honorem non dare (pro: honorem dare) posse. Comparatur utrimque potestas non faciendi. Licuisse dicit Galba Æmilio militum spem frustrare; esse et militum aliquam negandi potestatem. Vid. ad c. 3, 6.

2) Etiam § 1 in eadem re aberratum videtur; nam quoniam ad coniunctam in iis, quæ sequuntur, omnium tribunorum mentionem accedit, quod hic quoque in cod. scribitur ferrent, probabile fit, a Livio scriptum fuisse Ti. Sempronius tr. pl. ceterique tr. pl. ferrent. (1864.) § 8 recentiores integram Gronovii et Iacobsii coniecturam recipere debuerant (iam nunc nimis sæpe ambitione peccari); omisso iam prava est sententia. § 10 pronuntiarunt, quod Dukerus pro renuntiarunt reponi iussit, non minus est ne-

Cap. 37, 2 (in M. Servilii oratione contra Ser. Galbam pro triumpho L. Æmilii): Eadem severitas imperii, quam nunc oderunt, tunc (cod. ut, scr. tum) eos continuit. Itaque antiqua disciplina habiti (cod. habita) neque fecerunt. Postrema hæc quum sensum non habere manifestum esset, recentiores lacunæ signa ante neque posuerunt. Scribendum erat: Itaque antiqua disciplina habiti **quieverunt**, restituto eo verbo, quod ad c. 23, 6 dixi huius librarii erroribus obnoxium fuisse. Nam (præter qui hodie esse pro hodie quiesse XLIV, 36, 13) huius libri c. 22, 4 pro quieverunt scripsit qui fuerunt et c. 42, 9 pro his: ne quietus quidem hæc scripsit monstra, quum se a primo errore revocans in novum indueret: neque ui neque eiusdem quidem. Nam primæ litteræ (qui) alius vocis speciem obiiciebant. Itaque etiam XXXV, 40, 3 pro Boii quieverunt in codice Bambergensi scriptum est: Boique VI fuerunt, in deterioribus: Boiiqui fuerunt. [Iam Rubenius tunc quieverunt. In aliis Livii codd. exempla huius verbi corrupti inveniuntur III, 16, 4, ubi egregie Forchhammer ex tumque esse effecit tum quiesse, et 51, 7, ubi Ver. qui fuit pro quievit, XXII, 14, 2: quidam fuerunt pro quieverant. Cfr. Adv. crit. I p. 30.] Sequuntur § 3 et 4 alia menda: Ser. quidem Galba si in L. Paulo accusando tirocinium ponere et documentum eloquentiæ dare voluit, non triumphum impedire debuit, quem, si nihil aliud, senatus iustum esse iudicaverat, sed postero die, quam triumphatum est, privatum eum visurus esset, nomen deferret et legibus interrogaret, aut serius paulo, quum primum magistratus ipse cepisset, diem diceret, inimicum ad populum aocusaret. Primum non recte in hac re absolute dicitur tirocinium ponere; ut signi- (618)

---

cessarium quam XLIV, 38, 10 præparaverant pro reparaverant, a Nipperdeio commendatum.

ficetur, cuius rei tirocinium intellegatur, scribendum est [ut Rupertius etiam vidit]: si in L. Paulo accusandi tirocinium ponere. Deinde in proximis, quum Servilius de triumpho Pauli tamquam acto dicere non possit totaque sententia de re ficta sit, necessario scribendum est, sublato errore frequenti (cfr. ad XLII, 5, 8 p. 511): quam triumphatum esset, nec quidquam præterea movendum. In illis autem: privatum eum visurus esset quum deesset coniunctio, Gronovius scribi voluit: quam triumphatum et quum privatum eum visurus esset, Weissenbornius scripsit: privatum quum visurus esset; sed relinquitur grave vitium orationis; nam de postero die, quam triumphatum esset, dicendum erat: quum videret (iam tum), non: quum visurus esset. Itaque si cetera recta sunt, propter participii tempus requiritur eiusmodi verbum, quod vim et effectum accusationis tum institutæ significet (v. c. privatum quum læsurus esset); sed nihil definio. Postremo in codice scribitur: diem dicere inimico cum ad populum, ex quo fit: diem diceret inimico, eum ad populum accusaret.[1]) Manifestum mendum teneri puto § 8: Duas mihi aliquis contiones parumper faciat, unam militum Macedonicorum, puram alteram, integrioris iudicii et a favore et odio, universo iudicante populo Romano. Ablativi hi universo iudicante p. R. neque bene cum alteram (contionem) coniunguntur neque commode respondent superiori illi militum Mac., parumque apte hæc concurrunt: integrioris iudicii — iudicante p. R. In codice est: universis iūd. c. pr. (sic). Apparet, opinor, subesse: universi p. R. Ceteræ illæ litteræ utrum errore ex superiore iudicii repe-

[1]) Quod sequitur § 6 eius obtrectare laudes voluit, notandum est; alibi enim Livius dativum huic verbo adiungit, ut Cicero semper; nam in Philipp. X, 3, 6 cod. Vaticanus (et Bern.) dativum tuetur; accusativum Valerius Max., tum Tacitus et eius æquales habent.

titæ sint an aliquid occultent, nescio; etsi quid latere aptum (619) loco possit, non video. In § 9 recte intellectum est, omnem accusatoris orationem fingi ad milites conversam; itaque et circumiret (de imperatore) e codice restitutum est et in lacuna suppletum ductus es, quum Grynæus duxisti posuisset. Verum militi dici nequit: in statione severius et intentius institisti; scribendum stetisti. Restat in extremo capite (§ 13) certa et insignis emendatio. Nam Servilius, causam apud integri iudicii contionem agi fingens, Populus Romanus, inquit, — proximo certe Punico bello quid inter M. Minucium magistrum equitum et Q. Fabium dictatorem interfuerit, meminit. Deinde adiungit: Itaque accusatorem id scire potuisse et supervacaneam defensionem Pauli fuisse. Multa hic perversa, primum in orationis structura; unde enim pendet sententia infinita sic posita: populus meminit; itaque accusatorem id scire potuisse? deinde in sententia. Memineratne populus, accusatorem id scire, immo id scire potuisse? Memineratne porro, Pauli defensionem supervacaneam fuisse? Quando? Et quid id ad rem, quid sciret accusator de Minucio et Fabio? aut quid inter hanc scientiam et Pauli defensionem coniuncti? Apparet, non id agi, quid de accusatore populus meminerit, sed significari, quia populus meminerit, ambitiosa imperia improspera, severa prospera fuisse, quid futurum fuerit, si apud talem populum, integri iudicii, Pauli causa ageretur. In codice pro id scire est iscere, hoc est hiscere. Nihil manifestius certiusve est quam Livium scripsisse: Itaque (populus) accusatorem **hiscere non sisset** et supervaneam defensionem Pauli **fecisset**. (Sequitur vox a **t** littera incipiens.) Una est dubitatio, pro non sisset scriptumne fuerit prohibuisset. Hiscere in scire corruptum deprehendimus iam XLIV, 45, 10.[1])

---

[1]) [§ 6 etsi memini apud Ovidium legi probrum alicui dicere,

Cap. 38, 4 (in eadem Servilii oratione): Erratis, milites, si triumphum imperatoris tantum et non militum quoque et universi populi Romani esse decus censetis; non unius in hoc Pauli. Qui ad hæc postrema audiri
(620) posse putant est decus, et a sermonis lege aberrant (neque enim sic ex infinitivo indicativus sumi potest, præsertim non præcedente in triumpho, sed alia orationis forma, nec omitti decus) et nimis apertam tautologiam efficiunt. Exciderunt duo fere verba, quum ad hanc formam scriptum esset: Non unius in hoc Pauli honos agitur. Paulo post (§ 7 et 8) scribitur: Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africæ! Literni sepulcrum ostendi! Erubescamus, gloria si par illis viris L. Paulus, iniuria vestra exæquetur. Mendum vel una vox si arguit pravissime interposita; sed perversa est tota hæc exhortationis cum condicione coniunctæ forma in ea re significanda, quam fieri pudor vetet: erubescamus, si fiat (pro eo, quod est: pudeat facere). In codice est sic pro si. Mutanda, non tollenda, littera erat, et simul alia adhibenda correctio, ut recta fieret oratio: Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africæ, Literni sepulcrum ostendi, erubescamus. Gloria sit par illis viris L. Paulus, iniuria vestra ne exæquetur. [Sed aliud præterea in iis, quæ proxime præcedunt, tollendum mendum est. Prorsus enim non intellegitur, quid in Africani exemplo cum Camilli coniungendo agat insuper; neque enim ea accessio aliqua eiusdem actionis fuit; maiorum peccato recte contrarium ponitur, quod ab iis, qui nunc sunt, commissum est. Scribendum igitur est: satis nuper a vobis in P. Africano. 1864.] Restat § 12, qui locus sic scribi-

---

tamen dubito de scriptura, quod in prosa oratione nunquam hoc positum video (nam XXV, 22, 13 contumelias dicere sine dativo ponitur, XXVI, 31, 5 contumelias in aliquem dicere) et quod durius etiam est crimen alicui dicere. Itaque in mentem venit obiicere; sed nihil adfirmo. 1864.]

tur: Militum quidem propria est causa, qui et ipsi laureati et quisque donis, quibus donati sunt, insignes, triumphum nomine cient suasque et imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. Inepte militum ornatus proxime refertur ad triumphi clamorem (laureati — triumphum cient) seiungiturque ab incessu, et prave tamquam duo separantur hæc: nomine cient (id est, canunt) et: canentes — incedunt. Apparet, omnia referri ad incessum et pompam, in qua milites conspiciebantur; ei verbo, quo pompa indicatur (incedunt), adiungi participia ad pompæ descriptionem pertinentia. Scribendum est igitur: qui et ipsi laureati et quisque donis — insignes, triumphum nomine (621) **cientes** suasque et imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. Ex cientes suasque factum est: cientesuasque, tum: cient suasque. Postremo § 13 (si quando non deportati — sint, fremunt) tollendus est vitiosus in tempore et re sæpius facta indicanda perfecti coniunctivus, quem certa regula et optimorum codicum auctoritate et conspiratione, quum alibi tum in iis formis, in quibus indicativus a coniunctivo non una vocali distat, fretus ex multis veterum locis sustuli Opusc. Acad. II p. 281 sqq., ad Cic. Fin. V, 15 p. 679. Sed supersunt, quæ addam. Apud Ciceronem de Divin. II, 70, 145 editur: Gubernatores quum exsultantes loligines viderint —, tempestatem significari putant; sed duo optimi (pro illorum librorum modulo) codices Leidenses viderunt habent, ut Klotzius edidit. In eodem libro c. 9, 24, oratione rectius distincta, sic scribendum est [cum duobus codd. Leidd.]: Quid est, quod me adiuvent haruspices? Quum res tristissimas portendi dixerunt (pro dixerint), addunt ad extremum cet. Apud Senecam Ep. 3, 2 recte Fickertus et Haasius e bonis codicibus ediderunt: quum amaverunt, iudicant, et non amant, quum iudicaverunt (pro amaverint et iudicaverint); sed Ep. 11, 3

quum Schweighaeuserus recte scribi voluisset: Quidam numquam magis, quam quum erubuerunt, timendi sunt, illi, quos dixi, vitiosum erubuerint reduxerunt. Eadem correctio adhibenda Ep. 63, 7 (hec amant quemquam, nisi quum perdiderint), Ep. 110, 17 (quoties tale aliquid **præstrinxerit** oculos meos, quoties **occurrit** domus splendida, altero verbo indicium faciente), Ep. 115, 17 (nova suscipiunt, quum priora damnaverint). Longe plurimis Senecæ locis recte scribitur. [Cfr. nunc Advers. crit. II p. 427, 448 sq., 521.][1])

(622) Cap. 39, 2 (in eadem oratione): Quod si — L. Paulus — interroget: L. Anici, Cn. Octavi, utrum vos digniores triumpho esse an me censetis? currum ei cessuri et præ pudore videntur insignia ipsi sua traditori. Cedere alicui rem pro concedere vix credo huius ætatis esse, quamquam apud Velleium II, 85 editur: cessere victoriam.[2]) Ciceronis illud (Off. II, 18, 64): multa multis de suo iure cedentem, si recte scribitur, alius tamen est generis propter accusativum adiectivi neutri generis; [cfr. Liv. XLII, 50, 4].[3]) Codicis scriptura sic mihi notata est: currum i censuri. Scripseratne Livius: curru descensuri? an: currum ei concessuri? Certum est mendum § 4: Macedonicæ legiones suo abrogato triumphos alienos (cod. abrogatutnumpos alienos) spectabunt? Vi-

[1]) Cap. 39, ut sententiarum cohærentia servetur, incipere debet a verbis: Vos certe victores cet.

[2]) [Scribendum cum Herelio: cessere victori; victoria iam Cæsaris erat, non concedebatur.]

[3]) [Diomedes p. 319 habet: cedo fortiori palmam et palma, sed sine exemplo; apud Curtium IV, 44, 19 edebatur: quod ceditis; sed e codicibus restitutum est quo; de Ovid. Epist. ex Pont. II, 6, 23 vid. Advers. crit. II p. 103. Apud Tibullum IV, 13, 17 miro errore retinetur mea pignora cedo, quum iam Scaliger recte scripsisset cædo; in pignoribus suis cædendis, non in concedendis (cui?) inest significatio causæ suæ nocendi. Varronis locus R. R. III, 16, 2 prorsus corruptus et perturbatus est.]

tiose enim substantivum a priore membro, ubi audiri nequit, transfertur ad alterum, ubi potest; scribendum saltem tum erat: suo abrogato alienos triumphos; cfr. XXI, 19, 9. Sed Livius scripserat: suo abrogato triumpho alienos spectabunt? Paulo infra (§ 9) hæc scribuntur: Cui sortito provinciam — præsagientibus animis victoriam triumphumque destinavimus, ei victori triumphum negaturi? et quidem (cod. negaturi equidem) non homines tantum, sed deos etiam suo honore fraudaturi? Non potest in tali interrogatione omitti verbum substantivum, primæ præsertim aut secundæ personæ. Itaque, nisi quid præterea mendi est, excidit sumus. Excipit, paucis interiectis, hæc sententia (§ 11): Consul proficiscens — in provinciam et ad bellum vota in Capitolio nuncupat; victor, perpetrato eodem, in Capitolio triumphans ad eosdem deos, quibus vota nuncupavit, merità dona populi Romani transvehens redit. Sic enim Kreyssigius scripsit, quum in codice esset: merita bonaque pr. transredit, e quo Grynæus fecerat: merita dona populi Romani traducit. Sed neque ad codicis vestigia satis prope accedit correctio et populi (623) Romani dona h. l. minus commode appellantur, ubi imperatoris exitus et reditus comparantur, in qua comparatione ipsius, ut vota, ita dona sunt. Idem error hic versatus est, quo c. 14, 3 ex pro factum est pr. Livius enim scripserat: merita dona **portans** redit (nisi quis ex que efficere præ vult, ut sit præportans). Sed superest pusilla res; nam perpetrato eodem pro eo vitiose dicitur (— neque enim quidquam aliud de bello actum præcedit —), et necessario præterea propter repetitum in sententiis inter se relatis Capitolii nomen cohærent hæc: eodem in Capitolio (in quo vota nuncupavit); scribendum est igitur: perpetrato eo (bello?), eodem in Capitolio cet. Sequitur, quoniam in § 12 et 13 nihil novæ emendationis

adfero[1]), manifestum mendum in § 14: Rex Macedonum Perseus cum liberis et turba alia captivorum, spolia Macedonum, citra flumen relinquentur? Inepte enim tamquam grave et non ferendum commemoratur, citra flumen captivos et spolia relinqui; magis ad rei indignitatem monstrandam accommodatum esset, si trans flumen relicta et propius admoveri prohibita dicerentur. In codice est
(624) circa fluminis. Scribendum **in ripa** fluminis; (in intercidit ob præcedentem litteram **m**). Ibi enim e navibus elata spolia exspectabant, ut triumphali porta in urbem veherentur. [Rectius Vahlenius in circo Flaminio.] Proxima (§ 15) quum in codice sic scriberentur: Et tu centurio miles quibus ab imp. Paulo donatus decrevit potius quam Servius Galba fabulentur audis et hoc dicere me potius quam illum audi, Grynæus prorsus infeliciter sic interpolavit, a codice longe discedens: Et tu, centurio, miles, quid de imp. Paulo senatus decrevit, potius quam quid Ser. Galba fabuletur, audi, et hoc dicere cet. Nam neque hæc recte inter se referuntur: et — audi, et — audi (ut omittam tu sic positum, ut ad aliam personam transitura oratio videatur), nec senatus decreta nunc recitaturus est

---

[1]) Selectis coniunctis Grynæi, Gronovii, Kreyssigii emendationibus hæc videtur forma eius loci efficienda: Omnes illas victimas, quas traducendas in triumpho locavit (fortasse: iam locavit), alias alio cædente mactate. Quid? illas epulas senatus, quæ — in Capitolio eduntur, (utrum hominum voluptatis causa an deorum honoris?) [sic Doeringius, præeunte Crev.] auctore Ser. Galba turbaturi estis? Restat dubitatio in illis alias alio cædente (cod. dente). (Fuitne dividente? Nam ipsi mactare victimas aliis cædentibus non possunt.) Ironica illa hortatio (mactate) tolli non debuit. Dedicavit pro vindicavit (sic enim cod., ubi locavit posui cum Gronovio) frustra Kreyssigius commendavit. Ut potuerint victimæ traducendo non solum consecrari, sed etiam dedicari dici, nondum eas Paulus traduxerat. Agitur, ut traducere liceat.

Servilius. Extrema autem, quæ Grynæus intacta reliquit, perspicue corrupta sunt; nam neque hoc pronomen quo referatur, intellegitur, nec quidquam et Servilius et Galba dicebant, quod a se potius audiri Servilius vellet; debebat etiam dicentem scribi; longe enim aliud est et ab hoc loco alienissimum: audio (accipio ab aliis) Servilium dicere. Orationis forma apparebit et vera sententia emerget codicis vestigia propius sequendo. Livius enim sic scripsit: Et **tum**, centurio milesque, quibus ab imp. Paulo donatus **es**, **decreta** potius, quam quid Serv. Galba **fabularetur, audisti,** et **hodie** me potius quam illum audi. Ad memoriam fortium factorum honorisque eis a Paulo habiti Servilius militum animos revocat; ut tum imperatoris laudibus læti malevolos Galbæ sermones spreverint, sic nunc eius orationem spernere eos iubet. Paulo brevius tum refertur ad ipsum militiæ tempus, quod centurionis et militis appellatio demonstrat.[1]) Unum etiam in hoc capite, quod tam diu nos tenuit, restat. Nam quod § 16 scribitur: ego ter et vicies cum hoste per provocationem pugnavi, et oratione pravum est (— nam ex provocatione pugnatur, non per provocationem, quasi id ipsius pugnæ genus sit —) et codicis testimonio redarguitur, in quo est per (625) provocatio. Sublato per, quod ex pro ortum est, scribi debet: cum hoste **provocanti** pugnavi. [(§ 3 tenendum est Æmilium Paulum pro se exercituque sacrificasse, non pro se lustrando; neque lustralia sacrificia Apollini Delphico fiebant.) § 12 rectissime codex Paulus in domo præter me (cod. sed) nemo superest, pro quo Pauli substitu-

[1]) [De iis, quæ contra hæc disputata sunt, satis est monuisse, nullos a senatu centurionibus militibusque decretos esse honores. Donis donabatur ab imperatore miles Romanus in ipsis castris. Quo tempore lex de triumpho ferebatur, nulla iam erat occasio militibus Macedonicis decreta honorifica audiendi. Apertissimum est, comparari diversa tempora, pravissimum, duas sententias exire in idem audi. 1864.]

tum est. Supererant enim et, quod vel e Polybii narratione intellegi potest, in domo patris, quamquam in adoptionem dati, vivebant duo filii, verum nomine Cornelius Scipio alter, alter Fabius Maximus, neuter Paulus. Hoc nomen in hac saltem domo exstinctum præter patrem erat. 1864.]

Cap. 40, 9 (de L. Paulo): Paucis post diebus, data a M. Antonio tr. pl. contione, quum de suis rebus gestis more ceterorum imperatorum disseruisset, memorabilis eius oratio et digna principe Romano fuit. Non quum disseruisset, sed in ipsis rebus edisserendis; nam earum recensionem integram habet, quæ sequitur, oratio. Cod. dedisset remorabilis. Significatur: quum — dissereret, memorabilis.[1])

Cap. 41, 4 (in L. Pauli de suis rebus gestis oratione): quia inexpugnabilia castra (in cod. hoc vocabulum omittitur) hostium erant neque cogi pugnare poterat rex, inter præsidia eius saltum ad Petram evasi et ad pugnam rege acie vici. Addunt inde a Grynæo coacto (ad pugnam rege coacto). Sed admodum inficete hoc ad pugnam rege coacto subiicitur illis neque cogi pugnare poterat rex. Sub litteris pugnam latet nomen loci, quo carere narratio vix potest, scribendumque est: et ad **Pydnam** regem acie vici. (§ 1 ex ob quam felicitate fieri debebat: et qua felicitate.)

Cap. 42, 6: Paucos post dies, quam hæc acta, legati ab Cotye — venerunt. Codex: quam hæc-tanta legati. Scribendum quam hæc acta erant; nam vitiose in hac sententiæ forma verbum substantivum apud participium omittitur. (Cfr. ad XXVII, 5, 9 p. 321.) Ex

---

[1]) § 1 certa est Gronovii emendatio: qua (pro quæ, cod. que) haud dubie maior aliquanto summa — efficitur. § 3 non certum est: bellare cum Romanis (cod. bella regem Romanis). Aliter VI, 42, 5 (semel) Livius dixit: bellatum cum Gallis circa Anienem, de bello una pugna confecto.

hæc acta erant factum hæcta erant, deinde hæc tanta.[1])

Cap. 43, 10: Reliquum ex Illyrico præda ducenti viginti lembi erant; de Gentio rege captos eos Corcyræis et Apolloniatibus et Dyrrachinis Q. Cassius ex senatus consulto tribuit. Qui sic narrat, necessario significat, lembos ex præda reliquos nunc demum de Gentio captos et Corcyræis datos esse. Ut ea, quæ esse debet, efficiatur sententia, sic oratio distinguenda scribendumque est: — ducenti viginti lembi erant, de Gentio rege **capti**; **eos** Corcyræis — tribuit. Ita primum dicitur, qui et unde fuerint, tum, quid iis factum sit. Capti ob eos corruptum est. In codice est: relicum ex inlyrico præda. Quæ huius extremi libri condicio est, minime certum est, Livium non scripsisse: Reliqui ex Illyrica præda ducenti cet., aut saltem: Reliquum ex Illyrica præda. (626)

Cap. 44, 10. (Prusias rex a senatu petierat, ut ager de rege Antiocho captus, quem nulli datum a populo Romano Galli possiderent, sibi daretur.) De agro responsum est, legatos ad rem inspiciendam missuros. Si is ager populi Romani fuisset nec cuiquam datus esset, dignissimum eo dono Prusiam habituros esse. Si autem Antiochi non fuisset, eo ne populi quidem Romani factum apparere, aut, si datus Gallis esset, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius iniuria quidquam ei datum vellet p. Romanus. Pravum est: si is ager p. Romani fuisset; quærebatur enim, num esset pop. Romani (num eius factus esset), ut iure

---

[1]) § 4 tristis species relinquenda est huiusmodi: — Albam in custodiam duceret; comites, pecuniam, argentum, instrumentum, quod haberet, nihil * * **Bithys, filius Cotyis**, regis Thracum **cum** obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Nam ad comites reliquaque novum verbum desiderari videtur (nihil detrahens habere sineret simileve).

dari posset. Deinde in ea condicione, quæ huic primæ contraria ex adverso ponitur (si autem cet.), adiungitur de Antiocho (si autem Antiochi non fuisset), cui in hac (627) nihil respondet. Præterea in altera parte infinito modo (eo ne p. quidem Romani factum apparere) tamquam consequens et quod efficiatur, id ponitur, quod in parte condicionis esse debet. Nam Prusias ignoscere debebat, si ager Antiochi non fuerat et ideo omnino Romanorum factus non erat, ut nihil de eo decernere possent, aut si Romanorum quidem factus, sed datus Gallis iam erat. Iam in codice sic scribitur: si autem Antioci non peruissent eo ne populi quidem Romani factum apparat aut datum Gallis esset, ignosceret Prusiam deberet, si cet., in qua scriptura ad illa apparat aut datum attendi velim. Livium scripsisse opinor: si is ager populi Romani factus esset, quum Antiochi non **fuisse et** eo ne pop. quidem Romani factum **appareret** aut **datum** Gallis **esse**, ignoscere Prusiam debere cet. (Residet scrupulus, ne quid lateat in illo peruissent præter fuisse et.) [Occurrit litteris proximum: si autem Antiocho non paruisse et eo cet. Retentat assensum et Antioci in codice scriptum et quod per se ager hoc loco aptius videtur Antiochi fuisse dici quam Antiocho paruisse. 1864.] Deinde (§ 13) in his verbis, quibus transitur ad alteram rem, quam Prusias a senatu petiverat: Facile Nicomedis commendationem accipere, apparet, adverbium, quod omnino inutiliter abundat, non potuisse primo loco poni ante ea, quibus nova res significaretur. In codice est felici; superiori sententiæ addi nihil potest; relinquitur, ut scribamus: Fili Nicomedis commendationem accipere.

Desinet hæc nostra opera in eodem correctionis genere, a quo prope orsa est, meliore sententiarum distinctione. Nam paulo post (§ 16) sic scribitur: et (censuerunt patres) ut ex classe, quæ Brundisii esset, naves longæ viginti adsignarentur (Prusiæ regi), quibus uteretur,

donec ad classem dono datam ei rex pervenisset. L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet sumptumque ipsi et comitibus præberet, donec navem conscendisset. Quæ sit classis ista dono regi data, ad quam rex viginti navibus longis pervehi debeat, omnino non intellegitur, nec quidquam eiusmodi Livius significavit. Præterea (628)
(ac velim minus exercitati ad tenuia hæc, sed certissima falsi verique indicia attendant) vitiosissime dicitur: quibus uteretur, donec rex pervenisset, nomine regis in prima sententia omisso et in posteriorem inde pendentem reiecto. Nihil relinquetur offensionis, si oratio sic distincta erit: — quibus uteretur. Donec ad classem dono datam ei (ipsas illas viginti naves) rex pervenisset, L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet cet. Scipio per Italiam Brundisium regem comitari debebat, ubi rex naves dono datas conscensurus erat. Paulo post § 19 scribendum: pileatum, capite raso, obviam ire legatis (cod. obviam legatis) solitum libertumque se populi Romani ferre; ideo insignia (cod. ferret ideo, edd. ferre et ideo) eius ordinis gerere. Ipsius Prusiæ in his extremis significatur oratio (ferre). (Ferret pro ferre, ut § 11 ignosceret — deberet, § 13 acciperet, § 15 immolaret.)

[E præfatione Livii a me et Ussingio editi Vol. IV part. II:

In fragmento libri XCI paulo post initium, ubi in codice est: eadem virtus, quæ inritante[1]) oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit, una littera detracta (qua pro quæ) sententiam restituimus, ut Sertorius dicatur virtute Contrebiensium irritante urbem oppugnasse, eadem victor placabilior factus esse. Quod alii fecerant irritantes, perversissime virtus Sertorii dicitur oppugnasse irritantes eademque ipsum placabilem fecisse. Paulo infra, ubi editur: referre vetera arma milites iussit — novaque viris

[1]) [Kruegero teste potest et inritante fuisse et inritantem, sed ut hoc probabilius sit.]

per centuriones divisit, scripsi novaque iis; viris geminatione litterarum ue ortum puto.[1]) Nam quod Niebuhrius viros pro peditibus dictos putat, subiici enim e contrario equitatum quoque, dicuntur sic coniunctim equites virique (equi virique), viri quidem per se, subsequente in altero demum orationis membro equitum mentione, nusquam, multoque minus, præcedente hoc: referre vetera arma milites iussit, recte novaque viris illa significatione subiicitur. Statim post, ubi est: fabros cura conquisitos, non dubito, quin Livius cum cura scripserit, ut XXII, 42, 5, XXIII, 31, 15 et 33, 8, XXV, 22, 2, XXVII, 24, 8, XXXV, 9, 4, XXXVIII, 18, 7 et 23, 10, XXXIX, 7, 5; cura solum qui de modo rei agendæ posuerit, adiectivo non addito, non reperio; aliter XXVI, 45, 9 dicitur: cura ac ratione compertum in prodigium ac deos vertens.[2])

In fragm. lib. CXX apud Senecam rhetorem Suas. VI servato et a ceteris et a Bursiano sine ulla varietate scribitur: magnis interim ictus vulneribus, exsilio, ruina partium, pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tam tristi atque acerbo. Et tamen quid apertius, quam non posse aut usquam aut in hac enumeratione eandem rem bis sic significari, ut primum filiæ mors dicatur, deinde superaddatur distinctius exitus tam tristis atque acerbus? Filiæ enim exitus aperte significatur; Ciceronis ipsius neque acerbus (Romano vocis usu, id est, præmaturus) fuit neque inter ea mala, quæ vivus parum viriliter tulit, numerari poterat. Itaque apparet, quum Livius scripsisset filiæ exitu tam tristi atque acerbo, adscriptum esse morte, idque male in contextum receptum.]

Tantum erat, quod post alios Livii libris emendationis impertirem.

---

[1]) [Kruegerus periis vel piriis in cod. esse tradit; potest per ex sequenti per ortum esse.]

[2]) [Kruegerus: „Post fabros litteræ C vestigium videtur adesse potestque fuisse CV'."]

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 16 v. 23 add. VII, 25, 2 (consulatum).

P. 17 v. 7 add. III, 27,3 (Martio) et 63,6 (Martium), v. 11 et 14 add. IX, 9, 9 (nec), X, 26, 4 (in Samnium vel), 34, 1 (ac).

P. 25 n. 1 v. 6 pro emendandi scr. emendandæ.

P. 40 v. 9 pro Tarquinum scr. Tarquinium.

P. 53. XXXIV, 28, 12 ablativus in Mog. fuit; XLV, 20, 3 Vind. curiam excessit, Sigon. curia.

P. 69 v. 15 add. Ordinem verborum (quisque primus) confirmant Liv. XXIII, 23, 5, Cæs. B. G. VII, 48.

P. 74 v. 10 ante Sed ponendum fuit (v. 20 idem signum delendum.

P. 80 v. 7. De XXVIII, 39, 19 res dubia est; v. p. 252 n. h. ed.

P. 100 n. 2 pro 51, 12 scr. 50, 12.

P. 119 v. 13 punctum pro commate ponendum.

P. 119 v. 4 ab imo add. XLV, 34, 5: in equitem quadringeni denarii, peditibus duceni.

P. 122 v. 12 pro tetis scr. testis.

P. 134 C. 6, 15 add. Cod. Ver. tamen, si ratio litterarum initur, non videtur habuisse qui.

P. 135 v. 6 add. § 9, ubi editur: quæ nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit, codd. fere ne etiam; fortasse ne ex superiore versu huc delatum est. (1861.)

P. 138 n. v. 1 pro octies scr. novies, v. 2 add. XXIII, 26.

P. 143 add. C. 33, 3 pro et, quod habet vitiosam orationis continuationem, M R ut; debebat esse autem; fortasse particula delenda est. (1861.)

P. 155 n. add. Valerii Maximi locos aliquot, ubi honoratus sic legitur, Haasius posuit ad Reisigii scholas n. 285.

P. 156 add. C. 13, 7 pro hominum, quod pravum esse Alanus senserat, Siesbyeus omnium, coll. IX, 10, 6. (1875.)

P. 163 v. 14 scr. verbis, quæ grammatice dicuntur, adiunxit cet.

P. 171 v. 5 post 14 add. XXXVII, 45, 18 (translate).

P. 176 v. 5 add. Ter. Andr. V, 3, 22: licetne pauca? Cfr. etiam Lucan. I, 359.

P. 190 v. 12 add. ibd. fortasse scr. pro proverbio increbuit. (1875.)

P. 209 n. 2 v. 10 add. XXIII, 43, 5: profectus cetero exercitu, XLV, 26, 3: reliquo exercitu est profectus.

P. 265 v. 18 add. XXXIV, 27, 5 oratio sic interpungenda est: contioni satellites armatos circumdetit; et pauca præfatus,

cur sibi — ignoscendum — foret, — extemplo eos emissurum, sub hæc citari nomina — iussit, ut, interposito argumento præfationis, continuentur hæc: præfatus — iussit. De XLI, 18, 1 v. p. 611 h. ed.

P. 285 v. 15 cum Æn. VIII, 23 cfr. II, 52: utero recusso.

P. 298 n. v. 1—5. Cfr. tamen p. 561 v. 7 ab imo h. ed.

P. 300 v. 16 comma post quod deleatur.

P. 314 ima scr. facturos fuisse Livius cet.

P. 330 sq. addantur hæc exempla: Liv. XXVII, 45, 7, XXXIII, 6, 7, XXXIV, 33, 10, ex aliis scriptoribus Cic. de Orat. III, 109, pro Cæc. 64, ad Famm. III, 8, 2, de N. D. II, 45, Sen. Rh. p. 54 v. 12 et p. 303 v. 25 Kiessl., Curt. IV, 60, 4, VI, 1, 4 et 2, 1 et 33, 8.

P. 345 v. 7 ab imo comma deleatur.

P. 377 ima. Cum Suet. Vespas. 12 cfr. Tac. Agr. 10.

P. 380 n. v. 11 pro incluos scr. inclusos.

P. 413 v. 20—21 (Non quæro — legerit). Excipiendum erat quoque pro et quo sic positum, ut uni vocabulo præcedenti pro altero adiungatur, velut Cic. de Orat. III, 227.

P. 428 n. add. Legitur tamen et — quoque Sen. Epist. 88, 24; nam Cic. de Inv. II, 50 et ex it ortum Lambinus recte delevit.

P. 435 n. v. 19 sq. E codd. vestigiis eruitur: Non me fallebat, Hannibal, aura adventus tui Carthaginienses — turbasse. Aura de levissima auditiuncula atque exspectatione, qua animi quasi adflantur, dicitur, quemadmodum apud Ciceronem pro Sest. 47, 101 honoris aura. Quum rarius hoc significatu vocabulum aura vel potius aur (auradventus) in auere aut habere transisset, additum est spem, ne verbum obiecto careret. Infeliciter nuper locum tentavit Weidnerus Phil. XXXVI p. 209.

P. 449 v. 11 comma post viderem ponendum.

P. 463 v. 14 add. Plin. H.N. XVIII, 22, 188: Civitas Africæ petentibus Syrtes Leptimque Magnam vocatur Tacape.

P. 484 v. 17—18 scr. dis-tributio, item p. 618 v. 3—4 red-iit, p. 624, v. 1—2 abs-tinebant.

P. 487 n. 1 extr. pro dies noctuque scr. diu noctuque.

P. 498 v. 5 imo comma post nostri ponendum.

P. 501 extr. add. XXXIX, 40, 12 (dixerit), XL, 14, 4 (milites) et 42, 11 (inauguratus).

P. 504 ad c. 36, 3. Iniuria me dubitasse, dicereturne iuventutem habere ad supplementum remigum, hi loci ostendunt: XXVI, 47, 3: ceteram multitudinem — ad supplementum remigum dedit, XXI, 10, 12: dedendum (Hannibalem) ad piaculum rupti foederis, III, 63, 4: castra hosti ad prædam relinquunt, XL, 35, 14: loca pacata me ad hibernacula lecturum; excludimus enim et separamus eiusmodi exempla, qualia sunt IV, 27, 1: relicto consule ad præsidium urbis, quoniam consul non ipse præsidium est, aut XXXII, 38,

3 et XLV, 10, 13, ubi non da pignora et ad piacula de pluribus est, sed ad pignus, ad piaculum.

P. 516 v. 15 pro panut scr. nupta.

P. 534 v. 9 pro cuiuspet tioi scr. cuius petitio.

P. 536 v. 18 comma post opinor ponendum.

P. 537 n. 1 extr. scr. significantur.

P. 547 v. 8 ab imo pro indicitur scr. interdicitur.

P. 549 v. 12 post impedimenta (ponatur.

P. 551 v. 22 post tamen excidit de.

P. 569 v. 23 add. Cfr. ann. ad Cic. Finn. V, 20 p. 637.

P. 574 v. 4 ab imo verba: Cfr. — dicuntur deleantur.

P. 581 v. 6 ab imo punctum post vitiose ponendum.

P. 589 v. 5 excidit et ante haud.

P. 595 v. 22 comma post esse ponendum.

P. 600 v. 2 ab imo pro Atilio scr. Atilium.

P. 606 v. 7 pro illus scr. illius, v. 19 comma post dico ponendum.

P. 610 v. 23 comma post adlatis ponendum, v. imo scr. provinciam.

P. 618 v. 8 comma et ante sumptam et post sumptam ponendum.

P. 621 n. im. sic scr. Cic. de Inv. II, 152, or. agr. II, 85 cet.

P. 653 v. 16 comma post millia deleatur.

P. 696 v. 8 comma post equom ponatur.

P. 701 v. 5 ab imo pro amor scr. oram.

P. 734 v. 14 comma post Athon ponatur, post Atho deleatur.

INDEX

RERUM ET VERBORUM, DE QUIBUS IN EMENDATIONIBUS LIVIANIS DISPUTATUR.

INDEX

LOCORUM QUUM LIVII, QUI EXTRA ORDINEM ATTINGUNTUR, TUM ALIORUM SCRIPTORUM, DE QUIBUS DISPUTATUR.[1])

I. Livii.

[1]) Livii locorum, qui per librorum et capitum seriem tractantur, indicem conficere inutile visum est. Tantum admonendi sunt, qui uti libro volent, ubi plures unius capitis loci tractentur, non semper ordinem servari, sed, posito initio eo loco, qui præcipuam disputandi causam dederit, adiungi (etiam in notas coniici) et superiores paulo et inferiores. Interdum minoris momenti observatio una et altera alicui e proximis capitibus adnectitur.

II. Aliorum Scriptorum.